ACTA
APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ANNUS LVI - SERIES III - VOL. VI

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
M-DCCCCLXIV

j

An. et vol. LVI **31 Ianuarii 1964** **(Ser. DI, v. VI) - N. 1**

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico - Città del Vaticano — *Administratio:* Libreria Editrice Vaticana

ACTA PAULI PP. VI

LITTERAE APOSTOLICAE MOTU PROPRIO DATAE

Facultates et privilegia quaedam Episcopis conceduntur

PAULUS PP. VI

PASTORALE MUNUS, cum quo Christus Iesus gravissima coniunxit officia docendi, ad sanctitatem adducendi, ligandi atque solvendi, sacrorum Antistites, licet multis obsaepti impedimentis, praecipuae tamen caritatis editis exemplis omni tempore coluerunt.

Increbrescentibus vero per saeculorum decursum Ecclesiae curis laboribusque, Apostolica Sedes intento semper libentique animo Episcoporum postulationibus respondit, quae ad pastoralem sollicitudinem attinerent, eademque dioecesium Praesules non solum extraordinaria auctoritate et iurisdictione auxit, sed singularibus etiam facultatibus et privilegiis ditavit, quae praesentibus necessitatibus opportune satisfacerent.

Nunc autem, cum ad exitum vergat altera Concilii Oecumenici Vaticani II sessio, cumque Nos nihil optatius habeamus quam Patribus Conciliaribus permagnae existimationis testimonia praebeamus, qua omnes Venerabiles Fratres in Episcopatu prosequimur, eorum vota Nobis visum est libenter excipere, eaque ipsis concedere, quibus simul eorum episcopalis

dignitas in sua luce ponatur, simul pastorale munus efficacius expeditiusque reddatur. Id enim cum officio Nostro Pastoris universalis apprime congruere putamus. Dum vero haec Episcopis magna voluntate impertimus, eos pariter rogamus, ut iidem omnes, cum Christo et Nobiscum, eius in terris Vicario, artissime coniuncti, flagrantisque caritatis afflatu commoti, *sollicitudinem illam omnium ecclesiarum* (cfr. // *Cor.* 11, 28), quae Nostros aggravât humeros, leviorem adiutrice sua ipsorum opera efficere studeant.

Quoniam de facultatibus praestantissimis agitur, eas ita concedimus, ut aliis delegari ab Episcopis non possint, praeter quam Coadiutori, Auxiliaribus et Vicario Generali, nisi in singularum facultatum concessione aliud expresse caveatur.

Ad normam autem iuris vigentis, huiusmodi facultates, quas Episcopis residentialibus iure competere declaramus, competunt etiam iure Vicariis et Praefectis Apostolicis, Administratoribus Apostolicis permanenter constitutis, Abbatibus et Praelatis *nullius,* qui omnes in suo territorio iisdem iuribus et facultatibus gaudent, quae in propriis dioecesibus competunt Episcopis residentialibus. Et quamvis Vicarii et Praefecti Apostolici nequeant Vicarium Generalem constituere, iidem tamen has facultates, de quibus agitur, suo quisque Vicario Delegato legitime delegare valent.

Itaque, omnibus mature perpensis, pro Nostra reverentia atque caritate erga singulos catholicae Ecclesiae Episcopos, motu proprio ac Nostra Apostolica Auctoritate decernimus atque statuimus, ut a die VIII mensis Decembris huius anni MCMLXIII Episcopi statim legitime uti frui valeant facultatibus et privilegiis, quae sequuntur.

I - FACULTATES QUAE IURE EPISCOPO RESIDENTIALI COMPETUNT A MOMENTO CANONICE CAPTAE DIOECESIS POSSESSIONIS, QUAS TAMEN ALIIS, PRAETER QUAM EPISCOPIS COADIUTORI ET AUXILIARIBUS ATQUE VICARIO GENERALI, DELEGARE NON POTEST, NISI IN IISDEM EXPRESSE DICATUR.

1. Prorogandi, ex iusta causa, sed non ultra mensem, legitimum usum rescriptorum seu indultorum, quae ab Apostolica Sede concessa fuerint et exspiraverint, quin tempestive preces

pro eorum prorogatione ad eamdem Apostolicam Sedem missae sint : facta tamen obligatione statim ad ipsam recurrendi pro gratia aut, si petitio iam facta fuerit, pro responsione obtinenda.

2. Concedendi sacerdotibus ut, propter penuriam cleri et iusta de causa, Missam bis diebus ferialibus celebrare possint; et etiam ter diebus dominicis aliisque festis de praecepto, si vera necessitas pastoralis id postulet.

3. Permittendi sacerdotibus, qui bis vel ter Missam celebrent, ut aliquid per modum potus sumant, etsi non intercedat spatium unius horae ante celebrationem Missae.

4. Permittendi sacerdotibus, iusta de causa, Missam qualibet diei hora celebrare et communionem vespere distribuere, servatis de cetero servandis.

5. Concedendi facultatem sacerdotibus visivae potentiae debilitate laborantibus, vel alia infirmitate detentis, Missam votivam Deiparae Virginis aut defunctorum cotidie celebrandi, adhibita, quoties ea indigeant, alterius sacerdotis vel diaconi assistentia, atque de cetero servata Instructione a S. Rituum Congregatione edita die 15 Aprilis 1961.

6. Concedendi eamdem facultatem sacerdotibus omnino caecis, dummodo tamen semper adhibeatur alterius sacerdotis vel diaconi assistentia.

7. Concedendi sacerdotibus facultatem Missam celebrandi extra locum sacrum, sed loco honesto et decenti, numquam autem in cubiculo, super petra sacra, per modum actus ex iusta causa, habitualiter autem solummodo ex causa graviore.

8. Item, concedendi facultatem Missam ex iusta causa celebrandi in mari et in fluminibus, debitis adhibitis cautelis.

9. Concedendi facultatem sacerdotibus, indulto altaris portatilis fruentibus, ut, iusta et gravi de causa, pro petra sacra adhibere valeant Graecorum antimensium, vel linteum, ab Episcopo benedictum, in cuius angulo dextro sint reconditae reliquiae Sanctorum Martyrum, pariter ab Episcopo recognitae, servatis de cetero servandis iuxta rubricas, praesertim quoad tobaleas et corporale.

10. Concedendi sacerdotibus infirmis aut aetate provectis facultatem Missam celebrandi domi, non autem in cubiculo, singulis diebus, etiam festis sollemnioribus, servatis legibus liturgicis, sed cum licentia sedendi, si stare non possint.

11. Reducendi ob deminutionem redituum, quamdiu causa perduret, ad rationem eleemosynae in dioecesi legitime vigentis, Missas legatorum, quae sint per se stantia, dummodo nemo sit qui obligatione teneatur et utiliter cogi possit ad eleemosynae augmentum faciendum.

12. Item reducendi onera seu legata Missarum gravantium beneficia aliave instituta ecclesiastica, si reditus beneficii aut instituti insufficientes evaserint ad honestam beneficiarii sustentationem et ad implenda opera sacri ministerii forte beneficio adnexa, vel ad finem proprium eiusdem instituti ecclesiastici congruenter consequendum.

13. Concedendi cappellanis quorumlibet valetudinariorum, brephotropheorum et carcerum facultatem qua, parocho non praesente, fidelibus in periculo mortis constitutis sacramentum Confirmationis administrare valeant, servatis normis a S. Congregatione de disciplina Sacramentorum statutis decreto *Spiritus Sancti munera* d. 14 Septembris 1946, pro sacerdote administrante Sacramentum Confirmationis.

14. Concedendi confessariis scientia et prudentia conspicuis, facultatem fideles quoslibet absolvendi in actu sacramentalis confessionis ab omnibus censuris, etiam reservatis, exceptis tamen : *a)* censuris ab homine ; *b)* censuris specialissimo modo Apostolicae Sedi reservatis; *c)* censuris quae sunt adnexae revelationi secreti Sancti Officii; *d)* excommunicatione qua plectuntur sacerdotes omnesque cum illis matrimonium etiam civiliter tantum contrahere praesumentes et actu simul conviventes.

15. Dispensandi, iusta de causa, super ordinandorum defectu aetatis, qui sex integros menses non excedat.

16. Dispensandi super impedimento ad ordines, quo astringuntur filii acatholicorum, quamdiu parentes in suo errore permanent.

17. Dispensandi pro iam ordinatis ad effectum tam Missam celebrandi, quam consequendi et retinendi beneficia ecclesiastica, super quibuscumque irregularitatibus tum ex delicto, tum ex defectu provenientibus, dummodo exinde scandalum ne oriatur et dummodo altaris ministerium rite expleatur, exceptis tamen iis de quibus in can. 985, n. 3 et 4, C. I. C. et praevia

abiuratione in manibus absolventis, quando agitur de crimine haeresis vel schismatis.

18. Conferendi sacros ordines extra ecclesiam cathedralem et extra tempora, diebus ferialibus non exceptis, si utilitas pastoralis accedat.

19. Dispensandi, ex iusta et rationabili causa, super omnibus impedimentis matrimonialibus gradus minoris, etiam si agatur de matrimoniis mixtis, sed servatis in hoc casu praescriptis cann. 1061-1064 C. I. C.

20. Dispensandi, urgente iusta et gravi causa, super impedimentis mixtae religionis et disparitatis cultus, etiam in casu usus Privilegii Paulini, salvis praescriptis cann. 1061-1064 C. I. C.

21. Sanandi in radice, dummodo consensus perseveret, matrimonia invalida ex impedimentis gradus minoris, vel ex defectu formae, etiam si agatur de matrimoniis mixtis, sed servatis, in hoc casu, praescriptis can. 1061 C. I. C.

22. Sanandi in radice, dummodo consensus perseveret, matrimonia invalida ex impedimento disparitatis cultus, etiamsi invalida quoque sint ex defectu formae, servatis tamen praescriptis can. 1061 C. I. C.

23. Permittendi ut, accedente gravi causa, interpellatio coniugis infidelis ante baptismum partis quae ad fidem convertitur fieri possit; necnon, gravi pariter de causa, ab eadem interpellatione, ante baptismum partis quae convertitur, dispensandi ; dummodo hoc in casu ex processu saltem summario et extraiudiciali constet interpellationem fieri non posse, vel fore inutilem.

24. Reducendi, iusta de causa, obligationem qua Capitula cathedralia aut collegialia Canonicorum quotidie divina officia in choro rite persolvere tenentur, concedendo scilicet ut chorale servitium vel certis tantummodo diebus, vel aliqua solummodo parte definita absolvi possit.

25. Committendi nonnullis Canonicis, pro necessitate, munera sacri ministerii, magisterii, apostolatus explenda cum excusatione a choro, salvo iure percipiendi fructus praebendae, non autem distributiones sive *inter praesentes,* quae dicuntur, sive cotidianas.

26. Commutandi, ob visivae potentiae debilitatem aut aliam

causam, eaque durante, officium divinum in cotidianam recitationem saltem tertiae partis rosarii B. Mariae Virginis vel aliarum precum.

27. Deputandi in casibus particularibus, vel ad tempus, Vicarium Generalem aut alium sacerdotem in dignitate constitutum, ad consecranda altaria portatilia, calices et patenas, iuxta formam in Pontificali praescriptam et adhibitis sacris oleis ab Episcopo benedictis.

28. Permittendi clericis minoribus, religiosis laicis, necnon piis mulieribus ut pallas, corporalia et purificatoria prima quoque ablutione extergere possint.

29. xUtendi facultatibus et privilegiis, servato ipsorum ambitu et tenore, quibus Religiones in dioecesi domum habentes gaudent in bonum fidelium.

30. Concedendi sacerdotibus facultatem, qua, ritibus ab Ecclesia praescriptis, stationes *Viae Crucis* erigere valeant, etiam sub divo, cum omnibus indulgentiis quae huiusmodi pium exercitium per agentibus impertitae sunt. Quae tamen facultas exerceri non potest in territorio paroeciali, ubi sita est domus religiosorum qui ex apostolica concessione privilegio gaudent erigendi *Viae Crucis* stationes.

31. Admittendi in Seminario filios illegitimos, si qualitates praebeant, quae pro admissione in Seminarium requiruntur, dummodo ne agatur de adulterinis aut sacrilegis.

32. Concedendi licentiam ut, legitima interveniente causa, bona ecclesiastica alienari, oppignerari, hypothecae nomine obligari, locari, emphyteusi redimi possint, et personae morales ecclesiasticae aes alienum contrahere valeant, usque aol eam pecuniae summam, quam nationalis aut regionalis Conferentia Episcoporum proposuerit et Apostolica Sedes adprobaverit.

33. Confirmandi usque ad quintum triennium confessarium ordinarium religiosarum, si ob sacerdotum ad hoc officium idoneorum penuriam aliter provideri nequeat, vel maior religiosarum pars, earum quoque quae in aliis negotiis ius non habent ferendi suffragium, in eiusdem confessarii confirmationem, per secreta suffragia, convenerit: dissentientibus tamen, si velint, aliter providendum erit.

34. Ingrediendi, iusta de causa, intra clausuram pontificiam monasteriorum monialium, quae sita sunt in sua dioecesi, et

permittendi, iusta et gravi de causa, ut alii in clausuram admittantur^ ac moniales ex ipsa egrediantur: ad tempus vere necessarium.

35. Dispensandi, ad petitionem Superioris competentis, super impedimento quo detinentur admittendi in Religionem, qui sectae acatholicae adhaeserunt.

36. Dispensandi, ad petitionem Superioris competentis, super illegitimitate natalium admittendos in Religionem qui sint sacerdotio destinati, et etiam alios si et ipsi ex praescripto Constitutionum in Religionem admitti prohibeantur. Sed in utroque casu dispensari nequeunt adulterini vel sacrilegi.

37. Condonandi ex toto vel ex parte, ad petitionem Superioris competentis, dotem quam afferre debent postulantes admittendae in monasteria monialium vel in aliam Religionem etiam iuris pontificii.

38. Permittendi sodalibus religiosis transitum ab una ad aliam Religionem iuris dioecesani.

39. Dimittendi e dioecesi, urgente gravissima causa, sodales singulos religiosos, si eorum Superior maior monitus prospicere neglexerit, re tamen ad Apostolicam Sedem statim delata.

40. Concedendi, etiam per alios prudentes et idoneos viros, singulis sibi subditis fidelibus licentiam legendi ac retinendi, sub custodia tamen ne ad aliorum manus perveniant, libros et ephemerides prohibita, iis non exceptis quae haeresim vel schisma ex professo propugnent, aut ipsa religionis fundamenta evertere nitantur. Haec autem licentia iis tantum concedi potest qui librorum et ephemeridum prohibitorum lectione indigeant aut ad eadem impugnanda, aut ad proprium munus rite explendum, aut ad studiorum curriculum legitime peragendum.

II - PRIVILEGIA QUAE, PRAETER ALIA IN CODICE IURIS CANONICI SUIS IN TITULIS ENUMERATA, OMNIBUS EPISCOPIS SIVE RESIDENTIALIBUS SIVE TITULARIBUS COMPETUNT AB ACCEPTA AUTHENTICA NOTITIA CANONICAE PROVISIONIS :

1. Verbum Dei ubique terrarum praedicandi, nisi loci Ordinarius expresse renuerit.

2. Confessiones fidelium, etiam religiosarum, ubique terrarum audiendi, nisi loci Ordinarius expresse renuerit.

3. Fideles quoslibet ubique absolvendi ab omnibus peccatis reservatis, excepto tamen peccato falsae delationis, qua sacerdos innocens accusatur de crimine sollicitationis apud iudices ecclesiasticos.

4. Fideles quoslibet ubique absolvendi in actu sacramentalis confessionis ab omnibus censuris, etiam reservatis, exceptis tamen: *a)* censuris ab homine; *b)* censuris specialissimo modo Apostolicae Sedi reservatis; *c)* censuris quae sunt adnexae revelationi secreti Sancti Officii; *d)* excommunicatione qua plectuntur sacerdotes omnesque cum illis matrimonium etiam civiliter tantum contrahere praesumentes et actu simul conviventes.

Hac facultate Episcopi residentiales pro suis subditis uti possunt etiam pro foro externo.

5. Sanctissimam Eucharistiam in suo oratorio domestico asservandi, dummodo legum liturgicarum praescripta rite serventur.

6. Missam celebrandi iusta de causa qualibet diei hora, et Communionem etiam vespere distribuendi, servatis de cetero servandis.

7. Benedicendi ubique solo signo crucis, cum omnibus indulgentiis a Sancta Sede concedi solitis, rosaría aliasque coronas precatorias, cruces, numismata, scapularia a Sede Apostolica probata eaque imponendi sine onere inscriptionis.

8. Sub unica benedictione erigendi, in ecclesiis et oratoriis etiam privatis aliisque piis locis, stationes *Viae Crucis* cum omnibus indulgentiis, quae huiusmodi pium exercitium peragentibus impertitae sunt.

Has facultates, haec privilegia perlibenter Fratribus Nostris in Episcopatu concedimus, ea mente et voluntate, quam supra declaravimus; ut nempe haec demum universa ad decus et ad utilitatem pertineant sanctissimae Christi Ecclesiae, cui Nos Nostraque debemus omnia.

Contrariis quibusvis non obstantibus, etiam speciali mentione dignis.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die xxx mensis Novembris anno MDCCCCLXIII, Pontificatus Nostri primo.

PAULUS PP. VI

LITTERAE APOSTOLICAE

I

Sancta Martha caelestis Patrona deversoriorum Italiae dominorum, ministrorum mensarumque famulorum, seu « Albergatori e Lavoratori degli alberghi e delle mense », eligitur.

PAULUS PP. VI

Ad perpetuam rei memoriam. — « Hospes eram et collegistis me)) *(Mt.* 25, 35) : haec Christi Domini verba, qui se redditurum spondet unicuique secundum opera eius, quanti sit momenti ea animi virtus, cui hospitalitatis nomen est inditum, praeclare ostendunt. Atque Ecclesia, evangelicae legis custos diligentissima, dictis quidem ac multo magis suis institutis numquam fidelibus desiit suadere hospitem benevole humaneque esse excipiendum, ita ut, quod esset apud ethnicas quoque nationes summo in honore praeceptum, idem unum e misericordiae officiis fieret germanaeque caritatis indicium haberetur certissimum. Neque huiusce vim virtutis nostra aetate excidisse putandum est, quin immo ob increbescentes inter homines necessitudines, immutatis socialis convictus modis, dataque praeterea opportunitate itinera etiam delectationis causa suscipiendi, firmius id munus ac magis necessarium esse factum dicere non dubitamus. Hodie etenim, locis praesertim ob caeli amoenitatem bonamque aëris temperationem salubribus, quadam quasi constituta disciplina plurima inveniuntur deversoria, quae viatoribus recipiendis quam commodissime sunt instructa, ideoque ad feriandum vel rusticandum aptissima; totque sunt ii qui publico huiusmodi ministerio dant operam, ut domini vel famuli vel tricliniarii, ut novum quasi ordinem in hominum societate efficiant. His porro viris caelesti patrocinio exemplarique nobilissimo — id firmo animi iudicio asseverami — est opus, ut liberalitati^ speciem suae vitae moribus referant, omnique insidiarum genere prohibeantur, utque fidem religionemque constanter retineant. Ad hoc quod attinet, iterum divini Libri pagina succurrit, in qua mulier quaedam, Martha nomine, humile sed liberale hospitium Christo Dei Filio dicitur praebuisse (cf. *Lc.* 10, 38-40). Illa quidem « satagebat circa frequens ministerium », atque una cum fratre et sorore tanti Hospitis gratia, beneficio, alloquio fruita est. Haec autem secum reputans, Venerabilis Frater Dinus Aloisius Romoli, Episcopus

dioecesis Pisciensis, cuius finibus urbes et oppida continentur multis deversoriis domibusque hospitalibus affluentia, scripsit ad Nos, ut No strae vi potestatis Sanctam Martham eorum, quos supra diximus, civium ordinis Patronam renuntiaremus. Cui voto libentissime satisfacere statuimus, cum praesertim alii quoque sacrorum Antistites ipsique moderatores foederatarum sodalitatum Italicarum rei deversoriae ac voluptatis itineribus procurandis, seu, ut aiunt, « Federazione Associazioni Italiane Alberghi e Turismo », in idem devenerint consilium. Quapropter, omnibus attente perpensis, ex Sacrae Rituum Congregationis consulto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum Sanctam Martham omnibus Italiae deversoriorum dominis et ministris mensarumque famulis, seu « Albergatori e Lavoratori degli alberghi e delle mense », caelestem apud Deum *Patronam* decernimus ac constituimus, omnibus adiectis honoribus et privilegiis liturgicis, quae coetuum Patronis rite competunt. Contrariis quibusvis nihil obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere ; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere ; illisque, ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum ; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die i mensis Iulii, anno MCMLXIII, Pontificatus Nostri primo.

Œ HAMLETUS I. Card. CICOGNANI
a publicis Ecclesiae negotiis

II

Beata Maria Virgo, « Nostra Domina a Ss.mo Sacramento » appellata, caelestis Patrona et Congregationis Presbyterorum et Societatis Ancillarum a Ss.mo Sacramento eligitur.

PAULUS PP. VI

Ad perpetuam rei memoriam. — Nomen recens esse, sed rem antiquissimam professus est, de Nostra Domina a Ssmo Sacramento cum suis colloquens filiis, S. Petrus Iulianus Eymard, indefatigatos ille divinae

Eucharistiae Apostolus, cui superiore anno Ioannes Pp. XXIII, Decessor Noster imm. rec, caelestes honores decrevit. Singularis enim appellationis inventor, ea qua praestabat animi acie, quippe qui cum Deo coniunctissime viveret, quot et magnificáe et arcanae rationes Virgini Mariae cum amoris Sacramento intercédèrent penitus perspexerat, ideoque novum mariali serto titulum honoris quasi gemmam addiderat pretiosam. Nonne — ita secum virum illum cogitavisse merito quis arbitretur — ab Ecclesia Eucharistia ut « verum corpus, natum de Maria Virgine)) salutatur? Nonne Virgo in terrestri suae vitae cursu vivum fuit tabernaculum Christi Iesu, quem ipsa genuit et adoravit et dedit et ostendit hominibus? Nonne ergo cuilibet adoratori, in primis vero sacerdoti, qui tanti Sacramenti administer est constitutus, tamquam perfecti cultus exemplar eadem Virgo erit habenda et invocanda? His profecto impulsus causis, Petrus Iulianus religiosis, quas condiderat, societatibus uberrimum fontem pietatis aperuit, iisque Mariam illo nomine appellandam, iam moriturus, excelsam Patronam reliquit, idque mandavit, ut sodales omnes in consectando sui instituti proposito, quod circa Ssmae Eucharistiae cultum versatur, nomen, personam, virtutem celebrarent Eius, quae prima Dei Verbum, hominem factum, venerata esset. Cui legiferi patris praecepto Congregationem Presbyterorum a Ssmo Sacramento paruisse ac parere novimus probamusque. Nuper autem dilectus filius Procurator Generalis eiusdem sodalitatis, Supremi Consilii iussu nomineque omnium religiosarum provinciarum, submisse Nos rogavit, ut Dominae a Ssmo Sacramento patrocinium sollemni ac publica ratione probaremus. Nos autem fore confisi, ut religiosi illi viri, adiumento ac deprecatione Augustae Deiparae usi, propositam sibi perfectionem assequantur et ad apostolicos labores pro Christi regno subeundos quam maxime accendantur, precibus huiusmodi libenter statuimus obsecundare. Itaque, e Sacrae Rituum Congregationis consulto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum, Beatissinam Virginem Mariam, «Dominam Nostram a Ssmo Sacramento» appellatam, principalem et Congregationis Presbyterorum a Ssmo Sacramento et Societatis Ancillarum a Ssmo Sacramento caelestem apud Deum *Patronam* constituimus ac declaramus, omnibus adiectis honoribus et privilegiis liturgicis, quae praecipuis coetuum Patronis rite competunt. Contrariis quibusvis nihil obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas, atque efficaces iugiter exstare ac permanere ; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere ;

illisque, ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xvui mensis Septembris, anno MCMLXIII, Pontificatus Nostri primo.

© HAMLETUS I. Card. CICOGNANI
a publicis Ecclesiae negotiis

III

Beata Maria Virgo, « del Roble » vulgo appellata, principalis caelestis Patrona archidioecesis Monterreyensis constituitur.

PAULUS PP. VI

Ad perpetuam rei memoriam. — Impensa religione mariali cives Monterreyenses et vicinitas teneri perhibentur, siquidem imaginem almae Deiparae, quae « del Roble » vulgo appellatur, studiose excolunt idque ab ipsis fere urbis initiis. Nec deest pientissima Mater supplici plebi, quod munera sua ibidem haud intermisse dilargitur et validissimam se praebet adiutricem. Quae quidem imago, ut opinio fert a maioribus accepta, extra moenia parvi tum oppidi, recens conditi, a quadam puella gregem pascente inventa est in cavo stipite quercus, miro splendore fulgentis et odore perfusae suavissimo. Translatam vero in maximum templum, effigiem eadem in arbore tradunt iterum iterumque esse repertam. Quam ob rem Christifideles, pietatis studio infiammati, eo loco sacram aedem voto concepto exstruxerunt; qua procedente tempore deleta, amplior ecclesia est cura impigra excitata. Quae cum esset prona in ruinam, praeterito saeculo templum, mole et opere spectabile, Monterreyenses eiusdem Virginis augustae honori aedificarunt. Ne huius quidem repentina strages eorum animos fregit, atque adeo sacrarium, tot laudibus insigne, sollerter in praesens reiicitur et adornatur. Summa vero cum fidelium frequentia, summa cum alacritate dies festus, qui est xvni mensis Decembris, quotannis agitur ad celebrandam Genetricis Dei dignitatem atque praesidium. Volens autem huiusmodi pietatem vel maio-

ribus provehere auctibus, Venerabilis Frater Alfonsus Espino y Silva, Monterreyensis Archiepiscopus, vota quoque significans cleri populique suis curis commissi, Nos rogavit, ut Beatam Mariam Virginem, cui vulgare nomen « del Roble » adicitur cuiusque imago in praedicto templo, Liberianae Basilicae aggregato, est proposita, praecipuam iurisdictionis suae Patronam renuntiaremus. Quibus precibus libenti animo concedentes, Nos e Sacrae Rituum Congregationis consulto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum Beatam Mariam Virginem, « del Roble » appellatam, principalem archidioecesis Monterreyensis apud Deum *Patronam* constituimus ac declaramus, omnibus additis honoribus et privilegiis liturgicis, praecipuis competentibus locorum Patronis. Contrariis quibusvis non obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas et efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque, ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xiv mensis Octobris, anno MCMLXIII, Pontificatus Nostri primo.

© **HAMLETUS** I. Card. **CICOÖNANI**
a publicis Ecclesiae negotiis

IV

Venerabilis Dei Famulus Nuntius Sulprizio, adulescens laicus, Beatus renuntiatur.

PAULUS PP. VI

Ad perpetuam rei memoriam. — Nuntium salubre afferens huius aetatis hominibus, testimonium dicimus pietatis, castimoniae, patientiae, operis christiano animo facti, Nuntius Sulprizio meritis hodie celebratur praeconiis. Adulescens enim opifex e laicorum ordine et vulgo sollemni

Ecclesiae ritu iis accensetur, qui summa gloria, Beatorum Caelitum propria, affluunt. Cuius quidem terrestris incolatus brevi undeviginti annorum spatio computatur, *sed erat senectus mentis immensa;* [1] palmam victoriae tulit, qui in palaestram vix erat ingressus : *mirentur viri, non desiderent parvuli;* [2] non igitur spes eorum infringatur, qui ab innocentia Famuli Dei se longius confitentur abesse, habent, quem sequantur, paenitentem ; habent, cuius fortitudinem imitentur, qui aerumnis premuntur ; habent, de quo capiant exemplum, qui labori insudant, maxime e subole iuventutis, ut vitae rationibus consulant. Italia, filiorum sanctimoniae laude illustrium parens fecunda et altrix, quae Aloisium Gonzagam, Gabrielem a Virgine Perdolente, Dominicum Savio quasi candidos flagrantesque protulit flores, hoc quoque suavissimum edidit germen. Humilis sutor Dominicus Sulprizio eiusque uxor Dominica Rosa Luciani, tenui laborantes fortuna sed christianae vitae divitiis locupletes, filium sibi die tertia decima mensis Aprilis anno millesimo octingentesimo septimo decimo natum in remoto pago Aprutino Pesculo Sampsonisco, eadem die, dominica in albis, christianae familiae per regenerationis lavacrum inserendum curarunt. Tunc Nuntii nomen ei est impositum ob religionem augustae Virginis Mariae, quae ab angelo salutata mirabile nuntium se Dei Matrem fore accepit. Domestica usus disciplina, pietatis didicit rudimenta et, tertium agens annum, iam chrismate sancto fuit inunctus. Sed ei non diu riserunt parentes : pater enim, pauperis domus praesidium, immatura morte mox est ademptus, qua de causa mater ad secundas transiit nuptias. Nec multo post, cum sortitus esset vitricum asperum, tenellus pusio, carissima parente e vivis erepta, maternis est destitutus blanditiis. In tanto luctu iacèntem pupillum piissima avia, Anna Rosaria, curis amantibus fovit ; at brevi iterum lumen, quo parvulus calefiebat, est exstinctum; illa enim defuncta, Nuntius veluti tertio est redditus orphanus. Memoria eiusdem egregiae mulieris, quae eum ad cultum divinum virtutisque exercitationem studiose induxit, semper menti eius haerebat. Quem postea, anno millesimo octingentesimo vicesimo sexto, domum suam receptum avunculus, faber ferrarius, vir saevus et violens, duriori pro aetate operi in officina addixit, impediens, ne inchoatis se dederet litterarum disciplinis, cibo victuque eum fraudans necessario, conviens obruens, afficiens plagis. Cuius iussu puer,

[1] **Cfr. *Off. S. Agnetis.***
[2] **Cfr. S. Ambros., *De virg.* I, 2; *V.L.* 16, 200.**

nimio pondere onustus, per montium salebrosos calles hieme gelida ac nivosa enitebatur, ut ferra iis, qui mandaverant, traderet. Quae omnia sine ulla querimonia quin immo patienti hilarique animo pertulit, qui nullum apud homines inveniebat solacium, sed unum sibi patrem esse Deum sentiebat. Tamen improbo labore vires eius attritae sunt et crus carie infestatum, ita ut baculo inniti cogeretur. Augebant malum scintillae e ferro candefacto erumpentes, quae nudos pedes miseri tironis opificis verberabant. Nihilominus crudelis erus, nullam levationem concedens, ut infirmus fabrilia tractaret, imperavit. Cum quadam die vulnus in fonte purgaret, infortunatus adulescentulus a mulieribus aquam haurientibus vestesque lavantibus est petitus lapidibus, quod lympham inquinaret. Aufugit ille anhelitum ducens et populare cecinit carmen ((Vivat Maria)). In devium locum, quo tunc se abdiderat quique « Ripa rubra » appellabatur, saepe in posterum redibat, ut in parvo puteo ulcus ablueret et, abstractus ab hominum frequentia, totum se piis precibus cum Deo coniungeret. Tandem avunculus sibi persuasit puerum corpore exhausto et e vulnere verminoso laborantem, quod ossa ipsa erodebat, nihil sibi utilitatis praebere. Quam ob rem is in publicum valetudinarium Aquilanum est deductus, ubi aliquandiu, pacis perfruens bono, decubuit. Sed, cum vulnus insanabile esse medici pronuntiassent, inde dimissus, in patrium pagum revertit, ubi non a miserente sui familiari est exceptus sed a maledicta in se congerente avúnculo. Nuntius vero, immensis doloribus obnoxium Christum considerans, se non merere putavit, ut loco meliore haberetur, et in hanc est locutus sententiam : « Paulum refert me cruciatu divexari, dummodo animam meam possim salvare ». Itaque ad sanctimoniam celeri gradu contendit, qui crucis mysterium penitus habebat comprehensum, adeo ut recte in eum cadant haec verba Divini Magistri : *Confiteor tibi, Pater, Domine caeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis.*[3] Tandem patruo Francisco Sulprizio auctore, qui Neapoli faciebat stipendia, lacrimabili statui Famuli Dei est aliquo modo prospectum ; nam rogatus ab illo Felix Wochinger, praefectus militum, vir caritate spectatissimus, infelicium hospitium, ea in urbe, infelici iussit patere. Nuntius igitur, avúnculo fabro supremum osculum ferens et gratias agens — mireris sane adulescentis animum simplicem et iniuriarum immemorem — anno millesimo octingentesimo trigesimo

***Matth. 11*, 25.**

secundo Neapolim se contulit, ut se in valetudinarium Sanctae Mariae a populo, *degli Incurabili* vulgo appellatum, in quo infirmi egeni degebant, reciperet. Ibi pietatis, patientiae, caritatis, studii salutis alienae specimina dedit rarissima. Quis enim verbis exprimere potest, quanto dilectionis ardore incensus Deum amaverit et interdiu noctuque, sevocata etiam a corpore mente, sit precatus, quanta cum laetitia spirituali ibi Eucharisticum epulum sumpserit primum eoque pasci perrexerit, quanta cum sedulitate Virginem Matrem omnibus coluerit officiis filii? Immutabili cum aequitate aegritudinis molestias tolerans, munus etiam quoddam apostolicum obiit, id est solator exstitit iis, qui erant doloris consortes. Videres ergo claudum iuvenem lectos circumeuntem, ut afflictorum erigerei animos, religionis neglegentes ad caelestem Patrem reduceret, peccatores ad paenitentiam agendam componeret, iis, quibus opus erat, remedia porrigeret et quovis ministerio etiam humillimo inserviret. Quidquid doni a patrono suo, exercitus praefecto, acceperat, volens distribuit, ut inops inopum sublevaret miseriam. Sua aliorumque deflens admissa, castigationibus ultro susceptis in se animadvertit nihilque iam praeter sanctitatem expetivit; castimoniae decus servans illibatum, odorem Christi quoquoversus sparsit, ita ut ((sanctum » eum passim voeitarent. Ingravescente morbo, quo dolores immensum augescebant, Famulus Dei in Aenaria insula aliquandiu est moratus, ut salubris fontibus aquae corpori mederetur; sed cum nihil profecisset, Neapolitanum illud hospitium, divinae voluntati se plane permittens, repetiit. Praefectus deinde militum, non solum ut efiicientiorem curationem adhiberet pupillo, sed etiam ut hoc exemplum virtutis praesens continenter intueretur, in ((Arcem Novam)) seu ((Andecavinam », opere rebusque gestis nobilem et caerulei maris prospectu amoenam, ubi ipse habitabat, eum traduxit. Qui iis in aedibus coepit meliusculus esse, ita ut spes affulgeret eum e morbo esse evasurum. Cum in Aenaria insula, qua saepius valetudinis causa est missus, aliquid temporis transigerei iterum, ad sacerdotium ardentius aspiravit et linguae Latinae studia exercuit ingenio facili, sibi proponens austerioris vitae instituto in religiosa familia sese astringere. Tamen vehemens aegritudo rursus eum oppressit. In Arcis illius cubiculo sibi attributo coram imagine Iesu Infantis et almae Deiparae precationibus faciendis horas duxit permultas, ita ut milites aliique « claudicanteni puerum sanctum » communi extollerent laude. Servorum etiam animos, quorum incuriam atque despectionem, assuetus Christi dolores in se effingere, mitissime ferebat,

sibi conciliavit. Sed, muneribus supernaturalibus pollens, cui vires naturae fere nullae suppetebant, et in caelo defixus, qui saeculi sordes non noverat, ad exoptatam illam sedem supernam iam properavit. Cum ingens vis morbi eum esset adorta, ita ut nullus requiei locus, nulla motus ei daretur facultas, medicae artis periti crus amputandum esse censuerunt; cui quidem rei fidelis Dei Famulus haudquaquam obnisus, vitae tamen exitum sibi instare praesensit. Non temperabant a lacrimis, quotquot eum tum aspiciebant doloribus excruciatum sed animo tranquillo et pacato Iesu amplexum praestolantem. Die igitur quinta mensis Maii, Deiparae Virgini sacri, anno millesimo octingentesimo trigesimo sexto, Eucharistica dape summa cum pietate refectus, lectissimus adulescens brevis aevi vitam ea in urbe univit, ut sempiternam eamque beatissimam in caelo inchoaret ; lumina clausuras, haec effatus est verba suprema : « Beata Maria Virgo ! Videte quam pulchra sit »! — et angelus ad angelos evolavit. Funus « claudicantis pueri sancti » populus Neapolitanus perfrequens est prosecutus, qui singularem virtutem illius mira alacritate praedicavit. Hac fama in dies percrebrescente, quam Deus miraculis visus est comprobare, Causa de Beatorum Caelitum honoribus Famulo Dei decernendis coepta est agi, atque post ordinarios, quos vocant, processus, Commissio introductionis Causae a Pio Pp. IX, Decessore Nostro rec. mem., die quarta decima mensis Iulii anno millesimo octingentesimo undesexagesimo obsignata. Apostolicis deinde inquisitionibus absolutis, de virtutibus theologalibus et cardinalibus Venerabilis Nuntii Sulprizio est disceptatum; quas, omnibus perspectis et expensis, a Famulo Dei heroum in modum cultas esse Leo Pp. XIII, item Decessor Noster, die vicesima prima mensis Iunii anno millesimo octingentesimo nonagésimo primo edixit. Exercita deinde quaestione de miraculis, quae, eiusdem nomine invocato, a Deo ferebantur patrata, omnique re in suetis comitiis diligenter exquisita, Ioannes Pp. XXIII, lato Decreto die septima mensis Martii hoc anno millesimo nongentesimo sexagesimo tertio, de duobus pronuntiavit constare. Unum igitur superfuit discutiendum, num Famulus Dei inter Beatos Caelites tuto foret recensendus. Quod quidem factum est ; Purpurati enim Patres sacris Ritibus tuendis praepositi, Praelati Officiales Patresque Consultores id fieri posse cunctis sententiis affirmarunt. Quorum exceptis suffragiis Deoque enixis adhibitis precibus, Nos die sexta mensis Septembris anno millesimo nongentesimo sexagesimo tertio ad Venerabilis Famuli Dei Nuntii Sulprizio sollemnem Beatificationem *tuto* procedi

posse ediximus. Quae cum ita sint, Nos, vota Christifidelium, maxime ex Italia, implentes, harum Litterarum vi et auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus, ut Venerabilis Famulus Dei Nuntius Sulprizio, adulescens laicus, *Beati* nomine in posterum appelletur, eiusque corpus et lipsana, seu reliquiae, non tamen in sollemnibus supplicationibus deferendae, publicae Christifidelium venerationi proponantur, atque etiam, ut eiusdem Beati imagines radiis decorentur. Praeterea eadem auctoritate Nostra concedimus, ut de illo quotannis recitetur Officium de Communi Confessorum non Pontificum cum lectionibus propriis per Nos approbatis, et Missa de eodem Communi cum orationibus propriis approbatis celebretur iuxta Missalis et Breviarii Romani rubricas. Huiusmodi vero Officii recitationem Missaeque celebrationem fieri dumtaxat largimur in dioecesi Pinnensi-Piscariensi, cuius intra fines Beatus ipse ortus est, et in archidioecesi Neapolitana, in qua diem obiit supremum, ab omnibus Christifidelibus, qui horas canonicas recitare teneantur, et, quod ad Missas attinet, ab omnibus sacerdotibus, ad templa seu sacella, in quibus Beati eiusdem festum agatur, convenientibus. Largimur denique, ut sollemnia Beatificationis Venerabilis Nuntii Sulprizio, servatis servandis, praedictis in templis seu sacellis celebrentur, diebus legitima auctoritate statuendis, intra annum postquam sollemnia eadem in Sacrosancta Patriarchali Basilica Vaticana fuerint peracta. Non obstantibus Constitutionibus ed Ordinationibus Apostolicis ac Decretis de non cultu editis ceterisque quibuslibet contrariis. Volumus autem, ut harum Litterarum exemplis, etiam impressis, dummodo manu Secretarii Sacrae Rituum Congregationis sint subscripta eiusdemque Congregationis sigillo munita, etiam in iudicialibus disceptationibus eadem prorsus fides adhibeatur, quae Nostrae voluntatis significationi, hisce ostensis Litteris, haberetur.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die r mensis Decembris, dominica I Adventus, anno MCMLXIII, Pontificatus Nostri primo.

© HAMLETUS I. Card. CICOGNANI
a publicis Ecclesiae negotiis

EPISTULA

Ad Rev.mum P. Mauritium Quéguiner, Moderatorem Generalem Societatis Parisiensis missionum ad exteras gentes, tertio saeculo volvente ab eadem Societate constituta.

PAULUS PP. VI

Dilecte fili, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Ad Ecclesiam, quae nunc cum maxime menti obversatur, quod Concilium Oecumenicum Vaticanum Secundum diligenter in eius inquirit mysterium, pertinet, ut vim vigoremque suum explicet et salutis nuntium ad quam plurimos homines perferat. Est ergo suapte natura missionalis, cuius Caput, Iesus Christus, praecepit : *Euntes in mundum universum praedicat e Evangelium omni creaturae.*[1]

Inter Instituta vero, quae, Ecclesia iubente, moderante, hoc mandatum dominicum exsequi peculiari ratione sibi proposuerunt, Societas Parisiensis missionum ad exteras gentes, cui tu, dilecte fili, praees, non obscurum obtinet locum. Quod ab ea condita tria in praesenti saecula explentur, tibi tuisque sodalibus merito praebet laetitiae causam, Nobis vero occasionem vobis gratulandi et opus per hoc temporis spatium egregie patratum cum laude agnoscendi.

Crevit ex parvo, ut fieri consuevit, Societas vestra, id est e Seminario Lutetiae Parisiorum anno MDCLXIII propter hoc tantum constituto, ut Evangelio inter ethnicos disseminando idonei pararentur praecones. Cui incepto, tunc temporis novo, Sacrum Consilium nomini christiano propagando favit, normas de re missionali edens, quas sapientissimas esse rerum usus probavit; atque adeo ab ea Sacra Congregatione vos veluti ortum ducere existimatis.

Postea, difficultatibus constanti animo evictis, Societas ista laetis est aucta incrementis, quod attinet sive ad sodalium numerum sive ad opera, quae exercentur. Amplissimam sane fructuum copiam, Deo propitio largiente, colligere per tria haec saecula datum est vobis, quippe qui Fidem in longinquas regiones, Asiae praesertim, inferre et illatam firmare studueritis.

Hoc vero imprimis laudi est vobis habendum, quod ab ipsis Societatis initiis et ex eius instituto estis annisi, ut ex autochthonibus seli-

[1] ***Marc.*** **16, 15.**

geretis, quos ad sacrum sacerdotii munus obeundum invenissetîs idoneos, et ad id compararetis. Quam sagaciter, sollerter, fructuose rem eiusmodi sitis persecuti, posteriora tempora, maxime haec, quibus vitam transigimi, testantur. Ut sinceri Ecclesiae filii et Evangelii nuntii eo praeterea contendistis, ut in regionibus missionali labore excolendis viam panderetis sacrae hierarchiae rite constituendae. Nec ignoramus Christifidelium animos in patria vos incendisse ad praeclaram causam divini verbi ethnicis annuntiandi, siquidem consociatio pro missionibus preces fundentium opemque iis ferentium a vobis est instituta, quam Pius VII, Decessor Noster, approbavit, vestroque auxilio aliae provectae sunt sodalitates huiusmodi.

Vobis autem summae ducitur laudi, quod plures socii vestri sanguine effuso Fidem asseruerunt, ex quibus novem Beatorum Caelitum honoribus sunt decorati. Licet igitur haec S. Augustini verba non immerito ad eos trasferre : *Mortui sunt martyres, multiplicata est magis Ecclesia, crescit per omnes gentes nomen Christi.*[2]

Paterna autem caritate vos complectentes, in huius anniversariae memoriae gaudiis, rogamus, ut eximiam hereditatem a maioribus traditam, integram servetis, et necessitatum horum temporum rationem habentes, quantum fieri potest, augeatis. Assidua vobis cura erit, ut Sedi Petri, cui pascendas oves Dominus commendavit, fideliter in posterum quoque inhaereatis, et Ecclesiae Sanctae gregisque Christi emolumenta, vestris etiam commodis posthabitis, consectemini.

Novimus Episcopos Galliae, in publicum Conventum congregatos, permagna vobis attulisse adiumenta usque ad aetatem, qua ea in regione facta est rerum conversio. Expedire ergo videtur, ut cum hodierno Coetu sacrorum Antistitum Galliae, qui in rem etiam missionalem cogitationes et curas intendit, agatis, quo efficientius officio pastorali vestro satisfacere possitis, nihil tamen detrahentes de oboedientia, qua estis Consilio nomini christiano propagando obstricti. Nec dubitamus, quin sacris Pastoribus earum regionum, ubi in proferendis finibus Regni Christi desudatis, deservituri sitis immutato cum studio, quod scilicet aliena commoda quaerit, propria neglegit.

Ut iam supra significavimus, pia industria vestra in Asiam, amplissimam omnium continentem, excurrit. Cuius momentum non est qui ignoret, siquidem frequentissima est incolarum numero, qui continenter accrescit, civili cultu eoque vetustissimo excellit, ingeniis ad divina pro-

[2] ***Enarr. in Ps.* 40, 1 ; *P. h.* 36, 454.**

clivibus est insignis, nunc vero, novo quodam impulsu in recónditas disciplinas, artes technicas aliasque vitae utilitates vehementius fertur. Ut hae immensae spatiis regiones Ecclesiae Dei adiungantur, omni est ope allaborandum, quamvis difficultates gravissimae obstare videantur. Flammescat igitur his in saecularibus sollemnibus ardor apostolicus vester vosque adducat, ut in tanti ponderis rem vitam omnem impendatis.

Haec agentes institutum vestrum integrum servabitis vosque veros praebebitis alumnos et ministros Ecclesiae, quae vos genuit, aluit, vobis fidem habet multumque sperat de vobis : hanc *matrem vestram, tamquam supernam Ierusalem sanctam civitatem Dei, honorate, diligit e, praedicate.*[3]

Nos denique, qui per hanc epistulam faustam celebrationem istam aliquo modo participare voluimus, tibi, dilecte fili, sodalibus Societatis, cui moderaris, eiusque adiutoribus, omnibus denique, qui sollemnibus ob eam anniversariam memoriam agendis intererunt, Benedictionem Apostolicam, paternae voluntatis Nostrae testem ac supernorum munerum auspicem, libenter in Domino impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die **III** mensis Decembris, anno **MCMLXIII**, Pontificatus Nostri primo.

PAULUS PP. VI

ALLOCUTIONES

I

Habita in Basilica Vaticana, Clero et Christifidelibus adstantibus, iis praesertim qui e regione Aprutina et Campana Romam peregrinati sunt, ut sollemni ritui beatificationis Ven. Famuli Dei Nuntii Sulprizio interessent. *

Oggi si conclude felicemente una causa di beatificazione, che si protrae da oltre un secolo, ma che la fama di santità dalla quale il nuovo Beato, Nunzio Sulprizio, in vita ed in morte fu subito circondato, aveva già positivamente risolto.

Nunzio Sulprizio chiudeva santamente la sua vita mortale a Napoli,

[3] **Aug.,** ***Sermo*** **214, 11;** ***P. L.*** **38, 1071.**

*** Die 1 Decembris mensis a. 1963.**

il 5 maggio 1836, a soli diciannove anni. Fin dal luglio 1859 Pio IX lo dichiarava venerabile emanando il Decreto, che introduceva il processo ora giunto a buon termine, mentre nel 1891 Leone XIII riconosceva eroiche le virtù del giovane abruzzese e ne associava la figura a quella di San Luigi Gonzaga, nella memoria del terzo centenario della morte di questo Santo, per la devozione di Nunzio Sulprizio verso di lui, e per la breve età, in cui si compì per entrambi il ciclo degli anni terreni : diversissimi nell'aspetto storico e sociale, i due giovani recano alla Chiesa la gioia e la gloria d'una somigliante virtù, quella della santità giovanile.

Gode di questa proclamazione la terra d'origine del nuovo Beato, l'Abruzzo, terra feconda di Santi, illustre e venerabile per la pietà tradizionale del suo popolo, pronto ad esprimere in canti, in riti, in costumi l'emozione commossa ed austera della sua anima religiosa. Gode specialmente la diocesi, in cui Nunzio Sulprizio ebbe i natali, quella di Penne-Pescara, che siamo lieti di vedere qui degnamente rappresentata dal suo zelante Pastore, circondato dalle Autorità, dal Clero, dalle associazioni di quella stessa diocesi e da alcune migliaia di fedeli, di là venuti per acclamare con fierezza e con compiacenza il nuovo fratello celeste. Gode parimente Napoli, dove il Beato terminò il suo breve pellegrinaggio terreno, e dove la festa del Beato Vincenzo Romano, che abbiamo testé elevato all'onore degli altari, si unisce a quella di questo nuovo suo « figlio d'acquisizione ». Salutiamo cordialmente questi cari Abruzzesi e Napoletani, e facciamo voti che la loro fortunata naturale parentela con così degni rappresentanti delle loro regioni si traduca in parentela spirituale, nella imitazione delle virtù cristiane di quelli.

Questo Nostro augurio Ci obbliga ad accennare agli aspetti caratteristici della vita che la beatificazione, oggi decretata, offre al culto e alla imitazione della Chiesa. E, come si sa, tali aspetti sono principalmente due ; quello offerto dalla corta durata della vita del Beato Nunzio Sulprizio, e quello che sembra delineato dal fatto che egli fu, per alcuni tristi e duri anni della sua adolescenza, operaio, un povero e semplice apprendista in una squallida officina di fabbro ferraio. Giovane ed operaio, ecco il binomio che sembra definire il nuovo Beato ; ed è binomio di tale splendore e di tale importanza, che basta per riempire d'interesse la breve e scolorita biografìa di lui.

Nulla diciamo ora di questa biografia, anche perchè pensiamo che per la sua brevità e per la sua semplicità, se già non fosse da tutti cono-

sciuta, potrà esserlo assai facilmente. Ci preme invece, con questo sguardo complessivo e fugace, assicurarci che quelle due prerogative di Nunzio Sulprizio — d'essere giovane e d'essere operaio — sono associabili alla santità. Può un giovane essere Santo? Anzi più interessante ancora sarà, se riusciremo a scoprire che questo caro nostro eletto non solo fu degno di beatificazione quantunque giovane e quantunque operaio, ma proprio perché giovane e perché operaio.

Qui bisogna, una volta ancora, ricordare quali siano oggi le nostre condizioni di spirito, quando presumiamo (e Dio voglia che sia abituale a noi questa non riprovevole presunzione!) conoscere, cioè misurare, quei tipi umani singolari, anzi eccezionali, che chiamiamo Beati o Santi. Se bene osserviamo, quando studiamo con l'interesse della psicologia moderna la loro vita, noi inconsciamente studiamo la nostra. I Beati, i Santi, **gli** Eroi, i Perfetti oggi ci servono di specchio per conoscere noi stessi. Il loro culto ci educa ad uno studio su l'uomo, sulla storia, sulla coscienza umana, di tale efficacia e penetrazione che basta di per sé a raccomandarlo come provvido e sapiente. Lo studio della santità vissuta ci porta alla scoperta delle manifestazioni umane più alte e più caratteristiche, e perciò più degne di attenzione e di assimilazione. Ed è uno studio meraviglioso, perché, da un lato, riscontra negli eletti proposti alla nostra venerazione e alla nostra imitazione una fondamentale identità : la natura umana. *Si isti et istae, cur non ego?* viene spontaneo di esclamare con S. Agostino ; e di tale studio mette in evidenza un unico principio di perfezione, il quale può essere a tutti comune, la grazia, che orienta la nostra vita verso un unico archetipo, Gesù Cristo, come c'insegna S. Paolo, là dove dice che i Santi, i chiamati da Dio alla salvezza, debbono ((essere conformi all'immagine del Figlio suo)>.[1] E da un altro lato lo studio agiografico ci mostra che tutti i Santi sono differenti gli **Uni** dagli altri. Ciascuno è distinto e ciascuno ha una sua inconfondibile fisionomia ; ognuno dimostra uno sviluppo proprio, in un certo senso libero e originale, della propria personalità; è ancora S. Paolo, che ce lo ricorda : **(C** una stella differisce per il diverso splendore da un'altra stella)).[2]

Ed ecco allora perché noi oggi siamo tanto proclivi a dare all'eletto un nome che a noi lo avvicini e dagli altri Santi lo distingua ; una qualifica che lo faccia entrare nelle nostre categorie sociali o psicologiche,

[1] ***Rom.* 8, 29.**
[2] ***1 Cor.* 15, 41.**

ed insieme lo separi da altre forme della vita umana. Vogliamo trovare nei Santi dei colleglli, diciamo così, qualificati ; una santità astratta e generica oggi meno ci attrae ; la vogliamo definire con termini concreti, nostri, e inconfondibili.

Perciò è sembrato facile e felice ai biografi di Nunzio Sulprizio chiamarlo giovane e chiamarlo operaio. Questa nomenclatura gli assicura due strette parentele con la vita del nostro tempo, nella quale il giovane ed il lavoratore occupano posizioni rappresentative ed operative di prima importanza.

E l'elogio del nuovo Beato potrebbe fermarsi qui; ed avrebbe titoli indiscutibili e stupendi per essere ascoltato da voi, giovani, da voi, operai.

Nunzio Sulprizio dirà a voi, giovani, come la vostra età è stata da lui illuminata e santificata ; egli è una gloria vostra. Egli vi dirà come la gioventù non dev'essere considerata l'età delle libere passioni, delle inevitabili cadute, delle crisi invincibili, dei pessimismi decadenti, degli egoismi ammirabili ; egli vi dirà piuttosto come l'essere giovani è una grazia, è una fortuna. S. Filippo ripeteva : beati voi, giovani, che avete tempo di far bene. È una grazia, è una fortuna essere innocenti, essere puri, essere lieti, essere forti, essere pieni di ardore e di vita, come appunto sono e dovrebbero essere gli uomini che ricevono il dono dell'esistenza fresca e nuova, rigenerata e santificata dal Battesimo ; ricevono un tesoro che non va sciupato follemente, ma conosciuto, custodito, educato, sviluppato, e rivolto a produrre frutti vitali, benefici per sé e per gli altri. Egli vi dirà che nessuna età come la vostra, giovani, è idonea ai grandi ideali, ai generosi eroismi, alle coerenti esigenze di pensiero e di azione. Egli v'insegnerà come voi, giovani, potete rigenerare in voi stessi il mondo in cui la Provvidenza vi ha chiamato a vivere, e come tocca a voi, per primi, consacrarvi alla salvezza d'una società che ha appunto bisogno di animi forti e impavidi. V'insegnerà la suprema parola di Cristo, essere il sacrificio, la croce, la salvezza nostra e del mondo. I giovani comprendono questa suprema vocazione.

Ed a voi, lavoratori, questo povero e sofferente vostro collega porta un messaggio di molti capitoli. Dice il messaggio di Nunzio Sulprizio beatificato, innanzi tutto come la Chiesa pensi a voi, come abbia di voi stima e fiducia, come veda nella vostra condizione la dignità dell'uomo e del cristiano, come il peso stesso della vostra fatica sia titolo per la vostra promozione sociale, e per la vostra grandezza morale. Dice ancora il messaggio di Nunzio Sulprizio come il lavoro abbia sofferto, e come

tuttora abbia bisogno di protezione, di assistenza e di aiuto per essere libero ed umano, e per consentire alla vita la sua legittima espansione. Vi dirà ancora come il lavoro non possa separarsi da quel suo grande complemento, che è la religione : è la religione che dà la luce, cioè le ragioni supreme della vita e che determina perciò la scala dei veri valori della vita stessa ; è la religione che dà il respiro, cioè l'interiorità, la purificazione, la nobiltà, il conforto alla fatica fisica e all'attività professionale ; è la religione, che umanizza la tecnica, l'economia, la socialità ; è la religione, che fa grandi e buoni e giusti e liberi e santi gli uomini laboriosi. E allora Nunzio Sulprizio vi dirà come sia ingiusto privare la vita del lavoratore della sua superiore nutrizione ed espressione spirituale, ch'è la preghiera ; vi dirà come nulla sia più nocivo per il vostro spirito, per la vostra vita familiare e sociale che ignorare Cristo, nulla di più indebito e pericoloso e fatale che dichiararsi a Lui, il grande Amico, indifferenti o ostili ; e come nessuno infine sia chiamato ad essergli vicino, ad accogliere il suo vangelo e a godere della sua salvezza più d'un lavoratore dal cuore forte e onesto.

Potrebbe, dicevamo, fermarsi la nostra lode del nuovo Beato, fermarsi a questo duplice riconoscimento, che vede associata la santità al fatto ch'egli era giovane e fu lavoratore. I suoi biografi si sono infatti, per lo più, accontentati di questa bella apologia.

Ci sia concesso di notare, con coloro che hanno studiato più addentro la vita di questo umile servo di Dio, come tale apologia sia suscettibile di approfondimenti, i quali ci porterebbero a riconoscere in Nunzio Sulprizio aspetti nuovi, appena avvertiti nelle narrazioni ordinarie della sua breve esistenza, ma forse più penetranti, più misteriosi e più reali; anche perché qualcuno potrebbe osservare che la qualifica di giovane conviene a Nunzio Sulprizio piuttosto per la breve durata della sua vita, che per lo spirito proprio d'un giovane ; e quella di operaio non presenta che elementi parziali della psicologia e della problematica del lavoratore moderno.

E non sarà difficile scoprire nel Beato, che oggi la Chiesa propone alla nostra considerazione, temi fecondi e profondi di studio e di simpatia. La sua infanzia, ad esempio, orfana e povera, segnata da tanta tristezza, non ci invita alla meditazione immensa, conturbante per chi non è della scuola di Cristo, sul mistero del dolore innocente? e come da un'infanzia, sulla quale dev'essersi accumulato il senso pesante della solitudine, della miseria, della brutalità, non è scaturita, come di solito

avviene, una psicologia malata e ribelle, un'adolescenza insolente e corrotta? come mai tutta questa vita giovanile infelice e mancata fiorisce fin dai primi anni in innocente, paziente e sorridente bontà? Poi v'è il problema fondamentale della sua religiosità : donde una pietà così viva, così sicura, così perseverante, così personale? basta a spiegarla quel po' d'educazione religiosa che poteva dare a quel tempo una parrocchia abruzzese perduta sui monti? o vi è una religiosità di popolo, connaturata ed inconscia, che in Nunzio Sulprizio si manifesta con ingenua pienezza? ovvero fu grande maestra l'umile nonna paesana, ch'ebbe cura per alcun tempo dell'orfano e senza forse saperlo svelò a quell'animo sofferente e sensibile le prime note del divino colloquio? Eesta davvero da esaminare la formazione religiosa del giovane illetterato ; e può darsi che l'esame ci porti a riconoscere la ricchezza spirituale della tradizione religiosa locale, ch'è poi quella di gran parte della gente italiana, tradizione tanto degna di rispetto, anche se talora manifestata in forme ora discutibili di culto popolare. E può darsi ancora, e sarà la scoperta migliore, che ci capiti di avvertire l'azione del divinò Maestro invisibile, che, come in molte altre vite di Santi s'incontra, fa lui dell'anima pura, e iniziata dal dolore al raccoglimento, l'alunna privilegiata, che non dai libri, non dalla voce di maestro esteriore, ma da certa nascente scienza interiore impara le verità della fede ed i misteri del regno di Dio. Così vi sarà il problema della capacità di questo giovanetto malato e infelice a capire oltre il proprio bisogno quello degli altri, oltre il proprio dolore il dolore altrui.

La pazienza, la mansuetudine, la carità premurosa e servizievole di questo adolescente incurabile e zoppicante si possono, sì, narrare e descrivere ; la comparsa d'un Colonnello dal cuore d'oro fa grande figura nella sua breve storia ; ma, umanamente parlando, quella bontà resta inesplicabile; essa ci avverte cioè che anche qui siamo davanti al segreto dell'ottimo Nunzio, il segreto che appunto noi cercavamo, quello della sua santità.

Così che, se la glorificazione, che oggi celebriamo di questa singolare virtù, davvero ci appare meritata e a noi stessi esemplare e benefica, sarà bene fare amicizia con questo caro Beato, e pensare umilmente come dobbiamo avvicinare la sua celeste conversazione e come possiamo seguire anche noi il suo terrestre itinerario.

Con questi voti, invocando l'intercessione di Nunzio Sulprizio e a lui tributando l'omaggio della nostra devozione, tutti, venerati Fratelli e diletti figli, di cuore vi benediciamo.

II

Ad Patres Conciliares habita, altera exacta Concilii Oecumenici Vaticani secundi sessione. *

Venerabiles Fratres,

Tempus iam advenit, quo huic secundae sessioni Concilii Oecumenici Vaticani II finis afferatur.

Iamdiu vos, vigilantissimi Pastores, a vestris cuiusque sedibus abestis, ubi sacri muneris exercitatio vestram praesentiam postulat, consilium, alacritatem ; iam gravis, assiduus, longus factus est labor, quem sive ob religiosas caerimonias, sive ob studia, sive ob conventus hoc Concilii tempore cepistis; iam in sacros Adventus dies incurrimus, per quos animi nostri comparantur ad digne agendam memoriam, quotannis redeuntem, semper sollemnem, semper mirandam, semper piissimam Natalis Domini Nostri Iesu Christi; neque nostrum ullus optato hoc anni spatio potest se aliis cogitationibus, etsi excelsis et sanctis, tradere, praeter Celebrationem inenarrabilis illius mysterii, quo Dei Verbum caro factum est ; neque nostrum ullus in alia sede, etsi nobili et venerabili, sacros hos ritus perficere potest, praeter eam in qua providentissimus Deus unicuique nostrum vel certam Ecclesiam, vel certam communitatem, vel certum munus sive sacerdotale, sive Pastorale concredidit.

Oportet igitur cursum, iterum, intermittamus horum gravissimorum conventuum synodalium ; oportet fraternas pacatasque salutationes demus invicem et reddamus; oportet rursum accessum et recessum experiamur rerum, quas tempus gignit idemque absumit; oportet inter nos discedamus, postquam quasi fraterno more de rebus sublimioribus sermocinantes, diebus et eventibus fruiti sumus laetis.

Sed id prius fieri nolumus quam gratias Deo habeamus de beneficiis in nos hoc temporis spatio et per huiusmodi opportunitatem collatis. Neque praetermittere possumus memorem voluntatem Nostram iis profiteri, qui in hac Concilii Vaticani sessione interfuerunt, atque quoviscumque modo ad felicem eius exitum adiuverunt. At praecipuam quandam grati animi Nostri significationem pertinere cupimus ad Patres Concilii Oecumenici ; ad Praesidum Consilium ; ad Commissionem « de coordinandis Concilii laboribus » ; ad Moderatores ; peculiarique modo ad Se-

*** Die 4 Decembris mensis a. 1963.**

cretariatum Generalem, quem vocant; ad varias Commissiones, uti appellant ; ad Peritos ; ad eos qui, ut nostrae huic rei f avèrent, vel scriptis nuntiis vulgandis, vel televisificis imaginibus propagandis dederunt operam; ad eos qui Basilicam Vaticanam, quod ad Concilii necessitates spectaret, instruxerunt, ornaverunt ; itemque ad eos qui contulerunt ad Patres Conciliares hospitio excipiendos et variis ministeriis iuvandos. Singularem denique gratiam iis Patribus persolvere placet, qui aut ad huius eventus congruentem ordinationem suis sumptibus profuerunt, aut Fratribus in Episcopatu egentioribus auxilio venerunt, aut ingentibus Ecclesiae necessitatibus succurrerunt, aut hominibus opitulati sunt recentioribus calamitatibus conflictatis.

Antequam laboribus hisce nostris finem faciamus, abs re non esset eosdem breviter perstringere, atque animadvertere eorum qui fuerit cursus, qui fuerint successus. Sed id simul nimis est longum, simul non dat, ut omnia absolute exponere possimus; siquidem multa huius Concilii ad eam gratiae regionem, ad illud intimum animorum regnum pertinent, in quod non semper facilis patet aditus. Accedit quod multi laborum fructus nondum ad maturitatem venerunt, sed, non secus atque semina commissa sulcis, cum a futuro tempore tum vero a divino adiumento germanam atque salutarem quasi aperitionem exspectant.

Attamen ne ex hac sacra Concilii Oecumenici aula discedere videamur immemores divinorum beneficiorum, quae ex huiusmodi eventu profecta sunt, perplacet in primis palam asseverare, Concilium nonnullos fines, ad quos spectabat, saltem ex aliqua parte feliciter assecutum esse. Etenim cum Ecclesia pleniorem sui ipsius conscientiam atque notitiam attingere sibi proposuisset, reapse omne inter Ecclesiae Pastores atque Doctores magna instituta est investigatio de mysterio, ex quo Ecclesia suam originem suamque formam duxit. Quae investigatio nondum quidem ad exitum adducta est ; sed ipsa difficultas investigationem concludendi, iam satis ostendit huiusmodi doctrinae altitudinem amplitudinemque, eademque nos omnes impellit, ut ad eam intellegendam apteque exprimendam nisus viresque consociemus. Qui nisus id profecto commodi habent, quod nostras nostrorumque christifidelium mentes, qui attento animo coetus nostros prosecuti sint, ad Christum necessario dirigent, ex quo omnia nobis proveniunt et ad quem omnia referre volumus, iuxta illam Sancti Pauli sententiam : *reconciliare omnia m ipsum;* [1] itemque efficiunt, ut non modo nostrum adaugeatur

[1] *Col.* 1, 20.

gaudium ob nostram mystici Corporis Christi participationem, sed etiam ut nostra foveatur mutua caritas, qua vita Ecclesiae tota continetur et regitur. Laetemur igitur, Venerabiles Fratres ! Ecquando enim Ecclesia, ut nunc est, tam plenam sui ipsius conscientiam adepta est; tam impenso amore Christum dilexit; tam laeta, tam concordi, tam alacri voluntate Christum imitari studuit ; tam sollicita denique concredito sibi munere perfuncta est? Laetemur, Venerabiles Fratres ! Siquidem nosmetipsos mutuo noscere atque inter nos colloqui didicimus. Qui invicem quasi extranei haud ita pridem huc advenimus, nunc amicitiae vinculis coniungimur. Nonne experimento novimus, quam vera sint praeclara illa Sancti Pauli verba, quibus Ecclesia ipsa describitur : *Iam non estis hospites et advenae, sed estis cives sanctorum et domestici Dei, superaedificati super fundamentum apostolorum et prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu f* [2] Nonne futurum legum canonicarum progressum, quibus Ecclesia regitur, iam nunc licet prospicere? Quem quidem progressum non alio spectare posse putamus, quam ut potissimum singulis Ecclesiae membris singulisque officiis auctior dignitas agnoscatur et amplior tribuatur operandi facultas ; deinde ut sacra potestas, ex qua universa catholicae societatis compago per varios hierarchiae gradus firma constat, magis magisque roboretur, et quidem quasi ex virtute intus suscepta : hoc est ex amoris, concordiae mutuaeque observantiae incremento. Quare hoc Concilium grande sane eventum censendum est, ac praestantissimum donum a Deo Ecclesiae suae collatum, quandoquidem animi nostri ad haec cogitata, ad haec proposita tam vehementer inardescunt.

Quodsi ad ipsos Concilii labores mentem Nostram convertimus, hinc nova laetitiae causa praebetur, quod in iisdem expediendis vos tam frequentem, tam assiduam, tam actuosam partem habuistis. Iterum mirum spectaculum haec Vaticana Basilica exhibuit, ad quam ingens ac veneranda nostrum omnium multitudo confluxit ; quod spectaculum animos nostros admiratione, pietate supernoque gaudio penitus affecit. Valde iterum gavisi sumus, quod hic praesentes aspeximus honorabiles Observatores, qui tam humaniter Nostrae invitationi obsecuti, Concilii laboribus adfuerunt. Item Nobis paterni solacii causa fuerunt Auditores, qui tacite quidem sed animo observantissime conventus vestros prosecuti sunt; hi enim filii Nobis carissimi personam gerunt innumerae illius catholicorum e laicorum ordine multitudinis, qui

[2] ***Ephes.* 2, 19-20.**

hierarchicis Ecclesiae auctoritatibus Begno Dei amplificando adiutricem operam navant. Hac igitur in aula, sollemnique hac hora, omnia arcanum quiddam significant ; omnia fere loquuntur ; omnia denique ad caelestia contèmplanda et ad supernam spem concipiendam astantium animos erigunt.

Nec minore afficimur oblectatione, cum rationem et viam cireumspicimus, qua Concilium hoc nostrum ad hunc diem processit.

Duplicem autem procedendi rationem hic etiam reputemus oportet, animadvertendo Concilii opus et valde fuisse laboriosum, et in variis exponendis consiliis omnino liberum. Re vera duplex huiusmodi meritum maximi sane pendendum Nobis esse videtur, quoniam id Oecumenicae huius Synodi singularis nota fuit, idemque posteritati erit durabile exempli monumentum. Hac enim via nostris diebus Ecclesia operatur, cum scilicet eius navitas ad summam vim gravissimumque momentum pervenit : navitatem dicimus, quae est maxime alacris, suaque sponte progrediens.

Quodsi multiplices, variae, immo diversae etiam fuerunt sententiae, quae in Concilio auditae sunt, id nihil sane officit oblectationi Nostrae : immo id luculente declarat, sessionum argumenta alta et maximi ponderis fuisse, eademque incredibili studio et ea qua par esset libertate, ut supra diximus, agitata esse.

Ceterum, ardua huiusmodi et implexa disceptatio ubere quodam fructu haudquaquam caruit : nam quod argumentum ante omnia pertractatum est, quodque omnium praestantissimum quodammodo est, sive ex sui natura sive ex dignitate, qua pollet in Ecclesia — sacram dicimus Liturgiam — id ad exitum feliciter pervenit, hodieque a Nobis sollemni ritu promulgatur. Quam ob causam animus Noster sincero gaudio exsultat. Animadvertimus enim hoc in negotio aequum rerum officiorumque ordinem esse servatum ; cum hoc professi simus, Deo summum locum esse tribuendum; nos primo eo officio teneri Deo admovendi preces; sacram Liturgiam primum esse fontem illius divini commercii, quo ipsa Dei vita nobiscum communicatur; primam esse animi nostri scholam; primum esse donum a nobis christiano populo dandum, nobiscum fide precationumque studio coniuncto; primam denique humani generis invitationem, ut mutam suam linguam solvat in beatas veracesque preces, utque ineffabilem illam vim sentiat, animum veluti recreantem, quae sita est in canendis nobiscum Dei laudibus hominumque spe, per Iesum Christum et in Spiritu Sancto.

Hic silentio praeterire nolumus, quanto in honore apud christifi-

deles orientalis Ecclesiae habeatur divinus cultus, et quam accurata diligentia sacri ritus observentur; quibus quidem christifidelibus sacra Liturgia semper exstitit veritatis schola et flamma christianae caritatis.

Quapropter operae pretium erit, hunc Concilii nostri fructum servare, quippe qui sanctae Ecclesiae vitam incitare atque quodammodo insignire debeat : nam Ecclesia in primis societas est religiosa, est communitas orans, est populus conscientiae nitore et religionis studio florens, quae fide ac superna gratia aluntur. Si quas cultus formas ad simpliciorem rationem nunc redigimus, ut a christifidelibus aptius intellegantur, èt cum nostri temporis sermonibus magis magisque congruant, consilium Nostrum eo certe non spectat, ut precandi momentum minoris pendatur, neve ceteris sacri muneris pastoralisque navitatis curis postponatur, neve quid de eius significantissima vi atque vetusta artis elegantià detrahatur ; sed ut sacra Liturgia purior reddatur, ut notis naturae suae propriis magis sit consentanea, ut suis veritatis et gratiae fontibus sit propior, ut denique facilius in spiritualem se vertat populi thesaurum.

Quod ut feliciter contingat, nolumus ullus regulae publicarum Ecclesiae precum refragetur, immutationes privatas vel ritus singulares inducendo; nolumus ullus sibi sumat potestatem Constitutionem de Sacra Liturgia, quam hodie promulgamus, suo arbitrio usurpandi, antequam normae opportunae et certae hac de re edantur, atque immutationes legitime approbentur, quas Consilia ad hoc instituenda post Concilium apparaverint. Haec igitur praeclara Ecclesiae precatio concordi modulation© per totum resonet orbem terrarum : nemo eam perturbet, nemo violet.

Alter fructus, isque non parvi ponderis, Concilii nostri est Decretum de instrumentis, quae vocant, communicationis socialis; quod aperte testabitur facultate Ecclesiam pollere, cum vita interna iungendi externam, cum contemplatione actionem, cum precibus apostolatum. Hac etiam re Synodus nostra efficiet, ut recte dirigantur ac provehantur plurimae agendi rationes ac formae, quae, sive ut instrumenta sive ut documenta, tum perfunctioni muneris pastoralis, tum universae catholicorum alacritati in orbe terrarum iam subserviunt.

In fructibus deinde Concilii ponendae sunt etiam plures facultates, quas, finem pastoralem eiusdem Synodi consectantes, voluimus pertinere ad officium Episcoporum, maxime eorum, qui iurisdictione ordinaria utuntur.

Sed haec minime satis. Concilium enim operi impigre institit et, ut

probe nostis, de multis coepit disserere quaestionibus, quarum enodationes in gravibus sententiis penitus contineri dicendae sunt, quae post argumenti, ad quod attinent, tractationem, suo tempore definite proponentur ac legitime promulgabuntur.

Aliae vero supersunt expendendae iterumque in disceptationem vocandae quaestiones, quas in proxima tertia Sessione, scilicet autumno venientis anni habenda, speramus ad felicem exitum perduci posse. Non quidem moleste ferimus animos nostros aliquamdiu in cogitatione rerum tam gravium defixos conquiescere. Confidimus enim hoc temporis intervallo Commissiones, ad quas res pertinet et in quarum praesenti auxilio spem multam collocamus, ratione habita sententiarum a Patribus Con' cilii praesertim in Congregationibus generalibus significatarum, comparare posse in futuros Concilii coetus formulas alte perspectas, conceptis verbis expressas, opportune coartatas et in pauca collatas, ita ut disceptationes, quas semper esse liberas volumus, faciliores expeditioresque evadant.

Huius generis est, ut exemplum supponamus, quaestio de divina Revelatione, quam Concilium eo modo per solvet, ut hinc sacrum depositum veritatum a Deo traditarum tueatur adversus errores, abusiones, dubitationes, quibus vis earum subiectiva infringatur, illinc studia Sacrorum Bibliorum, operum Patrum ac theologicae disciplinae recte dirigat, quae docti catholici viri, magisterio Ecclesiae fideliter inhaerentes et quibusvis aptis huius aetatis subsidiis usi, alacriter, prudenter, fidenterque promovere pergent.

Huius pariter generis est etiam quaestio magna et multiplex de Episcopatu, quae, sive ob congruentem 'rerum tractandarum dispositionem, sive ob momentum rei ipsius, primum obtinet locum in hoc Concilio Oecumenico Vaticano Secundo, quod neminem fugere velimus, naturalem quandam continuationem et complementum esse Concilii Oecumenici Vaticani Primi. Haec igitur Synodus nostra, non aversans sed confirmans praerogativas a Christo manantes et Summo Pontifici agnitas, atque omni auctoritate praeditas ad Ecclesiae universalis moderationem necessaria, in sua luce studebit ponere, secundum Domini Nostri Iesu Christi doctrinam sinceramque traditionem ecclesiasticam, Episcopatus naturam et munus, a Deo instituta ; atque statuere, quae sint eius potestates earumque usus, quod attinet ad Praesules sive singillatim sive coniunctim considérâtes; ita ut praecelsum officium episcopale in Ecclesia Dei digne illustretur, non quasi agatur de instituto sui iuris, a Summo Petri Pontificatu divulso, multoque minus eidem adversario, sed

cum eo et sub eo ad bonum commune et ad finem supremum Ecclesiae concorditer spectante. Ita profecto fiet, ut Ecclesiae hierarchica compositio virium incremento corroboretur, non imminuatur; intima conspirans operatio augeatur, non attenuetur; efficacitas apostolica amplificetur, non languescat ; caritas mutua ferveat, non résidât. Quocirca fore confidimus, ut Concilium — hoc votum est — rem tanti momenti perspicue explanet et expediat.

Speramus denique eandem Synodum quaestionem de schemate circa Beatam Mariam Virginem, optimam, quae possit, habituram esse enodationem : ita scilicet ut uno consensu et summa pietate agnoscatur locus longe praestantissimus, qui Matris Dei est proprius in Sancta Ecclesia, de qua praecipuus est sermo in hoc Concilio ; locum dicimus, post Christum, altissimum nobisque maxime propinquum, ita ut nomine ((Matris Ecclesiae » eam possimus ornare ; idque in eius honorem cedat in nostrumque solacium.

Praeter huiusmodi quaestiones, quas Concilium breviter tetigit, aliae plures supersunt adhuc a Concilio pertractandae, de quibus tamen fuse iam investigatum est. Easdem Nos denuo altiusque excutiendas curabimus, ut proximae Concilii sessioni breviora schemata exhiberi possint, sicut supra diximus, atque ita proposita ut Concilium de praecipuis argumentis haud difficulter sententiam suam aperire possit, eaque deinde explicanda atque ad normarum formam redigenda ad Commissiones, post Concilium constituendas, remittere; e quibus Commissionibus ea, ad quam novos Codices cum Ecclesiae Latinae tum Ecclesiae Orientalis conscribere pertinebit, sine dubio graviorem laboris molem aggredietur. Tunc ergo, scilicet in his laboribus Concilii suscipiendis, maximi existimandam Nobis praestabunt auxiliatricem operam Episcopi, et novis quidem rationibus, quales sive necessitas sive ecclesiasticae compaginis indoles postulabunt. Iustum igitur Nobisque pergratum erit ex totius orbis Episcopis atque ex religiosis Ordinibus optimos quosque ac peritos Fratres deligere, quemadmodum pro Commissionibus Concilii praeparatoriis factum est; ut una cum idoneis Sacri Collegii Patribus consilio et ope Nos adiuvent ad generalia Concilii decreta in opportunas et peculiares normas adducenda. Itaque, firma semper manente Romani Pontificis potestate, a Concilio Oecumenico Vaticano Primo definita, rerum prudentia ususque Nobis suadebunt, providentissimo Deo auspice, qua ratione efficacior reddi possit pia ac studiosa Episcoporum opera ad totius Ecclesiae bonum promovendum.

Quamobrem, dum huic sessioni Concilii Oecumenici finem imponi-

mus, libenter animadvertimus, eam, omnibus perpensis, momenti obtinuisse praestantiam. Magnum ea conf ecit opus ; unum et aliud e propositis sibi capitibus absolvit; aliarum quaestionum bene coepit investigationem ; ostendit varias posse opiniones libere declarari ; demonstravit mentium concordiam circa maximi momenti quaestiones, de quibus disceptetur, et optari et haberi posse ; palam fecit veritatibus dogmaticis, quae ad catholicae doctrinae thesaurum pertinent, universos prorsus firmiter et aperte adhaerere; in nobis omnibus eam aluit caritatem, quae apud nos ab investigatione et professione veritatis numquam seiungatur oportet; semper in proposita Concilii intendit, ad sacrorum Pastorum munera spectantia; nullo non tempore vias elegit et verba, quibus seiunctorum fratrum animi nobiscum conciliarentur ; denique in omnibus operibus suis precibus Deo supplicavit, cuiusvis bonae spei fonti et principio.

Sed huius sessionis exitu expedito, pariter acrius in ea prospicimus quae adhuc agenda sunt, pariter altius in animis nostris sentimus, facere nos non posse, quin Ecclesiam magis idoneam reddamus ad ferendum nostrae huius aetatis hominibus veritatis salutisque nuntium.

Neque enim sollicitudo nostra abstracta est a praesentium temporum condicionibus, neque nostra deferbuit caritatis flamma, qua humanum genus complectimur. Quod quidem efficientioris caritatis studium in suo animo unusquisque religiose fovebit, cum ad suam sedem et ad sueta officia redibit.

Antequam consessus hic amplissimus hodiernas sacri apostolatus quaestiones aggrediatur, nos omnes quodammodo iam compertum habemus, quomodo eaedem sint solvendae; etenim sive doctrina Ecclesiae, copia et nitore praestans, sive optimorum Fratrum exempla iam nobis terendum iter monstraverunt. Nonne igitur, in patriam vestram reversi, iam nunc potestis actuosioris pastoralis virtutis specimina edere, hortativa et consolatoria verba ferentes christifidelibus vestris, iisque omnibus, quos sacrum vestrum munus pertingere valet? Nonne iam nunc, quasi ad digne praeparandam proximam Concilii sessionem, spiritualem vitam nostram impensiore studio excolere possumus ac Dei voci magis pronas aures praebere? Nonne potestis clero vestro flagrantiòris caritatis nuntium afferre? Laicis hominibus salutationem et hortamenta fiduciae plena impertire? Iuventutem ad altiora infiammare? Hominibus doctrina excultis lumen aliquod veritatis praebere? Operariis opificibusque spei et amoris testimonium exhibere? pauperes et egenos docere, ad ipsos potissimum pertinere primam Evangelicam beatitudinem?

Nos persuasum habemus, huiusmodi diligentiorem sacri muneris perfunctionem posse nos aptos reddere ad id efficiendum ut, Deo volente, magnum hoc Concilium salutaribus christianae vitae fructibus concludatur.

Nunc vero quaedam addere placet, ut propositum vobis nuntiemus, quod iam pridem in animo volvimus et hodie patefacere statuimus, in hoc lectissimo ac gravissimo Coetu.

Tam penitus persuasum habemus ad felicem exitum Concilii assequendum pias supplicationes esse suscipiendas, opera multiplicanda, ut, post maturam rei considerationem et multas preces Deo adhibitas, statuerimus Nosmet ipsos, peregrinatoris in modum, in regionem illam, patriam Domini Nostri Iesu Christi, conferre.

Est igitur Nobis propositum, Deo auxiliante, proximo mense Ianuario petere Palaestinam, ea mente ut in locis sacris, ubi Christus natus est, vixit, obiit et e morte resuscitatus ascendit in caelum, praecipua mysteria salutis nostrae praesentes recolamus : id est Incarnationem et Redemptionem. Visemus terram illam venerandam, unde Sanctus Petrus profectus est, quo nullus eius Successor amplius revertit. Nos quidem, humillime et perbrevi tempore, studio piae precationis, paenitentiae, spiritualis renovationis eo redibimus, ut Christo Ecclesiam suam offeramus ; ut ad eam, unam et sanctam, Fratres inde seiunctos revocemus ; ut misericordiam divinam imploremus ad pacem fovendam, quae his diebus adhuc tenuis et quasi trepidans esse videtur; ut Christo Domino supplicemus pro salute totius generis humani. Beatissima Virgo Maria se Nobis praebeat, quaesumus, itineris ducem; Apostoli autem Petrus et Paulus et omnes Sancti Nos caelitus benigne custodiant.

Quemadmodum Nos vestri in ea piissima peregrinatione memores erimus, ita vos, Fratres Venerabiles, rogamus, ut vestris precibus Nobis adsitis, ut hoc Concilium ad felicem exitum perveniat, ad gloriam Christi et bonum Ecclesiae eius.

Omnibus denique gratias agimus eosque iubemus valere ; Observatoribus item animum gratum et officiosum in discessione significamus, idemque dilectis Auditoribus praestamus et cunctis qui Deo supplicarunt pro Concilio eidemque operam navarunt.

Item amans sed tristis cogitatio Nostra praesertim ad Nostros convolat in Episcopatu Fratres, absentes et in passionibus positos, quos summo gaudio complecti volebamus, quorumque precationes, doloribus pretiosiores effectae, ad felicem progressionem huius secundae sessionis

laborum tam efficaci ratione — ut pro certo habemus — contulerunt. Quos paterna recordatione continenter prosequentes iisque animum addentes, ut in fidelitate erga Christum eiusque Ecclesiam firmiter perseverent, ipsis singulari caritate benedicimus. Caelestium pariter munerum conciliatricem omnibus catholicae familiae fidelibus, iisque, qui Christi Redemptoris lumine^ illustrantur, Apostolicam Benedictionem peramanter dilargimur ; cunctis vero bona voluntate praeditis hominibus felicia ac salutaria omnia precamur.

III

Delegatis Civitatum, qui interfuerunt Coetui XII Internationali a Consilio v. d. « Food and Agriculture Organization » (F.A.O.) Romae habito. *

Your Excellencies and Gentlemen,

While We welcome you here today, We cannot commence Our discourse without a référence to the tragic death of the President of the United States of America, John Fitzgerald Kennedy. We wish to reiterate here the sentiments to which We have already given public expression : of deploration of the criminal action ; of admiration for the man and the statesman ; of prayers for his eternai repose, for his country, and for the world, which recognized in him a great leader; and finally of prayerful wishes that his death may not hinder the cause of peace, but serve as a sacrifice and an example for the good of ali mankind.

We tate this occasion to send Our greetings to all the nations represented at this Audience, especially to those who have recently become members and associâtes of the Food and Agriculture Organization.

We pray that God may grant each country prosperity and peace, in international co-operation, and in well-organized modernized work - for work was not cursed by God, when He said : « In the sweat of your brow you shall eat bread » ; [1] that is, the honest sweat of good labour, according to the example of Christ, Who was Himself a workman.

To solve the grave problem of the life of human kind, this, then, is the right road : to increase the supply of bread, of food; and not to

*** Die 23 Decembris mensis a. 1963.**

[1] ***Gen.* 3, 19.**

mortify and destroy the fecundity of life, for the Creator ordered His first créatures to « Be fruitful and multiply, and fili the earth ».[2]

We congratulate you on your notable accomplishments in this regard, We pray that your efforts to help the human race by incrementing its food supply may be ever more successful, and to you, your collaborator and your families, We gladly impart a special Apostolic Blessing.

Chers Messieurs,

C'est une joie pour Nous d'accueillir ici le Président et les membres de la Douzième Conférence biennale de l'Organisation des Nations Unies pour l'Alimentation et l'Agriculture. Plus de cent Pays représentés, dont une quarantaine par leurs propres Ministres de l'Agriculture : ces chiffres suffisent à montrer la solide implantation de votre méritante institution dans le chœur des organisations internationales nées à l'occasion du second conflit mondial.

Nous le reconnaissons d'"autant plus volontiers qu'il Nous a été donné, Nous pouvons le dire, d'assister à la naissance de la FAO, de la connaître dans sa première et modeste résidence de la Villa Borghese, puis de la voir parcourir tout le chemin qui l'a conduite aux magnifiques développements qu'elle connaît aujourd'hui.

Un chemin semé d'initiatives généreuses, désintéressées, n'ayant en vue que le bonheur de l'humanité et les moyens d'en assurer un élément primordial : faire reculer la redoutable plaie de la dénutrition, qui maintient encore aujourd'hui, malgré les stupéfiants progrès de la technique, une si grande partie du genre humain dans un état de douloureuse infériorité physique et — par voie de conséquence — intellectuelle et morale.

Rien d'étonnant qu'à des activités aussi directement orientées vers le bien des hommes, l'Eglise ait été la première à applaudir. Rien d'étonnant à ce que, dès le début, votre Organisation ait entretenu avec le Saint-Siège les cordiales relations auxquelles votre Président faisait allusion tout à l'heure.

Vous vous souvenez comme Nous de l'accueil que vous réservèrent ici même Nos deux derniers Prédécesseurs. Pie XII voulut que le Saint-Siège eût en permanence des observateurs accrédités auprès de la FAO. Jean XXIII considérait vos activités comme la mise en pratique, au plan international, de la première de ces « œuvres de miséricorde » dont la mention revenait souvent sur ses lèvres, et il n'eut pour vous que

[2] ***Gen.* 9, 1.**

bienveillance et encouragements. Il voulut donner officiellement l'appui de l'Eglise à vos campagnes, et faire une mention explicite de votre Organisation dans sa mémorable encyclique *Mater et Magistra.*

Nous n'avons donc pas été étonné de voir, par les compte-rendus de la presse, que dès l'ouverture de votre présente session votre Directeur Général avait évoqué la mémoire de cet inoubliable Pontife et avait tenu à lui rendre un hommage public.

Revêtu à Notre tour de la lourde charge du Pontificat Suprême, Nous n'avons garde d'oublier que Notre sollicitude doit s'étendre, bien au-delà des limites visibles de l'Eglise catholique, jusqu'à tout ce qui intéresse le vrai bien des hommes. Et Nous sentons, avec une acuité douloureuse, monter jusqu'à Nous l'appel au secours qui s'élève de ces immenses régions du globe où les peuples en voie de développement attendent de leurs frères plus fortunés l'aide qui les sauvera.

Cet appel, vous l'avez entendu, et vous avez mis en œuvre les moyens d'y répondre- Au cours de la présente session de votre Organisation, dont votre très digne interprète a relevé toute l'importance, vous vous penchez principalement sur le problème-clé de tout progrès en ce domaine : celui de l'agriculture. Nos vœux et Nos prières, soyez-en sûrs, accompagnent vos travaux.

Et si, Nous tournant vers l'avenir, Nous voulions formuler un souhait à votre intention, ce serait celui-ci : que l'efficacité de votre Organisation s'affirme de plus en plus dans les faits ; que ses interventions pratiques et concrètes se multiplient dans toutes les régions sous-développées, et apportent à tant de nos frères malheureux, avec le secours si attendu et désiré, la preuve que l'humanité constitue une seule et grande famille, où la souffrance des uns'est ressentie par les autres. Qu'ils aient ainsi l'évidence que la charité triomphe, enfin, de l'égoïsme, et que le bien prévaut sur le mal. De la sorte, au-delà de la finalité directe de votre Organisation, vous aurez atteient des objectifs d'ordre humain et moral, auxquels vous comprendrez que Nous soyons particulièrement sensible, puisqu'ils intéressent le progrès non seulement matériel, mais spirituel du genre humain.

Dieu, Nous en sommes sûr, fera fructifier vos efforts. Nous le Lui demandons de tout cœur, tandis que Nous invoquons sur le Directeur Général de la FAO, sur le Président de la présente Conférence, ainsi que sur toutes vos personnes, vos familles et vos Pays respectifs, l'abondance de ses divines bénédictions.

IV

Ad E.mos Patres Cardinales et Romanae Curiae Praelatos, per E.mum Sacri Collegii Decanum Summo Pontifici fausta ominatos, festo Nativitatis Domini Iesu Christi recurrente. *

Signor Gardinale!

A lei, al Sacro Collegio, ai Membri della Prelatura e della Curia Romana il Nostro sentito ringraziamento per l'omaggio devoto, di cui Ci è segno questa numerosa e ragguardevole presenza, e per i gentili auguri, di cui la voce autorevole, a Noi particolarmente nota e cara, del Decano del Sacro Collegio medesimo si è fatta così nobile interprete.

Apprezziamo profondamente il significato ecclesiastico di adesione, di fedeltà, di collaborazione, che tale atto acquista per Noi, ancora sorpresi della Nostra assunzione all'ufficio apostolico, ed oggi, **perula** prima volta, destinati ad accogliere la professione di cotesti alti sentimenti, mentre, sempre consci di quanto i Nostri doveri eccedano le Nostre umili forze, cerchiamo e troviamo in essa un robusto conforto, come quello che dà alla solitudine, alla trepidazione, alla responsabilità, a cui il carico delle somme chiavi Ci espone, l'assicurazione e quasi l'esperienza d'una conversazione, d'una comunione non meno cortese, che solidale.

Ed ancor più apprezziamo il valore spirituale dei voti, che Ci sono presentati, derivando essi ispirazione e virtù dalla sempre radiosa, sempre commovente celebrazione dei santi misteri natalizi, e mirando essi ad ottenerci dalla divina Bontà, apparsa nella venuta di Nostro Signore sulla terra immensamente prodiga di misericordia, ciò che più vale : l'aiuto e la grazia di Dio.

Ella ha voluto, Signor Cardinale, associare i suoi auguri al ricordo, sommario ma concreto ed ammonitore, degli avvenimenti più importanti, che hanno interessato e commosso, nell'anno che sta per concludersi, la Chiesa Romana, protagonista in alcuni di essi, spettatrice di altri e sempre, com'è suo costume e suo dovere, attentissima e sensibilissima. Noi condividiamo i motivi d'interesse e di pietà, che Le hanno suggerito cotesta riassuntiva rassegna; e condividiamo parimente i sensi alti e religiosi, ch'Ella ha voluto farne risultare. Fra gli avvenimenti ricordati uno non può restare senza una Nostra conforme e per Noi più grave

*** Die 24 Decembris mensis a. 1963.**

e doverosa menzione, quello della pia morte del venerato e compianto Nostro Predecessore Giovanni XXIII, del quale la divina Provvidenza volle che toccasse a Noi raccogliere la spirituale eredità e continuare la grande e difficile opera. Rendiamo perciò, ancora una volta, un riverente ossequio e tributiamo un pio suffragio alla cara memoria di Lui; ma non già, in questo momento, per soffermarci ancora nella visione del suo breve, ma illustre Pontificato, quanto piuttosto per ricevere dal suo stesso ricordo l'invito, il monito, l'impegno a proseguire sul sentiero da Lui tracciato, guardando avanti, nell'immediato avvenire almeno, lasciando al divino nocchiero della barca di Pietro, che tutti ci porta, orientarla verso lidi lontani, che il nostro occhio non può scorgere, se non col presagio e con la speranza.

• Com'Ella, Signor Cardinale, guardando indietro, così Noi ora, guardando avanti, vogliamo a Nostra volta formulare auguri per quanti compongono questa magnifica adunanza, e, possiamo pur dire, per l'intera Chiesa Romana. La nostra navigazione, per attenerci ancora alla nostra notissima e bella immagine della nave apostolica, è impegnata nel ricorrente duplice problema : del conservare il prezioso e intangibile carico del suo patrimonio religioso, e dell'incedere nel mare tempestoso di questo mondo : galleggiare e navigare è il compito simultaneo della Chiesa Romana, che nel duplice simbolo della pietra e della nave esprime splendidamente la dialettica dei suoi doveri e dei suoi destini. Ora, chi non sa che il mare della nostra storia presente è gonfio di venti e di tempeste? che il nostro secolo è in piena e pericolosa trasformazione? Pregheremo certamente il Maestro divino, che naviga con noi e sembra dormire misteriosamente, mentre in noi cresce l'affanno dell'incertezza pratica e del pericolo incombente, di non lasciarci perire ; e perire non ci lascerà. Ma per non meritare il rimprovero, da Lui fatto ai discepoli nell'episodio evangelico della burrasca sedata, d'essere uomini di poca fede, non dovremo pregarlo di dare a noi appunto maggiore fede, e con essa maggiore capacità, sia, da un lato, a difendere il sacro « depositum » che portiamo con noi, sia, dall'altro, a cimentarci col mare che ci circonda, vogliamo dire a conoscere il momento storico, che noi attraversiamo, ad avvicinare il mondo infido, ma nobile, in cui viviamo? Vogliamo oggi cioè augurare a Noi stessi ed a quanti Ci sono collaboratori — e di Noi, molti, umanamente parlando, ben più esperti e più virtuosi ! — di avere quanto più attenta, più sagace, più amorevole conoscenza possibile del tempo nostro per superarne le insidie, per co-

glierne le opportunità, per scoprirne le sofferenze, per ricavarne le nascoste virtù. Stabilire questo rapporto fra l'elemento immutabile della nostra fede e l'ambiente mutabilissimo del nostro tempo è arte difficile, è saggezza che richiede il lume divino, è carità, che suppone distacco da tutto ciò che non è reale interesse del regno di Dio. Ed è ciò che forma oggetto del Nostro augurio per la festa imminente e per l'anno che viene, e che rivolgiamo specialmente a voi, che non solo Ci siete vicini nel periglioso governo della Chiesa, ma altresì fidati e volonterosi collaboratori. Perchè appunto l'ora presente richiede tale virtù.

Bisogna, venerati Fratelli e diletti figli, che portiamo a felice conclusione il grande Concilio Ecumenico, che ha testé terminato la sua seconda sessione. E quest'ultima fase del Sinodo universale sembra a Noi la più laboriosa, la più importante. Ed ecco che, mentre Noi dobbiamo a voi tutti un sincero ringraziamento per l'operosa fatica sostenuta in occasione delle due sessioni, già celebrate, del Concilio stesso, a nuova fatica vi dobbiamo invitare per la sua terza fase, sotto molti aspetti grave e decisiva. Molto ancora resta da fare. E se il Concilio si è dato una struttura sua propria, di considerevole mole e complessità, non è da ciò esonerata la Curia Romana dal sostenere il peso del suo profìcuo funzionamento, sia perchè l'attività delle Commissioni Conciliari si svolge nell'ambito dei problemi religiosi di cui si occupano sostanzialmente i Dicasteri Romani, e sia perchè non pochi di voi hanno funzioni personali di responsabilità e di lavoro in seno alle Commissioni medesime. Dal concorso vostro dipende in grande parte l'esito pratico del prossimo periodo conciliare. Bisogna che il Concilio sia aiutato dalla vostra alacre operosità a raggiungere speditamente conclusioni che godano del suffragio supremo del Papa, unitamente a quello dell'assemblea dei Padri Conciliari. La celebrazione del Concilio non è (come qualche ignaro ed incauto pubblicista ha insinuato) una prova di forza fra potestà contrastanti, ma è piuttosto l'espressione d'una stessa suprema potestà, che si pronuncia con una sola voce, che risulta da quella dei Membri conciliari congiunta con quella sovrana del Papa; è cioè un momento di somma comunione di animi e di giudizi, che la Chiesa Romana per prima deve predisporre, tutto facendo perchè il momento della massima manifestazione di autorità coincida nell'aspetto e nello spirito con quello della massima carità.

E perché così avvenga, come Ella, Signor Cardinale, ha testé accennato, e siano così conseguite le grandi finalità, che il Concilio Ecumenico si propone, partiremo tra pochi giorni in umile e rapido pellegrinaggio alla terra di Gesù, alla Palestina, il Paese che fu teatro della storia biblica, quella dei Patriarchi, dei Profeti, degli Apostoli è di Cristo Nostro Signore, quasi per attingere dalle radici la certezza e la forza, di cui la Chiesa oggi, in tanta sua epifania di perenne vitalità, e in tanto contrasto e bisogno del mondo nei suoi riguardi, sente più viva la necessità. Andremo Noi stessi nel gioioso e tremante stupore di percorrere per primi a ritroso una via che primo l'apostolo Pietro percorse e qua lo condusse, per collocare a Roma e sigillare col suo sangue la sua ferma e inamovibile testimonianza.

Che cosa è questo viaggio? un'escursione turistica? un espediente politico? un'evasione dai doveri, che qui Ci vogliono e Ci legano? No. Se così fosse, Noi temeremmo che, fin dai primi passi, capitasse a Noi ciò che un giorno — storico forse, simbolico certo — accadde a Pietro. Narra Sant'Ambrogio, nel famoso discorso contro Aussenzio, che l'apostolo Pietro si trovava a Roma in grave pericolo all'inizio della prima persecuzione. Egli racconta :

« Anime buone di cristiani lo pregarono che egli si allontanasse un poco. E sebbene egli fosse avido di affrontare la morte, tuttavia, in considerazione del popolo che lo supplicava, si piegò; lo si pregava infatti ch'egli si risparmiasse allo scopo di istruire e di confermare la comunità. Ma che avvenne? Una notte si mise in cammino fuori le mura, ma vedendo vicino alla porta Cristo, che gli veniva incontro, gli disse : " *Domine, quo vadis?* Signore, dove vai? ". Gli rispose Cristo : " *Venio iterum crucifigi.* Vengo per essere di nuovo crocifisso ". E capì Pietro che quella divina risposta si riferiva alla sua propria croce. E spontaneamente tornò indietro ».[1]

Noi, Noi pure speriamo d'incontrare il Signore nel Nostro viaggio, che Ci sembra, per la sua novità, per il suo significato, per la sua risonanza, assumere grande importanza, di cui non riusciamo ora a calcolare le dimensioni ; ma le intuiamo immense, almeno nel simbolo, almeno nel presagio, almeno nelle intenzioni; è infatti un viaggio storico, fecondo forse di grazia e di pace, per la Chiesa e per il mondo. Ebbene, incontrando il Signore Gesù, Noi speriamo ch'Egli non fermi, ma guidi i Nostri passi; e non gli chiederemo dove Lui vada, ma diremo Noi a

[1] ***Serm. c. Auxentium,*** **13.**

Lui che a Lui andiamo; e con umile supremo coraggio, come Pietro sul lago in tempesta, -Gli chiederemo : « *Domine, si Tu es, iube me ad Te venire super aquas.* Signore, se Tu sei, dammi ordine di venire a Te camminando sulle acque ». E Noi speriamo di udire, nell'immenso spazio, nella profonda notte di questa nostra misteriosa storia presente, la Sua arcana, potente, divina voce gridare : « *Veni,* vieni ! ».[2]

Quandoquidem autem fieri non potest quin elata lux non omnibus luceat qui in domo sunt, idcirco eius lumina virtutis quem ad modum populum ita et Sodales eius clarissima luce complebant. Erant enim in eo omnia religiosi viri ornamenta : egregia pietas, summa fratrum caritas, animi humilitas, concordiae amor, paenitentiae studium acerrimum, et praesertim regularum diligentia.

Interim autem dies, anni praeterlabi, et una augescere incommoda atque infirmitates : stomachus aeger atque crudus, crura atque femora ac totum corpus infirma ac debilia. Ideo in dies defatigatior ab emendicatione revertebat; nonnumquam etiam videbatur vacillare, fallentibus pedibus. Brevi eius valetudo in peius ruit ac quasi in exitium. Neque sane non fuit de suo fato conscius, qui aliorum providerat. Cum enim die duo de tricesimo mensis Augusti, anno millesimo octingentesimo sexagesimo sexto, a Patre Hilario, qui vir eius confessiones audire solebat quique ad sacras orationes habendas erat domo profecturus, quaesivisset quandone domum rediret, respondissètque ille non ante diem

decimum septimum mensis Septembris, « Si ita est, ait, iam non amplius nos in bac terra videbimus ».

Verus autem Christi sectator nihil de officiis, de industria remisit, quamvis, quasi cantilenam eandem susurrans, iam crebro « Paradisum ! Paradisum ! » recineret.

Dum ergo exspectatae morti praestolaretur, et cara capita et loca sacra revisit. Sed cum cholera morbus Ianuae subitus prorupisset, officii conscientia illico in urbem reversus est, petens ut morbo correptis adesset, iisque inserviret. Quod quidem ob provectam aetatem et incommodam valetudinem ei negatum est. Quapropter in sua cellula se continuit inque sacrae domus templo, pro cholerosis haud inanes fundens preces, usque dum atrocibus articulorum et totius corporis doloribus affectus, in monasterii valetudinarium se recepit, in quo, haec est rerum humanarum fortuna, ipse in primo iuventae flore fratribus iucundo erat famulatus labore, uno Christi, deliciarum suarum, actus amore; ibique pro re publica et salute omnium immortali Deo se devovit.

Neque est Deus placabilem hostiam aspernatus. Ergo Franciscus Maria sacramentis Ecclesiae munitus, quibus tamquam viatico cibo in reliqua vitae via uteretur, sui compos, die decimo septimo Septembris, anno millesimo octingentesimo sexagesimo sexto, quo die providerat, placide exspiravit.

Vix autem beatissimus pater decesserat, et gravis eius mortis nuntius animos omnium perculerat ; omnesque amissum maerore, desiderio, fletu prosecuti sunt. Eius autem corpus venerandum, pestilentia urbem urente, candida calce obtectum ac in duplici arca, ex ligno scilicet et plumbo, positum, est noctu, quasi secreto, in publicum coemeterium illatum, ibique terrae redditum. Haud multo post fuit pietate civium in monumentum conditum, unde erutum, die videlicet decimo quarto Novembris, anno millesimo nongentesimo decimo primo, iuxta sua verissima rerum futurarum auguria : fore ut in sacram Franciscanum aedem rediret, summa religione caerimoniaque in templum a beatissimo Virginis conceptu est singulari populi frequentia ac celebratione translatum, ubi dormit resurrecturum.

Quod si quis nunc quaerat quaenam in eo excellentius virtutes enituerint, omnino affirmandum est eum prae primis humilitate floruisse, seu iusta sui ipsius existimatione et iudicio. Cum enim soleret humana omnia ex Deo et aeternitate serere, idcirco iusto iure pro nihilo se reputabam Quocirca summa simplicitate se ad nullum idoneum negotium affirmabat, nullius rei gnarum. Ceterum multo saepissime hanc orationem redintegrabat : « Oportet nos fieri sanctos ; modo, ne quis id animadvertat ».

Eius pietas in primis erga Christum cruci affixum inclinabat. Fiebat

interdum ut, sacro praecone de amore Dei erga nos dicente, ille, facie multo rubore suffusa rutilantibusque suavitate oculis, e templo egredi cogeretur, quod sustinere non posset. Praeterea Christum imitandi studio se caedebat atrocissime, sive flagris, sive cilicio ferréis rigente cuspidibus, multo sane sanguine.

At aequalis erat Francisci Mariae amor in Eucharistiam. Delitescens enim Christus in sacramento altaris semper fuit et decertanti athletae validum robur, et laboranti auxilium, et maesto levamen. Nam ea castissima pietas, quam a puero ostenderat, quaeque summam et matri et aequalibus et populo iniecerat admirationem, eadem ceu flamma ignis in pectore crevit eo Ut, religiosus Sodalis cum esset, nihil antiquius haberet quam diurna ac praesertim nocturna tempora in precibus fundendis agere ante Sacramenti augusti sacrarium.

Ad haec summa religio et pietas in suavissimam Christi Matrem accedebat, nulla peccati nube obumbratam; cuiusque sacras imagines in Marialibus aedibus nitentes, ad unam omnes noverat, ante eas quam dudum ita consistebat ut qui ingenti gaudio conquiesceret.

Iure ergo idem populus qui viventem sanctum acclamaverat, mortuum est eodem cultu et amore prosecutus, cuius sepulchrum flore, prece, tamquam aram, assidue cumulabat.

Quae populi opinio non irrita, non vana fuit. Nam, cum post mortem varia prodigia, eodem famulo Dei deprecante, a Deo ferrentur patrata, de beatorum caelitum honoribus eidem decernendis causa agi coepta est.

Itaque, cum in archiepiscopali Curia Ianuensi eius vitae sanctitatis inquisitiones, ordinaria institutae auctoritate, rite absolutae fuissent, cumque S. Rituum Consilium eadem probavisset, Summus Pontifex Leo XIII, Decessor Noster, adhibitis sibi precibus concedens, anno millesimo octingentesimo nonagésimo sexto ut causa induceretur permisit.

Ceteris igitur ad normam iuris religiose exactis, inquisitiones apostolicae habitae sunt venerabilis servi Dei virtutum theologalium et cardinalium, uti dicuntur, quibus eundem perfecte heroumque modo se exercuisse Pius XI, item Decessor Noster, sollemni decreto sanxit die decimo septimo mensis Decembris, anno millesimo nongentesimo vicesimo secundo.

Tum quaestio instituta est de miraculis, quae, eodem Dei servo interveniente, a Deo facta esse dicebantur. Quae postquam discussa sunt, idem Pius XI die vicesimo mensis Maii, anno millesimo nongentesimo vicesimo nono, decrevit : constare duo miracula quae per venerabilis Francisci Mariae a Camporubeo intercessionem a Deo optimo maximo patrata sunt : improvisam nempe perfectamque sanationem Mariae Riel-

la, puellae quinquennis, cuius, ex alto cum decidisset, caput fuerat diffractum et reliquum corpus gravissime laesum; et adulescentis Iacobi Oalba ab acuta phlogosi appendicis vermicularis.

Unum porro post haec erat discutiendum : an, stante approbatione virtutum et duorum miraculorum, venerabilis Dei famulus Franciscus Maria a Camporubeo ad beatorum caelitum honores tuto provehi posset.

De qua re cum actum fuisset, Pius XI die septimo mensis Iunii, eodem anno, censuit : tuto posse venerabilem Dei famulum Franciscum Mariam ad honores beatorum tolli. Quod die tricesimo eiusdem mensis et anni sollemni ritu actum est.

Cum vero post decretos beatorum honores eiusdem cultus percrebuisset, et, ipso deprecante, alia dicerentur a Deo effecta miracula, supplices huic Apostolicae Sedi preces admotae sunt ut causa eiusdem beati sanctitatis infula decorandi tractanda resumeretur. Quibus votis aeque concessum est.

Cum ergo proposita supremo S. Rituum Consilio miracula a Collegio medicorum eiusdem S. Congregationis iudicatum esset vires naturae excessisse, cumque Patres Cardinales, Praelati Officiales et Consultores S. Consilii Sacrorum Rituum in generali conventu, die vicesimo mensis Martii, anno millesimo nongentesimo sexagesimo secundo coram Nobis habito, in eandem sententiam discessissent, Nos, die tertio et vicesimo mensis Martii, eodem anno, ediximus constare de duobus miraculis a Deo factis intercedente beato Francisco Maria a Camporubeo, nempe : de instantánea perfectaque sanatione tum pueri Angeli Parpaglione a fractura ossis maxillaris inferioris cum variis laesionibus et commotione cerebrali, tum dominae Teresiae Guido de Negri a vulnere purulento in digito medio manus dexterae cum avulsione unguis et infectione séptica eiusdem artus.

His ergo omnibus absolutis, die septimo mensis Iulii, anno millesimo nongentesimo sexagesimo secundo, decreto ediximus : *tuto* posse beatum Franciscum Mariam a Camporubeo sanctorum honoribus condecorari.

Quae postquam facta sunt, Consistorium indiximus in diem decimum quintum Novembris eiusdem anni, ut in eo Patres Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos sententiam rogaremus de beati Francisci Mariae a Camporubeo canonizatione, misso interdum singulis eorum commentario, quo vita, virtutes, miracula, causa denique, ut hucusque acta fuit, eiusdem beati con tiner entur.

In quo Consistorio dilectus Filius Noster Arcadius S. R. E. Cardinalis Lárraona, Sacrorum Rituum Congregationis Praefectus, a Nobis postulavit ut ad optatissimum canonizationis ritum quam primum deveniremus. Cum autem omnes hac de re suffragia dedissent, Nos beati

Francisci Mariae a Camporubeo diem canonizationis statuimus, qui fuit nonus mensis proximi Decembris. De his omnibus vero ut iuridice acta confluerent Protonotariis Apostolicis mandavimus.

Cum autem praestituta dies illuxit beati illius corona Sanctorum decorandi, Nos in Petrianam Basilicam descendimus, magno fidelium atque sacrorum Antistitum, ex universo terrarum orbe Concilii Oecumenici Vaticani II celebrandi gratia astantium, numero frequentissimam. Tunc dilectus Filius Noster Arcadius S. R. E. Cardinalis Larraona, perorante dilecto Filio Camillo Corsanego, Consistorialis Aulae Advocato, instanter de more, instantius, instantissime postulavit ut beatum Franciscum Mariam a Camporubeo una cum Antonio Maria Pucci, Petro Iuliano Ey mar d, sanctus declararetur.

Cui Consistoriali Advocato per dilectum Filium Hamletum Tondini, ab Epistulis Nostris ad Principes respondimus iam in eo esse ut huiusmodi postulationi concederemus.

Postquam igitur hymnum « Veni, creator Spiritus)), cum confertissima christianorum turba cecinimus, tunc in divi Petri Cathedra sedentes, uti supremus universae Ecclesiae magister, sollemniter pronuntiavimus : *Ad honorem sanctae et individuae Trinitatis, ad eœaltationem Fidei catholicae et christianae religionis augmentum, auctoritate Domini Nostri Iesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum et Episcoporum in Urbe exsistentium consilio, beatos Petrum Iulianum Eymard, Antonium Mariam Pucci et Franciscum Mariam a Camporubeo, Confessores, Sanctos esse decernimus et definimus ac Sanctorum catalogo ascribimus : statuentes illorum memoriam quolibet anno die eorum natali, prima nempe Augusti pro Petro Iuliano^ duodecima Ianuarii pro Antonio Maria, et decima septima Septembris pro Francisco Maria, inter Sanctos Confessores pia devotione recoli debere. In nomine PaÇfetris et FiÇfelii et Spiritus Sancti. Amen.*

Qua formula dicta, hasce Decretales sub plumbo litteras confici et expediri iussimus, praesentibus vero Protonotariis Apostolicis ut de hac Canonizatione publicum conficerent documentum praecepimus. Deinde, postquam sermonem de novensilium sanctorum virtutibus habuimus, ut gratias omnipotenti Deo ageremus, hymnum « Te Deum laudamus » cum astantibus cecinimus, atque horum sanctorum patrocinium primi invocavimus.

Ceterum, quae supra memoravimus universae Ecclesiae denuntiamus, mandantes ut harum litterarum exemplis et locis, etiam typis impressis,

dummodo ab aliquo tabellione sint subscripta, eadem prorsus tribuatur fides, quae iisdem bisce litteris haberetur, si ostenderentur.

Datum Romae, apud S. Petrum, die nono mensis Decembris, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo secundo, Pontificatus Nostri quinto.

Ego IOANNES, Catholicae Ecclesiae Episcopus



Qji Ego **EUGENIUS** Episcopus Ostiensis ac Portuensis et S. Rufinae Card. **TISSERANT**, Sacri Collegii Decanus.

83 Ego **CLEMENS** Episcopus Veliternus Card. **MICARA.**

83 Ego **IOSEPHUS** Episcopus Albanensis Card. **PIZZARDO.**

83 Ego **BENEDICTUS** Episcopus Praenestinus Card. **ALOISI MASELLA,** S. R. E. Camerarius.

83 Ego **HAMLETUS IOANNES** Episcopus titulo Tusculanus Card. **CICOGNANI.**

83 Ego **IOSEPHUS** Episcopus titulo Sabinensis et Mandelensis Card. **FERRETTO.**

Ego **IACOBUS ALOISIUS** titulo S. Laurentii in Damasi Presbyter Card. **COPELLO.**

Ego **GREGORIUS PETRUS** titulo S. Bartholomaei in Insula Presbyter Card. **AGAGIANIAN.**

Ego **VALERIUS** titulo S. Silvestri in Capite Presbyter Card. **VALERI.**

Ego **PETRUS** titulo S. Praxedis Presbyter Card. **CIRIACI.**

Ego **IOSEPHUS** titulo S. Mariae a Victoria Presbyter Card. **SIRI**, Archiep. Ianuensis.

Ego **PAULUS** titulo S. Mariae in Vallicella Presbyter Card. **GIOBBE,** S. R. E. Datarius.

Ego **FERDINANDUS** titulo S. Eustachii Presbyter Card. **CENTO.**

Ego **CAROLUS** titulo S. Mariae in Porticu Presbyter Card. **CHIARLO.**

Ego **CAROLUS** titulo S. Agnetis extra moenia Presbyter Card. **CONPALONIBRI.**

Ego **PAULUS** titulo S. Andreae Apostoli de Hortis Presbyter Card. **MARELLA.**

Ego **GUSTAVUS** titulo S. Hieronymi Illyricorum Presbyter Card. **TESTA.**

Ego **ALOISIUS** titulo S. Andreae de Valle Presbyter Card. **TRAGLIA.**

Ego **IOSEPHUS** titulo S. Priscae Presbyter Card. **DA COSTA NUNES.**

Ego **ILDEBRANDUS** titulo S. Sebastiani ad Catacumbas Presbyter Card. **ANTONIUTTI.**

Ego **EFHRAEM** titulo S. Crucis in Ierusalem Presbyter Card. **FORNI.**

Ego **ALAPRIDUS** S. Mariae in Domnica Diaconus Card. **OTTAVIANI.**

Ego **ALBERTUS** S. Pudentianae Diaconus Card. **DI IORIO.**

Ego **FRANCISCUS** S. Caesarii in Palatio Diaconus Card. **BRACCI.**

Ego **FRANCISCUS** S. Mariae in Cosmedin Diaconus Card. **ROBERTI.**

Ego **ANDREAS** S. Georgii in Velabro Diaconus Card. **JULLIEN.**

Ego **ARCADIUS MARIA SS**. Blasii et Caroli ad Catinarios Diaconus Card. **LARRAONA.**

Ego **FRANCISCUS SS**. Cosmae et Damiani Diaconus Card. **MORANO.**

Ego **VILLELMUS THEODORUS** S. Tbeodori in Palatio Diaconus Card. **HEARD.**

Ego **AUGUSTINUS** S. Sabae Diaconus Card. **BEA.**

Ego **ANTONIUS** titulo S. Eugenii Papae Diaconus Card. **BACCI.**

Ego **IOACHIMUS ANSELMUS** S. Apollinaris Diaconus Card. **ALBAREDA.**

Ego **MICHAEL** S. Pauli in Harenula Diaconus Card. **BROWNE.**

IACOBUS A. Card. COPELLO
8. R. E. Cancellarius

ARCADIUS Card. LARRAONA
8. R. C. Praefectus

Franciscus Tinello
Apostolicam Cancellariam Regens

f Iosephus Rossi, Ep. tit. Palmyrenus, *Proton. Apost.*

Ioannes Calieri, *Proton. Apost.*

Loco £8 **Plumbi**

In Ap. Cane, tao., vol. CXI, n. 89.

LITTERAE APOSTOLICAE

I

Beata Maria Virgo Immaculata de « Lourdes » et S. Raphaël Archangelus principales Patroni, atque S. Ioseph, eiusdem Deiparae Sponsus, secundarius Patronus universae dioecesis Fororaphaëliensis eliguntur.

IOANNES PP. XXIII

Ad perpetuam, rei memoriam. — Omnis maculae expers Virgo Deipara Christifidelium mentes animosque ad se convertit, iisque se ducem praebet terreni huius itineris. Eam qui sequuntur, non deerrant a via, rebus adversis se expediunt, aeternae adipiscuntur salutis perfugium. Religione eiusdem Genetricis Dei Immaculatae, quae olim in Lapurdensi specu conspiciendam se obtulit, tenentur, quemadmodum ad Nos allatum est, clerici ac populus fidelis dioecesis Fororaphaëliensis, anno praeterito a Nobis constitutae. Qui pio etiam amore feruntur in Sanctum Raphaelem Archangelum, praevalidum hominum solatorem, a quo Ecclesia eadem nomen accepit. Probatissimo igitur consilio Venerabilis Frater Radulfus Primatesta, Fororaphaëliensis Episcopus, vota quoque significans omnium piarum sodalitatum publicarumque potestatum, Nos rogavit, ut Beatam Mariam Virginem, primae labis immunem, et Sanctum Raphaelem Archangelum suae dioecesis praecipuos renuntiaremus Patronos, atque praedictam iurisdictionem in fidem etiam traderemus Sancti Ioseph, Almae Deiparae Sponsi. Quibus precibus libenter admissis, Nos, e Sacrae Rituum Congregationis consulto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum Beatam Mariam Virginem Immaculatam, de ((Lourdes » appellatam, atque Sanctum Raphaelem Archangelum *principales* apud Deum *Patronos,* Sanctum vero Ioseph, Dei Genetricis Sponsum, *secundarium Patronum* universae Fororaphaëliensis dioecesis constituimus ac declaramus, omnibus adiectis honoribus ac privilegiis liturgicis, quae locorum Patronis praecipuis et secundariis rite competunt. Contrariis quibusvis non obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere ; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere ; illisque, ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari ; sicque

rite iudicandum esse ac definiendum ; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xn mensis Octobris, anno **MCMLXII**, Pontificatus Nostri quarto.

© **HAMLETUS** I. Card. **CICOGNANI**
a publicis Ecclesiae negotiis

II

Sanctus Franciscus Assisiensis principalis caelestis Patronus dioecesis Franciscopolitanae renuntiatur.

IOANNES PP. XXIII

Ad perpetuam rei memoriam. — A Christi praecone eximio, Sancto Francisco Assisiensi, qui, unius Dei flagrans amore, terrena cuncta contempsit et ad caelestia miro animi studio intendit, appellata est dioecesis in Argentinae finibus per Nos anno **MDCCCCLXI** constituta. Recte autem factum est, ut, a quo deductum esset nomen, ab eo praesidium atque custodia peterentur. Nam Venerabilis Frater Petrus Lira, vota quoque significans cleri et omnium piarum sodalitatum, quae curis ipsius sunt commissae, preces ad Nos admovit, ut Sanctum Franciscum iurisdictionis suae supernum Patronum renutiaremus. Quibus postulationibus libenti animo obsecundare statuimus, probe fore confisi, ut Caelitis eiusdem tutela ac deprecatione res catholica illa in regione laetis uberibusque augeretur incrementis. Quae cum ita sint, Nos e Sacrae Rituum Congregationis consulto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum- vi perpetuumque in modum, Sanctum Franciscum Assisiensem, Confessorem, totius dioecesis Franciscopolitanae principalem apud Deum *Patronum* constituimus ac declaramus, omnibus adiectis honoribus et privilegiis liturgicis, quae praecipuis dioecesium Patronis rite competunt. Contrariis quibusvis non obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere ; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere ; illisque, ad quos spectant, seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritum-

que ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die xvn mensis Octobris, anno **MCMLXII**, Pontificatus Nostri quarto.

93 **HAMLETUS** I. Card. **CICOGNANI**
a publicis Ecclesiae negotiis

III

Titulo ac privilegiis Basilicae Minoris ecclesia Beatae Mariae Virginis a Rosario et S. Dominici, quae in urbe Mendoza exstat, decoratur.

IOANNES PP. XXIII

Ad perpetuam rei memoriam. — Mariani Rosarii et Sancti Dominici nomina, ut ex historiae fide nihil omnino sunt dissocianda, ita felici sane compositione ad templum spectant, quod mole conspicuum, vetustate antiquissimum in urbe Mendoza exsurgit. Prisca enim aetate, paucos videlicet annos post ipsam conditam urbem, sodales Dominiciani sui Patris Legiferi honori ecclesiam excitarunt, quae coenobialis vitae usibus deserviret. Brevi autem evenit, ut eadem praecipua veluti sedes fieret maximi illius operis, quo lux Evangelii in continentem regionem pervasit. Neque est silentio praetermittendum iam inde ab anno **MDLXXXX**, religiosorum pariter impulsu virorum, Nostram Dominam, a Rosario appellatam, summa ibidem excoli pietate ; quam ob rem abhinc duo saecula Mendozensis civitatis Patronam renuntiatam, aureo etiam diademate ex pontificiae potestatis decreto esse nuperrime redimitam. Harum igitur rerum memoria atque nobilitate Templum magnopere commendatur, praetereaque, cum nostris hisce temporibus ad sacrae liturgiae itemque aestheticae disciplinae praecepta sit perfectum, multam sui movet admirationem ; solida enim stabilitate praestat, generisque Romanici, quod dicitur, formam prae se fert. His omnibus recte perpensis, dilectus filius, qui curionem eiusdem ecclesiae agit idemque familiam sodalium S. Dominici moderatur, humilibus a Nobis petiit precibus, ut templum titulo Basilicae Minoris benigne condecorare dignaremur. Quod votum, ampla Venerabilis Fratris Alfonsi Mariae Buteler, Mendozensis Archiepiscopi, commendatione suffultum, libenti animo admittere statuimus. Itaque, ex Sacrae Rituum Congregationis

consulto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra, deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum, paroecialem et conventualem ecclesiam, Deo in honorem Beatae Mariae Virginis, a Rosario appellatae, et Sancti Dominici consecratam atque in urbe Mendoza exstantem, ad dignitatem et honorem *Basilicae Minoris* evehimus, omnibus adiectis privilegiis et iuribus, quae templis, eodem nomine insignibus, rite competunt. Contrariis quibusvis nihil obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere ; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum ; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter contigerit attentari.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xxv mensis Octobris, anno **MCMLXII**, Pontificatus Nostri quarto.

© **HAMLETUS** I. Card. **CICOGNANI**
a publicis Ecclesiae negotiis

IV

Beata Maria Virgo, a Monte Carmelo appellata, praecipua Patrona dioecesis Formosae declaratur.

IOANNES PP. XXIII

Ad perpetuam rei memoriam. — Decor Carmeli, unde Elias propheta nubeculam de mari ascendentem *(I Reg.* 18, 44) supernarum imaginem gratiarum mirabundus prospexit, alma Divini Servatoris Mater merito ab Ecclesia praedicatur. Cuius honorificae appellationis aperta ac plurima in cellis templisque, in sodalitatibus institutisque Christianae religionis reperiuntur indicia, quae impensum in Virginem Carmelitidem studium pietatis commonstrent. Haec eadem profecto marialis laus amoris, ut Nobis videtur, dilectis filiis dioecesis Formosae est tribuenda, qui per Venerabilem Fratrem Pacificum Scozzina, suum Episcopum, Apostolicae Sedi significaverunt sibi esse in optatis Sanctam Deiparam, Carmeli nomine consalutatam, tutelarem habere Patronam. Quas preces benigno animo admittere non dubitamus, quippe qui pro certo habeamus

tantum patrocinium quasi fontem caelestium fore beneficiorum novae illi dioecesi. Itaque, omnibus attente perpensis, ex Sacrae Rituum Congregationis consulto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra, deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum, Beatissimam Virginem Mariam, a Monte Carmelo appellatam, praecipuam apud Deum totius Formosae dioecesis caelestem *Patronam* constituimus ac declaramus, omnibus adiectis honoribus ac privilegiis liturgicis, quae principalibus locorum Patronis rite competunt. Contrariis quibusvis nihil obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes has Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque, ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum ; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die ix mensis Novembris, anno MCMLXII, Pontificatus Nostro quinto.

© **HAMLETUS** I. Card. **CICOGNANI**
a publicis Ecclesiae negotiis

V

Sanctus Franciscus Salesius, Episcopus, Confessor et Ecclesiae Doctor, praecipuus Patronus universae dioecesis Neuquenianae eligitur.

IOANNES PP. XXIII

Ad perpetuam rei memoriam. — Extremam regionem late patentem australis Americae Salesianae Familiae alumni, ut notum est, indefatigato opere missionali Ecclesiae catholicae adiunxerunt. Ubi praeterito anno, pastorali acti sollicitudine, dioecesim Neuquenianam condidimus, cuius christiana plebs Sanctum Franciscum Salesium, pietatis magistrum suavissimum, a quo religiosa illa Congregatio appellationem traxit atque vigorem, studiose excolit et praesentem habet tutorem. Cupiens autem gregis sibi commissi profectui consulere votaque significans cleri et christifidelium, Venerabilis Frater Iacobus Franciscus

De Nevares, Neuquenianae Ecclesiae Episcopus, Nos rogavit, ut Sanctum Franciscum Salesium dioecesis suae caelestem renuntiaremus Patronum. Quibus precibus libenti animo concedere statuimus, fore confisi, ut praeclarissimo illo Caelite tuente res christiana ea in regione permagnis incrementis augeretur. Itaque, e Sacrae Rituum Congregationis consulto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum Sanctum Franciscum Salesium, Episcopum, Confessorem et Ecclesiae Doctorem, principalem totius Neuquenianae dioecesis caelestem apud Deum *Patronum* constituimus ac declaramus, omnibus adiectis honoribus ac privilegiis liturgicis, quae praecipuis dioecesium Patronis rite competunt. Contrariis quibusvis non obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere ; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque, ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari ; sicque rite iudicandum esse ac definiendum ; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXII mensis Novembris, anno MCMLXII, Pontificatus Nostri quinto.

© **HAMLETUS** I. Card. **CICOGNANI**
a publicis Ecclesiae negotiis

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

i

PROVISIO ECCLESIARUM

Sanctissimus Dominus Noster Paulus Divina Providentia Pp. VI, successivis decretis Sacrae Congregationis Consistorialis, singulas quae sequuntur Ecclesias de novo Pastore dignatus est providere, nimirum:

die 15 Augusti Ï963. — Titulari archiepiscopali Ecclesiae Nicaeensi in Haemimonto praefecit R. P. D. Paulinum Limongi, ex archidioecesi Capuana, Antistitem Urbanum.

die 27 Octobris. — Archiepiscopali Ecclesiae S. Severinae Exc. P.D. Michaelem Federici, hactenus Episcopum titularem Sidymensem et Coadiutorem cum iure successionis Excmi P. D. Dominici Petroni, Episcopi Melphiensis, Rapollensis et Venusini.

die 29 Octobris. — Titulari episcopali Ecclesiae Berrhoeensi R. P. Fridericum Kaiser, sodalem Congregationis Missionariorum Sacratissimi Cordis Iesu, Praelatum *nullius* Caraveliensem.

— Titulari episcopali Ecclesiae Ariassensi R. D. Ignatium Mariam De Orbegozo y Goicoechea, sodalem Societatis Sanctae Crucis et Opus Dei, Praelatum *nullius* Yauyosensem. /

— Titulari episcopali Ecclesiae Antiochenae ad Meandrum R. P. Eduardum L. Fedders, sodalem Societatis dé Maryknoll pro missionibus exteris, Praelatum *nullius* Juliensem.

die 31 Octobris. — Cathedrali Ecclesiae Montis Regalis in Pedemonte Exc. P. D. Carolum Maccari, hactenus Episcopum titularem Emmausensem, cui contulit archiepiscopalem titulum « ad personam ».

die 2 Novembris. — Cathedrali Ecclesiae Lojanae R. P. D. Aloisium Alfonsum Crespo, Canonicum Capituli cathedralis et Vicarium Capitularem dioecesis Lojanae.

die 6 Novembris. — Praelaturae *nullius* Buccae Taurinae, noviter erectae, R. P. Martinum Legarra Tellechea, sodalem Ordinis Recollectorum S., Augustini.

die 9 Novembris. — Titulari archiepiscopali Ecclesiae Darnitanae Exc. P. D. Iosephum Bonfiglioli, hactenus Episcopum Mcotriensem et Tropiensem, quem constituit Coadiutorem cum iure successionis Excmi P. D. Hectoris Baranzini, Archiepiscopi Syracusani.

die 12 Novembris. — Titulari archiepiscopali Ecclesiae Pergensi Exc. P. D. Marium Casariego, hactenus Episcopum titularem Pudentianensem, quem constituit Coadiutorem cum iure successionis Excmi P. D. Mariani Rossell y Arellano, Archiepiscopi Guatimalensis.

die lJf Novembris. — Titulari episcopali Ecclesiae Thevestinae R. D. Eliam Prado Tello, Cubicularium intimum seu secretum Sanctitatis Suae, Canonicum Capituli cathedralis et Cancellarium Curiae episcopalis dioecesis Ayacuquensis, quem deputavit Auxiliarem Excmi P. D. Caroli Mariae Jürgens Byrne, Archiepiscopi Cuschensis.

die 15 Novembris. — Titulari episcopali Ecclesiae Tipasitanae in Mauretania R. P. D. Franciscum Xaverium da Piedade Rebello, Protonotarium Apostolicum « ad instar participantium » et Vicarium Generalem metropolitanae sedis Goanae et Damanensis, quem deputavit Auxiliarem Excmi P. D. Iosephi Vieira Alvernaz, Archiepiscopi Goani et Damanensis.

die 18 Novembris. — Titulari episcopali Ecclesiae Bendensi Exc. P. D. Iacobum Eduardum McManus, hactenus Episcopum Poncensem, quem deputavit Auxiliarem Emi P. D. Francisci S. R. E. Cardinalis Spellman, Archiepiscopi Neo-Eboracensis.

die 23 Novembris. — Titulari episcopali Ecclesiae Eudoxiadensi R. D. Radulfum Silva Silva, curionem paroeciae B. Mariae Virginis de Monte Carmelo, vulgo de ÍTuñoa cognominatae, quem deputavit Auxiliarem Excmi P. D. Eduardi Larrain Cordóvez, Episcopi Rancanguensis.

die 25 Novembris. — Titulari episcopali Ecclesiae Sabratensi R. P. D. Ioannem I. Graham, ex archidioecesi Philadelphiensi, quem deputavit Auxiliarem Excmi P. D. Ioannis Iosephi Krol, Archiepiscopi Philadelphiensis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Barcaeae R. D. Iosephum T. Daley, ex archidioecesi Philadelphiensi, quem deputavit Auxiliarem Excmi P. D. Georgii Leonis Leech, Episcopi Harrisburgensis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Tegeaeae R. D. Bernardum M. Kelly, ex dioecesi Providentiensi, quem deputavit Auxiliarem Excmi P. D. Russeiii Iosephi McVinney, Episcopi Providentiensis.

die 26 Novembris. — Cathedrali Ecclesiae Mazariensi Exc. P. D. Iosephum Mancuso, hactenus Episcopum titularem Pyrgensem.

die 29 Novembris- — Titulari episcopali Ecclesiae Pudentianae R. P. D. Victorem Garaygordobil Berrizbeitia, e dioecesi Victoriensi, hactenus Administratorem Apostolicum « ad nutum S. Sedis)) praelaturae *nullius* Fluminum, quem constituit Praelatum *nullius* eiusdem praelaturae Fluminum.

— Titulari episcopali Ecclesiae Comanensi Ponticae R. P. D. Vincentium Maya, e dioecesi Ibarrensi, hactenus Administratorem Apostolicum ((ad nutum S. Sedis » praelaturae *nullius* de EI Oro, quem constituit Praelatum *nullius* eiusdem praelaturae de EI Oro.

die 2 Decembris. — Coadiutorem cum iure successionis Excmi P. D. Gulielmi Laurentii Adrian, Episcopi Nashvillensis, Exc. P.D. Iosephum Aloisium Durick, Episcopum titularem Cerbalitanum.

die 5 Decembris. — Cathedrali Ecclesiae Latacungensi, noviter erectae, Exc. P. D. Benignum Chiriboga, hactenus Episcopum titularem Acalissensem.

die 12 Decembris. — Metropolitanae Ecclesiae Bracharensi Exc. P. D. Franciscum Mariam da Silva, hactenus Episcopum titularem Telmissensem.

die 17 Decembris. — Titulari episcopali Ecclesiae Arnaetanae Exc. P. D. Patricium Flynn, hactenus Episcopum Mvernensem.

die 18 Decembris. — Cathedrali Ecclesiae Baionensi R. P. D. Ioannem Paulum Vincent, Antistitem Urbanum, Vicarium Generalem archidioecesis Lugdunensis.

II

CHIHUAHUENSIS - CIVITATIS JUAREZENSIS

DECRETUM

De finium immutatione

Concrediti gregis spirituali bono apprime studentes, Excmi PP. DD. Emmanuel Talamás Camandari, Episcopus Civitatis Juarezensis, et Aloisius Mena Arroyo, Episcopus titularis Danabenus, Coadiutor « sedi datus » atque Administrator ((sede plena » archidioecesis Chihuahuensis, unanimi consensu, ab Apostolica Sede expostulaverunt ut fines ecclesiasticarum circumscriptionum sibi concreditarum aliquantulum immutarentur et ita aptius disponerentur.

Sacra Congregatio Consistorialis, praehabito favorabili voto Excmi P. D. Aloisii Raimondi, Archiepiscopi titularis Tarsensis, in Ditione Mexicana Apostolici Delegati, rata petitam immutationem aeternae Christifidelium saluti cessuram, vigore specialium facultatum sibi a Ssmo Domino Nostro Paulo Divina Providentia Pp. VI tributarum, oblatis precibus benigne annuendum censuit.

Quapropter, suppleto, quatenus opus sit, eorum interesse habentium vel habere praesumentium consensu, praesenti Consistoriali Decreto, a dioecesi Civitatis Juarezensis distrahit territorium municipiorum vulgo *Ojinaga, Coyame, Manuel Benavides* et *Guerrero* nuncupatorum illudque archidioecesi Chihuahuensi adnectit.

Mandat insuper Sacra Congregatio Consistorialis ut documenta et acta praefati territorii clericos, fideles et bona temporalia respicientia a tabulario Curiae Civitatis Juarezensis ad archivum Curiae Chihuahuensis, quam primum, transmittantur.

Ad clerum quod attinet statuit ut, simul ac praesens Oonsistoriale Decretum ad effectum deductum fuerit, sacerdotes Ecclesiae illi censeantur adscripti in cuius territorio ecclesiasticum beneficium aut officium legitime detinent; ceteri autem sacerdotes, clerici seminariique tirones dioecesi illi incardinati maneant vel incardinentur in cuius territorio legitimum habeant domicilium.

Ad haec omnia perficienda Sacra Congregatio Consistorialis memoratum Excmum P. D. Aloisium Raimondi deputat, necessarias et opportunas eidem tribuens facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad eamdem Sacram Congregationem, cum primum fas erit, authenticum exemplar actus peractae executionis remittendi.

Quibus super rebus praesens edit Consistoriale Decretum perinde valiturum ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent.

Contrariis quibusvis minime obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis Consistorialis, die 15 mensis Octobris anno 1963.

CAROLUS Card. **CONFALONIERI,** *a Secretis*

L. © S.

t Franciscus Carpino, Archiep. tit. Serdicen., *Adsessor*

III

MISNENSIS

DECRETUM

De concathedralis erectione

Cum ecclesia cathedralis ad S. Petri, dioecesis Misnensis, in urbe vulgo ((Bautzen » extans, a catholicis pariter et a lutheranis ad sacra facienda continuo adhibeatur ideoque parum apta evaserit ad divinum cultum debita magnificentia peragendum, Excmus P. D. Otho Spülbeck, Episcopus Misnensis, nuper ab Apostolica Sede expostulavit ut templum aulicum, vulgo « Hofkirche » nuncupatum, in civitate Dresda situm, molis autem amplitudine et artis operibus conspicuum, ad gradum et dignitatem ecclesiae concathedralis eveheretur.

Porro Sacra haec Congregatio Consistorialis, vigore specialium facultatum a Ssmo Domino Nostro Paulo Divina Providentia Pp. VI sibi tributarum, re mature perpensa habitoque favorabili voto Excmi P. D. Conradi Bafile, Archiepiscopi titulo Antiocheni in Pisidia et apud Poederatam Germanicam Rempublicam Apostolici Nuntii, probe existimans id in divini cultus splendorem et in animarum bonum esse cessurum, porrectis precibus annuendum censuit.

Quapropter praesenti Consistoriali Decreto, perinde valituro ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent, memoratum templum in civitate Dresda extans ad dignitatem et fastigium ecclesiae concathedralis evehit, ita ut in eodem cathedra episcopalis erigi possit et Capitulum cathedrale divina officia, ad normam iuris, persolvere valeat.

Ad haec omnia executioni mandanda Sacra Congregatio Consistorialis praefatum Excmum P. D. Conradum Bafile deputat, necessarias et opportunas eidem tribuens facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere ei imposito ad eandem Sacram Congregationem authenticum exemplar actus peractae executionis quam primum remittendi.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis Consistorialis, die 20 Octobris 1963.

CAROLUS Card. **CONPALONIERI,** *a Secretis*

L. © **S.**

f Franciscus Carpino, Archiep. tit. Serdicen., *Adsessor*

SACRA CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

i

ASTRIDAËNSIS
(BÜTARENSIS)

DECRETUM

De nominis immutatione

Cum Excmus ac Revmus Dominus Vitus Roberti, Archiepiscopus titulo Tomitañus et Apostolicus in Ruanda Delegatus, proposuisset ut praesens denominatio dioecesis Astridaënsis ita permutaretur, ut deinde *Butarensis* nuncuparetur, iuxta novum nomen vulgo « Butare)) nuper urbi Astridaënsi datum, Sacra haec Congregatio de Propaganda Fide, re mature perpensa, optatis praelaudati Delegati Apostolici inhaerendum censuit.

Itaque eadem Sacra Congregatio, vigore facultatum sibi a Ssmo Domino nostro Paulo Divina Prov. Papa VI concessarum, supramemoratam propositionem adprobavit ac praesens in re Decretum confici iussit.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, die 12 mensis Novembris a. D. 1963.

G. P. Card. **AGAGIANIAN,** *Praefectus*

L. © S.

f Petrus Sigismondi, Archiep. tit. Neapolitan. in Pisidia, *a Secretis*

II

PORTUS ELIZABETHENSIS - DE AARENSIS

DECRETUM

De mutatione finium

Cum in Republica Africae Meridionalis limites ecclesiastici inter dioecesim Portus Elizabethensis, clero saeculari concreditam, et praefecturam apostolicam De Aarensem, Congregationi Sacerdotum a Sa-

ero Corde Iesu commissam, necessitatibus missionalis apostolatus amplius non responderent, ad partialem ipsorum limitum commutationem inter memoratas circumscriptiones ecclesiasticas procedere opportunum visum est.

Itaque, hoc Sacrum Consilium Christiano Nomini Propagando, re mature perpensa, consensu Ordinariorum quorum interest prae oculis habito, auditoque favorabili voto Excmi ac Revmi Domini Ioseph McGeough, Archiepiscopi tit. Hemeseni atque Apostolici in Africa Meridionali Delegati, vigore facultatum sibi a Sanctissimo Domino nostro Paulo Divina Providentia Papa VI concessarum, limites inter memoratas circumscriptiones ecclesiasticas ita emendandos censuit, ut districtus civiles vulgo Graaff Reinet, Murraysburg et Aberdeen, qui ad dioecesim Portus Elizabethensis hucusque pertinebant, a praedicta dioecesi distraherentur et ad praefecturam apostolicam De Aarensem adnecteretur, atque praesens ad rem Decretum expediri iussit. Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, die 7 mensis Ianuarii a. D. 1964.

G. P. Card. **AGAGIANIAN,** *Praefectus*

L. © S.

f Petrus Sigismondi, Archiep. tit. Neapolit. in Pisidia, *a Secretis*

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA ROMANA ROTA

Citationes edictales

I

DUBLINEN.

Nullitatis matrimonii (Twomey - Barry)

Cum ignoretur locus actualis commorationis reae conventae dominae Mariae Barry, eamdem citamus ad comparendum, aut per se aut per procuratorem legitime constitutum, coram Sacra Romana Rota (Piazza della Cancelleria, 1 - Roma), in diem 28 Februarii 1964, hora decima cum dimidio, pro concordatione dubii quod infra scribitur :

An constet de nullitate matrimonii, in casu.

Locorum Ordinarii, parochi, sacerdotes et fideles quicumque notitiam habentes commorationis praedictae dominae Mariae Barry, curare debent ut ipsa de hac edictali citatione rite moneatur. *

Henricus Ewers, *Ponens*

Ex Cancellaria Tribunalis S. R. Rotae, die 30 Novembris a. 1963.

Marius F. Pompedda, *Notarius*

* Etant inconnu le lieu de la demeure actuelle de M.me Marie Barry, défenderesse en cette cause, nous la citons à comparaître, par propre personne ou par un procureur légitimement constitué, au siège du Tribunal de la S. Rote Romaine (Roma, Palazzo della Cancelleria) le 28 février 1964, à 10 heures 30, pour concorder le doute ci-dessous rapporté:

Conste-t-il de la nullité du mariage, dans le cas?

Les Ordinaires des lieux, les curés, les prêtres, les fidèles ayant connaissance du lieu de la résidence de ladite Marie Barry, devront, dans la mesure du possible, l'avertir de la présente citation.

II

ROMANA

Nullitatis matrimonii (Cova - Cagnoni)

Cum ignoretur locus actualis commorationis domini Petri Cagnoni, in causa conventi, eumdem citamus ad comparendum, vel per se vel per procuratorem legitime constitutum, coram Tribunali Sacrae Romanae Rotae (Piazza della Cancelleria, 1 - Roma), pro bora duodecima diei 7 Martii 1964, ad concordandum dubium, vel ad infrascriptum dubium subscribendum :

An constet de matrimonii nullitate, in casu.

Ordinarii locorum, parochi aliique notitiam habentes commorationis praedicti domini Petri Cagnoni, curare debent ut ipse de hac edictali citatione rite moneatur. *

Carolus Lefebvre, *Ponens*

Ex Cancellaria Tribunalis S. R. Rotae, die 5 Decembris a. 1963.

Marius F. Pompedda, *Notarius*

* Etant inconnu le lieu de la demeure actuelle de M. Pierre Cagnoni, défendeur en cette cause, nous le citons à comparaître, par propre personne ou par un procureur légitimement constitué, au siège du Tribunal de la S. Rote Romaine (Roma, Palazzo della Cancelleria) le 7 mars 1964, à 12 heures, pour concorder ou souscrire le doute ci-dessous rapporté :

Conste-t-il de la nullité du mariage, dans le cas?

Les Ordinaires des lieux, les curés, les prêtres, les fidèles ayant connaissance du lieu de la résidence dudit Pierre Cagnoni, devront, dans la mesure du possible, l'avertir de la présente citation.

TRIBUNAL VICARIATUS URBIS

Citationes edictales

I

ROMANA

Nullitatis matrimonii (Pompei - Passeri)

Cum ignoretur locus actualis commorationis dominae Theresiae Passeri, in causa de qua supra conventae, eamdem citamus ad comparendum coram Tribunali Primae Instantiae Vicariatus Urbis (Piazza S. Callisto, 16 - Roma), aut per se aut per procuratorem legitime constitutum, in diem 28 Februarii 1964, hora duodecima, pro concordatione sequentis dubii :

An constet de nullitate matrimonii, in casu.

Ordinarii locorum, parochi, fideles quicumque notitiam habentes actualis commorationis praedictae dominae Theresiae Passeri, curare debent ut ipsa de hac edictali citatione rite moneatur. *

Aemilius Boccalini, *Iudex Instructor*

Ex Aedibus Tribunalis Vicariatus Urbis, die 6 Decembris 1963.

V. Frazzano, *Cancellarius*

* Etant inconnu le lieu de la demeure actuelle de M.me Thérèse Passeri, défenderesse en cette cause, nous la citons à comparaître, par propre personne ou par un procureur légitimement constitué, au siège du Tribunal du Vicariat de Rome (Roma, Piazza S. Callisto, 16) le 28 février 1964, à 12 heures, pour concorder le doute ci-dessous rapporté :

Conste-t-il de la nullité du mariage, dans le cas?

Les Ordinaires des lieux, les curés, les prêtres, les fidèles ayant connaissance du lieu de la résidence de ladite M.me Thérèse Passeri, devront, dans la mesure du possible, Pavertir de la présente citation.

II

ROMANA

Nullitatis matrimonii (Gerardi - Thornton)

Cum ignoretur locus actualis commorationis domini Alani Adam Thornton, in causa de qua supra conventi, eumdem citamus ad comparendum coram Tribunali Primae Instantiae Vicariatus Urbis (Piazza S. Callisto, 16 - Roma), aut per se aut per procuratorem legitime constitutum, in diem 21 Martii 1964, hora duodecima, pro concordatione sequentis dubii :

An constet de nullitate matrimonii, in casu.

Ordinarii locorum, parochi, fideles quicumque notitiam habentes actualis commorationis praedicti domini Alani Adam Thornton, curare debent ut ipse de hac edictali citatione rite moneatur. *

Aemilius Boccalini, *Iudex Instructor*

Ex Aedibus Tribunalis Vicariatus Urbis, die 21 Decembris 1963.

V. Frazzano, *Cancellarius*

* Etant inconnu le lieu de la demeure actuelle de M. Alain Adam Thornton, défendeur en cette cause, nous le citons à comparaître, par propre personne ou par un procureur légitimement constitué, au siège du Tribunal du Vicariat de Rome (Roma, Piazza S. Callisto, 16) le 21 mars 1964, à 12 heures, pour concorder le doute ci-dessous rapporté:

Conste-t-il de la nullité du mariage, dans le cas?

Les Ordinaires des lieux, les curés, les prêtres, les fidèles ayant connaissance du lieu de la résidence dudit M. Alain Adam Thornton, devront, dans la mesure du possible, l'avertir de la présente citation.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Venerdì, **20** dicembre **1963,** il Santo Padre Paolo VI ha ricevuto in solenne Udienza, per la presentazione delle Lettere Credenziali, Sua Eccellenza il Prof. **MOHAMED EL TABÉI MOHAMED**, Ambasciatore Straordinario e Plenipotenziario della Repubblica Araba Unita.

SACRA CONGREGAZIONE DEI RITI

» Martedì 17 dicembre 1963, nel Palazzo Apostolico Vaticano si è adunata la S. Congregazione dei Riti *ordinaria particolare,* nella quale gli Emi e Revmi Signori Cardinali e i Revmi Prelati Officiali hanno discusso sulla introduzione della Causa di Beatificazione dei Servi di Dio :

1. Vittore Scheppers, fondatore dell'Istituto dei Fratelli e delle Suore di Nostra Signora della Misericordia;
2. Maria del Monte Carmelo del Bambin Gesù (González Ramos), fondatrice della Congregazione delle Terziarie Francescane dei Sacri Cuori di Gesù e Maria.

Sono state esaminate inoltre le relazioni dei censori teologi su gli scritti dei Servi di Dio :

1. Luigi Variara, sacerdote professo della Pia Società di S. Francesco di Sales, fondatore dell'Istituto delle Suore Figlie dei Sacri Cuori di Gesù e Maria ;
2. Guglielmo Eberschweiler, sacerdote professo della Compagnia di Gesù ;
3. Maria Lucrezia Zileri, confondatrice e superiora generale della Congregazione delle Suore Orsoline Parmensi del S. Cuore.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Brevi Apostolici il Santo Padre Giovanni XXIII, di venerata memoria, si degnò di nominare:

9 maggio 1961. L'Emo e Revmo Signor Card. Caggiano Antonio, *Protettore delle « Religiosas Adoratrices del Santísimo Sacramento* » (Buenos Aires).

18 giugno 1962. L'Emo e Revmo Signor Card. Marella Paolo, *Protettore delle « Filles de Notre-Dame du Sacré Cœur »* (Issoudun, Bourges).

18 maggio 1963. L'Emo e Revmo Signor Card. Cicognani Amleto Giovanni, *Protettore delle Suore Carmelitane del Sacro Cuore di Gesù* (Madrid).

Con Brevi Apostolici il Santo Padre Giovanni XXIII, di venerata memoria, si degnò di nominare:

Protonotari Apostolici ad instar participantium:

20 novembre 1962. Monsig. Delgado Pires Giuseppe (Beja).
» » » Monsig. Marques Torrâo Francesco (Beja).
4 dicembre » Monsig. Marceno Vincenzo (Azul).

Con Brevi Apostolici il Santo Padre Paolo VI, felicemente regnante, si è degnato di nominare :

2 ottobre 1963. L'Emo e Revmo Signor Card. Larraona Arcadio M., *Protettore delle « Rijas de Maria Religiosas de las Escuelas Pias »* (Figueras, Barcellona).

8)) » L'Emo e Revmo Signor Card, Tisserant Eugenio, *Protettore delle « Filles de la Compassion Servantes du Seigneur »* (Domfront, Beauvais).

28 » » L'Emo e Revmo Signor Card. Giobbe Paolo, *Protettore delle « Povere Ancelle della Madre di Dio »* (Roma).

6 novembre » L'Emo e Revmo Signor Card. Urbani Giovanni, *Protettore delle « Suore Francescane di Cristo Re »* (Venezia).

» » » L'Emo e Revmo Signor Card. Marella Paolo, *Protettore delle « Sœurs du Très Saint Sauveur »* (Oberbronn, Strasbourg).

» » » L'Emo e Revmo Signor Card. Antoniutti Ildebrando, *Protettore delle « Sisters of Charity of the Imma culate Conception »* (Saint John, N. B., Canada).

19 » » L'Emo e Revmo Signor Card. Antoniutti Ildebrando, *Protettore delle Suore di S. Giuseppe di Chambery* (Roma).

25 » » U Rev. Sac. Toth Giulio, *Cappellano Comune Pontificio soprannumerario* (Roma).

29 » » S. E. Revma Monsig. Martini Carlo, Arcivescovo tit. di Abari, *Nunzio Apostolico nelle Filippine.*

3 dicembre » L'Emo e Revmo Signor Card. Tisserant Eugenio, *Protettore delle « Suore Carmelitane Missionarie di Santa Teresa del Bambino Gesù »* (Santa Marinella, Porto e Santa Rufina).

28 » » S. E. Revma Monsig. Romani Silvio, *Protonotario Apostolico di numero.*

Con Brevi Apostolici il Santo Padre Paolo VI, felicemente regnante, si è degnato di nominare:

Protonotari Apostolici ad instar participantium:

17	luglio	1963.	Monsig. Groot Giovanni M. (Haarlem).
24	»	»	Monsig. Newman Gilbey Alfredo (Brentwood).
29	»	»	Monsig. Palmira La valle Martino (Campeche).
5	agosto	»	Monsig. Kennedy Giovanni (Hartford).
13	»	»	Monsig. Cornidez Porfirio (Hermosillo).
6	settembre	»	Monsig. Tierney Giuseppe (Ogdensburg).
30	»	»	Monsig. Gajo Giulio (Feltre e Belluno).
»	»	»	Monsig. Orrù Giuseppe (Cagliari).
»	»		Monsig. Peters Bernardo (Tubarào).
»	»		Monsig. Guilfoyle Giorgio (New York).
»	»	»	Monsig. Quinn Andrea (New York).
»	»	»	Monsig. Kelly Giacomo (New York).
			Monsig. Boyle Giacomo (New York).
		»	Monsig. Cagnina Francesco (New York).
	»		Monsig. Toner Michele (New York).
»		»	Monsig. Krasula Stefano (New York).
7	ottobre		Monsig. Eomersi Carlo (Torino).
	»		Monsig. Pereira da Silva Giuseppe (Angra).
	»		Monsig. Gomez Giuseppe (Angra).
	»		Monsig. Todisco Settimio (Brindisi).
»			Monsig. Banci Umberto (Orvieto).
29	»		Monsig. Pistoiesi Eraldo (Montalcino).
»	»	»	Monsig. Bernedo Malaga Leonida (Arequipa).
5	novembre		Monsig. Cauneau Isaia Marcello (La Rochelle).
7	»	»	Monsig. Kelly Francesco (Townsville).
16	»		Monsig. McKevitt Nolan B. (Marquette).
»		»	Monsig. Sheahan Giacomo (Bathurst).
18	»	»	Monsig. Beslic Paolo (Jugoslavenska Baèka).
	»	»	Monsig. Csipak Francesco (Jugoslavenska Backa)
»			Monsig. Perna Stefano (Napoli).
19			Monsig. Koegl Giuseppe (Trento).
20	»	»	Monsig. Connell Walter (Springfield, Mass.).
»			Monsig. Fenton Giuseppe (Springfield, Mass.).
»	»		Monsig. Leclaire Guglielmo (Springfield, Mass.).
»	»		Monsig. Wieloch Giovanni (Springfield, Mass.).
26	»	»	Monsig. Flórez Ruiz Edoardo (Chiapas).
»	»	»	Monsig. Lesniewski Apollinare (Wladislavia).
	»	»	Monsig. Widlak Giovanni (Kielce).
2	dicembre		Monsig. Scalco Marco (Vicenza).
3	»	»	Monsig. Gillespie Patrizio (Baton Rouge).
»	»	»	Monsig. Lohmann Ermanno (Baton Rouge).
9	»	»	Monsig. Johnson Giuseppe (Springfield, Mass.).

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Paolo VI, felicemente regnante, si è degnato di nominare:

28 novembre 1963. L'Emo e Revmo Signor Cardinale Da Costa Nunes Ginseppe, *Membro della Sacra Congregazione della Disciplina dei Sacramenti.*

2 gennaio 1964. L'Illmo e Revmo Monsig. Massimi Giuseppe, *Suo Sotto-Datario.*

3 » » S. E. Revma Monsig. Bartoccetti Vittorio, *Consultore della Suprema Sacra Congregazione del Santo Offizio.*

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Paolo VI, felicemente regnante, si è degnato di nominare :

Camerieri d'onore soprannumerari di Spada e Cappa di Sua Santità :

28 settembre 1963. Il sig. Lemaigre du Breuil Renato E. M. (Limoges).
» » » Il sig. Fucile Virgilio (Roma).
» » » Il sig. Salabé Adolfo (Roma).

ONORIFICENZE

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Giovanni XXIII, di venerata memoria, si degnò di conferire:

La Commenda dell'Ordine Piano :

3 novembre 1962. Al sig. Caron Giuseppe.
» » » Al sig. Sen Binai Ranjan.

La Commenda con Placca dell'Ordine di san Gregorio Magno, classe civile:

3 novembre 1962. Al sig. Wiei-Tse-Chang *(Cina).*
» » » " Al sig. Belluzzi Marino Benedetto *(Repubblica di San Marino).*
» » » Al sig. Benvenuti Lodovico
» » » Al sig. Correa Giuseppe A.
» » » Al sig. Giretti Luciano

La Placca dell'Ordine di san Gregorio Magno, classe civile :

29 ottobre 1962. Al sig. Spaens Corrado *(Finlandia).*
3 novembre » Al sig. Malvestiti Piero *(Italia).*
» » » Al sig. Medi Enrico *(Italia).*
20 aprile 1963. Al sig. Dall'Orso Giovanni (Chiavari).
27 » » Al sig. Brazâo Edoardo *(Portogallo).*
4 maggio » Al sig. Padellaro Giuseppe (Roma).

La Commenda dell'Ordine di san Gregorio Magno, classe civile:

3	novembre	1962.	Al sig. Jin Seng Ahn *(Corea).*
»	»	»	Al sig. Karaburçak Bedei *(Turchia).*
10	»	»	Al sig. Baerlocher Angusto (Basel e Lugano).
9	marzo	1963.	Al sig. Hopmann Enrico *(Germania).*
23	»	»	Al sig. Perrin-Waldemer Boger (Paris).
30		»	Al sig. Bouzé Paolo (Lille).
»	»	»	Al sig. Lestienne Michele (Lille).
»	»	»	Al sig. Cardaci Vittorio (Roma).
16	aprile	»	Al sig. Geagea Emilio (Antiochia dei Maroniti).
»	»	»	Al sig. Buttini Erminio (Roma).
20	»	»	Al sig. Ciotta Paolo (Agrigento).
»	»	»	Al sig. Anderlini Boezio (Roma).
27	»		Al sig. Ra vano Francesco (Genova).
»	»	»	Al sig. Manieri Gregorio (Parma).
»	»	»	Al sig. Lenti Enrico (Roma).
	»	»	Al sig. Valeri Caldesi Valerio (Sarsina).
	»	»	Al sig. Cinti-Luciani Antonio (Urbanía e Sant'Angelo in Vado).
4	maggio	»	Al sig. Petrucci Amerigo (Roma).

La Commenda dell'Ordine di san Gregorio Magno, classe militare:

10	aprile	1963.	Al sig. Freiré Vasconcellos Ruas Oscar (Lourenço Marques).

Il Cavalierato dell'Ordine di san Gregorio Magno, classe civile:

8	dicembre	1962.	Al sig. Staff ord Giacomo (Feras).
24	febbraio	1963.	Al sig. Stoppa Giorgio (Roma).
9	marzo	»	Al sig. Van Doorn Lamberto G. A. (Rotterdam).
»	»	»	Al sig. Van Zaalen Cornelio Giuseppe (Rotterdam).
30	»	»	Al sig. Bernard Giovanni (Lille).
»	»	»	Al sig. Boone Giovanni (Lille).
»	»	»	Al sig. Borei Andrea (Lille).
»	»	»	Al sig. Cau Giovanni (Lille).
		»	Al sig. Defaux Giulio (Lille).
	»	»	Al sig. Desombre Edoardo (Lille).
»	»		Al sig. Dufour Giovanni (Lille).
»		»	Al sig. Masson Pietro (Lille).
	»	»	Al sig. Prouvost Edoardo (Lille).
	»	»	Al sig. Tiberghien Giovanni (Lille).
	»	»	Al sig. Voreux Alberto (Lille).
»	»	»	Al sig. Wallaert Enrico (Lille).
»	»		Al sig. Wattinne Gerardo (Lille).
»	»	»	Al sig. Wibaux Giorgio (Lille).
20	aprile	»	Al sig. Ponticelli Lorenzo (Grosseto).
27	»		Al sig. Ciloian Boghos (Ispahan degli Armeni).

27 aprile 1963. Al sig. Petrossian Oarapet (Ispahan degli Armeni). „
» » » Al sig. Zuccarini Aurelio (Parma).
4 maggio » Al sig. Fossati Danilo (Milano).

La Commenda dell'Ordine di san Silvestro Papa:

3 novembre 1962. Al sig. Alwan Mohamed Hassan *(Iraq).*
19 gennaio 1963. Al sig. Boyd Barrett Giovanni Roberto (Gork and Ross).
16 aprile » Al sig. De Mauro Cassio (Brindisi).
20 » » Al sig. Grado Domenico (Agrigento).
» » » Al sig. Carbone Domenico *(Italia).*
» Al sig. De Ferrari Giovanni Paolo *(Italia).*
» Al sig. Lenzi Roberto *(Italia).*
» » » Al sig. Licata Giovanni *(Italia).*
» » Al sig. Marcucci Armando *(Italia).*
» Al sig. Ricci Guido *(Italia).*
» » Al sig. Sessa Luigi *(Italia).*
» Al sig. Torelli Aurelio *(Italia).*
27 » Al sig. Giorgio Andrea (Altamura).
» » Al sig. D'Alessandro Francesco (Roma).
» » » Al sig. Crepaz Mario (Trieste).
4 maggio » Al sig. Scarpa Francesco (Roma).
10 » » Al sig. La Manna Michele (Taranto).

Il Cavalierato dell'Ordine di san Silvestro Papa:

19 gennaio 1963. Al sig. Ron Vilas Evaristo *(Spagna).*
9 febbraio » Al sig. Sabet Edoardo (Paris).
16 » » Al sig. Ainesi Emilio *(Principato di Monaco).*
20 aprile » Al sig. Coumans Giuseppe (Roermond).
27 » Al sig. Rinaldi Francesco (Frascati).
» Al sig. Rinaldi Mario (Frascati).
» » Al sig. Ramaioli Felice (Pavia).
M » » Al sig. Motta Giovanni (Roma).
» » » Al sig. Rigotti Luigi (Roma).

NECROLOGIO

11 dicembre 1963. Monsig. Mac Neely William, Vescovo di Raphoe.
28 » » Monsig. Calewaert Karel Justien, Vescovo di Gent.
29 » » Monsig. Seper Franjo, Arcivescovo di Zagreb.
8 gennaio 1964. Monsig. de Filippis Francesco, Arcivescovo tit. di Gangra.
10 » Monsig. Collier Patrick, Vescovo di Ossory.
11 » » L'Emo Signor Card. Jullien Andrea, Diacono di S. Giorgio in Velabro.
13 » » Monsig. Stappers Camille Paul A., Vescovo tit. di Ceramo.
21 » » L'Emo Signor Card. Chiarlo Carlo, del titolo di Santa Maria in Portico.

An. et vol. LVI 15 Februarii 1964 (Ser. HI, v. VI) - N. 2

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico - Città del Vaticano — *Administratio:* Libreria Editrice Vaticana

SACROSANCTUM CONCILIUM OECUMENICUM VATICANUM II

CONSTITUTIO DE SACRA LITURGIA

PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
UNA CUM SACROSANCTI CONCILII PATRIBUS
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

1. **SACROSANCTUM CONCILIUM**, cum sibi proponat vitam christianam inter fideles in dies augere; eas institutiones quae mutationibus obnoxiae sunt, ad nostrae aetatis necessitates melius accommodare; quidquid ad unionem omnium in Christum credentium conferre potest, fovere; et quidquid ad omnes in sinum Ecclesiae vocandos conducit, roborare; suum esse arbitratur peculiari ratione etiam instaurandam atque fovendam Liturgiam curare.

2. Liturgia enim, per quam, maxime in divino Eucharistiae Sacrificio, « opus nostrae Redemptionis exercetur »[1] summe eo confert ut fideles vivendo exprimant et aliis manifestent mysterium Christi et genui-

[1] Secreta dominicae IX post Pentecostem

nam verae Ecclesiae naturam, cuius proprium est esse humanam simul ac divinam, visibilem in visibilibus praeditam, actione ferventem et contemplationi vacantem, in mundo praesentem et tamen peregrinam ; et ita quidem ut in ea quod humanum est ordinetur ad divinum eique subordinetur, quod visibile ad invisibile, quod actionis ad contemplationem, et quod praesens ad futuram civitatem quam inquirimus.[2] Unde cum Liturgia eos qui intus sunt cotidie aedificet in templum sanctum in Domino, in habitaculum Dei in Spiritu,[3] usque ad mensuram aetatis plenitudinis Christi,[4] miro modo simul vires eorum ad praedicandum Christum roborat, et sic Ecclesiam iis qui sunt foris ostendit ut signum levatum in nationes,[5] sub quo filii Dei dispersi congregentur in unum[6] quousque unum ovile fiat et unus pastor.[7]

3. Quare Sacrosanctum Concilium, de fovenda atque instauranda Liturgia quae sequuntur principia censet in mentem revocanda et practicas normas statuendas esse.

Inter haec principia et normas nonnulla habentur quae tum ad ritum romanum tum ad omnes alios ritus applicari possunt ac debent, licet normae practicae quae sequuntur solum ritum romanum spectare intellegendae sint, nisi agatur de iis quae ex ipsa rei natura alios quoque ritus afficiant.

4. Traditioni denique fideliter obsequens, Sacrosanctum Concilium declarat Sanctam Matrem Ecclesiam omnes ritus legitime agnitos aequo iure atque honore habere, eosque in posterum servari et omnimode foveri velle, atque optat ut, ubi opus sit, caute ex integro ad mentem sanae traditionis recognoscantur et novo vigore, pro hodiernis adiunctis et necessitatibus, donentur.

[2] **Cf. *Hebr.* 13, 14.**
[3] **Of. *Eph.* 2, 21-22.**
[4] **Cf. *Eph.* 4, 13.**
[5] **Cf. *Is.* 11, 12.**
[6] **Cf. *Io.* 11, 52.**
[7] **Cf. *Io.* 10, 16.**

CAPUT I

De principiis generalibus ad sacram Liturgiam instaurandam atque fovendam

I - DE SACRAE LITURGIAE NATURA EIUSQUE MOMENTO IN VITA ECCLESIAE

5. Deus, qui ((omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire » *(1 Tim.* 2, 4), « multifariam multisque modis olim loquens patribus in prophetis » *(Hebr.* 1, 1), ubi venit plenitudo temporis, misit Filium suum, Verbum carnem factum, Spiritu Sancto unctum, ad evangelizandum pauperibus, ad sanandos contritos corde,[8] « medicum carnalem et spiritualem »,[9] Mediatorem Dei et hominum.[10] Ipsius namque humanitas, in unitate personae Verbi, fuit instrumentum nostrae salutis. Quare in Christo « nostrae reconciliationis processit perfecta placano, et divini cultus nobis est indita plenitudo A.[11]

Hoc autem humanae Redemptionis et perfectae Dei glorificationis opus, cui divina magnalia in populo Veteris Testamenti praeluserant, adimplevit Christus Dominus, praecipue per suae beatae. Passionis, ab inferis Resurrectionis et gloriosae Ascensionis paschale mysterium, quo « mortem nostram moriendo destruxit, et vitam resurgendo reparavit ».[12] Nam de latere Christi in cruce dormientis ortum est totius Ecclesiae mirabile sacramentum.[13]

[8] Cf. *Is.* 61, 1 ; *Lc. 4,* 18.

[9] S. Ignatius Antiochenus, *Ad Ephesios,* 7, 2; ed. F. X. Funk, *Patres Apostolici,* I, Tubingae 1901, p. 218.

[10] Cf. *1 Tim.* 2, 5.

[11] *Sacramentarium Veronense* (Leonianum); ed. C. Moniberg, Romae 1956, n. 1265, p. 162.

[12] Praefatio paschalis in Missali Romano.

[13] Cf. S. Augustinus, *Enarr. in Ps. CXXXVIII,* 2; *Corpus Christianorum* XL, Turnholti 1956, p. 1991 ; et orationem post secundam lectionem Sabbati sancti, in Missali Romano, ante instaurationem Hebdomadae sanctae.

6. Ideoque, sicut Christus missus est a Patre, ita et ipse Apostolos, repletos Spiritu Sancto, misit, non solum ut, praedicantes Evangelium omni creaturae,[14] annuntiarent Filium Dei morte sua et resurrectione nos a potestate satanae [15] et a morte liberasse et in regnum Patris transtulisse, sed etiam ut, quod annuntiabant, opus salutis per Sacrificium et Sacramenta, circa quae tota vita liturgica vertit, exercerent. Sic per Baptismum homines paschali Christi mysterio inseruntur : commortui, consepulti, conresuscitati ; [16] spiritum accipiunt adoptionis filiorum, « in quo clamamus : Abba, Pater » *(Rom.* 8, 15), et ita fiunt veri adoratores, quos Pater quaerit.[17] Similiter quotiescumque dominicam cenam manducant, mortem Domini annuntiant donec veniat.[18] Idcirco, ipso die Pentecostes, quo Ecclesia mundo apparuit, ((qui receperunt sermonem » Petri « baptizati sunt ». Et erant « perseverantes in doctrina Apostolorum et communicatione fractionis panis et orationibus ... collaudantes Deum et habentes gratiam ad omnem plebem » *(Act.* 2, 41-47). Numquam exinde omisit Ecclesia quin in unum conveniret ad paschale mysterium celebrandum : legendo ea « in omnibus Scripturis quae de ipso erant)) *(Lc.* 24, 27), Eucharistiam celebrando in qua ((mortis eius victoria et triumphus repraesentatur », [19] et simul gratias agendo « Deo super inenarrabili dono » *(2 Cor.* 9, 15) in Christo Iesu, « in laudem gloriae eius » *(Eph.* 1, 12), per virtutem Spiritus Sancti.

7. Ad tantum vero opus perficiendum, Christus Ecclesiae suae semper adest, praesertim in actionibus liturgicis. Praesens adest in Missae Sacrificio cum in ministri persona, <(idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit)), [20] tum maxime sub specie-

[14] **Cf. *Me.* 16, 15.**

[15] **Cf. *Act.* 26, 18.**

[16] **Cf. *Rom.* 6, 4; *Eph.* 2, 6; *Coloss.* 3, 1; *2 Tim. 2,* 11.**

[17] **Cf. *Io.* 4, 23.**

[18] **Cf. *1 Cor.* 11, 26.**

[19] **Conc. Trid., Sess. XIII, 11 Oct. 1551, Decr. *De ss. Eucharistia,* c. 5: Concilium Tridentinum, *Diariorum, Actorum, Epistolarum, Tractatuum nova collectio,* ed. Soc. Goerresiana, t. VII. *Actorum* pars IV, Friburgi Brisgoviae 1961, p. 202.**

[20] **Conc. Trid., Sess. XXII, 17 Sept. 1562, Doctr. *De ss. Missae sacrificio,* c. 2: Concilium Tridentinum, *ed. cit.,* t. VIII. *Actorum* pars V, Friburgi Brisgoviae 1919, p. 960.**

bus eucharisticis. Praesens adest virtute sua in Sacramentis, ita ut cum aliquis baptizat, Christus ipse baptizet.[21] Praesens adest in verbo suo, siquidem ipse loquitur dum sacrae Scripturae in Ecclesia leguntur. Praesens adest denique dum supplicat et psallit Ecclesia, ipse qui promisit : « Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum » *(Mt.* 18, 20).

Reapse tanto in opere, quo Deus perfecte glorificatur, et homines sanctificantur, Christus Ecclesiam, sponsam suam dilectissimam, sibi semper consociat, quae Dominum suum invocat et per ipsum Aeterno Patri cultum tribuit.

Merito igitur Liturgia habetur veluti Iesu Christi sacerdotalis muneris exercitatio, in qua per signa sensibilia significatur et modo singulis proprio efficitur sanctificatio hominis, et a mystico Iesu Christi Corpore, Capite nempe eiusque membris, integer cultus publicus exercetur.

Proinde omnis liturgica celebratio, utpote opus Christi sacerdotis, eiusque Corporis, quod est Ecclesia, est actio sacra praecellenter, cuius efficacitatem eodem titulo eodemque gradu nulla alia actio Ecclesiae adaequat.

8. In terrena Liturgia caelestem illam praegustando participamus, quae in sancta civitate Ierusalem, ad quam peregrini tendimus, celebratur, ubi Christus est in dextera Dei sedens, sanctorum minister et tabernaculi veri ;[22] cum omni militia caelestis exercitus hymnum gloriae Domino canimus ; memoriam Sanctorum venerantes partem aliquam et societatem cum iis speramus ; Salvatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, donec ipse apparebit vita nostra, et nos apparebimus cum ipso in gloria.[23]

9. Sacra Liturgia non explet totam actionem Ecclesiae; nam antequam homines ad Liturgiam accedere possint, necesse est ut ad fidem

[21] **Cf. S. Augustinus, *In Ioannis Evangelium tractatus VI,* cap. I, n. 7 ; *PL* 35, 1428.**
[22] **Cf. *Apoc.* 21, 2; *Coloss.* 3, 1; *Hebr.* 8, 2.**
[23] **Cf. *Philipp.* 3, 20; *Coloss.* 3, 4.**

et conversionem vocentur : « Quomodo invocabunt in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei quem non audierunt? Quomodo autem audient sine praedicante? Quomodo vero praedicabunt nisi mittantur? » *(Rom.* 10, 14-15).

Quare Ecclesia non credentibus praeconium salutis annuntiat, ut omnes homines solum Deum verum et quem misit Iesum Christum cognoscant et a viis suis convertantur, paenitentiam agentes.[24] Credentibus vero semper fidem et paenitentiam praedicare debet, eos praeterea debet ad Sacramenta disponere, docere servare omnia quaecumque mandavit Christus,[25] et allicere ad omnia opera caritatis, pietatis et apostolatus, quibus operibus manifestum fiat christifideles de hoc mundo quidem non esse, sed tamen esse lucem mundi eosdemque Patrem glorificare coram hominibus.

10. Attamen Liturgia est culmen ad quod actio Ecclesiae tendit et simul fons unde omnis eius virtus emanat. Nam labores apostolici ad id ordinantur ut omnes, per fidem et Baptismum filii Dei facti, in unum conveniant, in medio Ecclesiae Deum laudent, Sacrificium participent et cenam dominicam manducent.

Vicissim, ipsa Liturgia impellit fideles ut « sacramentis paschalibus » satiati fiant « pietate concordes » ;[26] orat ut « vivendo teneant quod fide perceperunt»;[27] renovatio vero foederis Domini cum hominibus in Eucharistia fideles in urgentem caritatem Christi trahit et accendit. Ex Liturgia ergo, praecipue ex Eucharistia, lit e fonte, gratia in nos derivatur et maxima cum efficacia obtinetur illa in Christo hominum sanctificatio et Dei glorificatio, ad quam, uti ad finem, omnia alia Ecclesiae opera contendunt.

11. Ut haec tamen plena efficacitas habeatur, necessarium est ut fideles cum recti animi dispositionibus ad sacram Liturgiam accedant,

[24] **Of. *Io.* 17, 3; *Lc.* 24, 27; *Act.* 2, 38.**
[25] **Of. *Mt.* 28, 20.**
[26] **Postcommunio Vigiliae Paschalis et dominicae Resurrectionis.**
[27] **Oratio Missae feriae III infra octavam Paschae.**

mentem suam voci accommodent, et supernae gratiae cooperentur, ne eam in vacuum recipiant.[28] Ideo sacris pastoribus advigilandum est ut in actione liturgica non solum observentur leges ad validam et licitam celebrationem, sed ut fideles scienter, actuose et fructuose eandem participent.

12. Vita tamen spiritualis non unius sacrae Liturgiae participatione continetur. Christianus enim ad communiter orandum vocatus, nihilominus debet etiam intrare in cubiculum suum ut Patrem in abscondito oret,[29] immo, docente Apostolo, sine intermissione orare.[30] Et ab eodem Apostolo docemur mortificationem Iesu semper circumferre in corpore nostro, ut et vita Iesu manifestetur in carne nostra mortali.[31] Quapropter Dominum in Missae Sacrificio precamur ut, « hostiae spiritualis oblatione suscepta, nosmetipsos » sibi perficiat « munus aeternum ».[32]

13. Pia populi christiani exercitia, dummodo legibus et normis Ecclesiae conformia sint, valde commendantur, praesertim cum de mandato Apostolicae Sedis fiunt.

Speciali quoque dignitate gaudent sacra Ecclesiarum particularium exercitia, quae de mandato Episcoporum celebrantur, secundum consuetudines aut libros legitime approbatos.

Ita vero, ratione habita temporum liturgicorum, eadem exercitia ordinentur oportet, ut sacrae Liturgiae congruant, ab ea quodammodo deriventur, ad eam populum manuducant, utpote quae natura sua iisdem longe antecellat.

[28] Cf. *2 Cor.* 6, 1.
[29] Cf. *Mt.* 6, 6.
[30] Cf. *1 Thess, o,* 17.
[31] Cf. *2 Cor.* 4, 10-11.
[32] Secreta feriae II infra octavam Pentecostes.

II - DE LITURGICA INSTITUTIONE ET DE ACTUOSA PARTICIPATIONE PROSEQUENDIS

14. Valde cupit Mater Ecclesia ut fideles universi ad plenam illam, consciam atque actuosam liturgicarum celebrationum participationem ducantur, quae ab ipsius Liturgiae natura postulatur et ad quam populus christianus, « genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus adquisitionis)) *(1 Petr.* 2, 9; cf. 2, 4-5), vi Baptismatis ius habet et officium.

Quae totius populi plena et actuosa participatio, in instauranda et fovenda sacra Liturgia, summopere est attendenda : est enim primus, isque necessarius fons, e quo spiritum vere christianum fideles hauriant ; et ideo in tota actione pastorali, per debitam institutionem, ab animarum pastoribus est sedulo adpetenda.

Sed quia, ut hoc evenire possit, nulla spes effulget nisi prius ipsi animarum pastores spiritu et virtute Liturgiae penitus imbuantur in eaque efficiantur magistri, ideo per necesse est ut institutioni liturgicae cleri apprime consulatur. Quapropter Sacrosanctum Concilium ea quae sequuntur statuere decrevit.

15. Magistri, qui sacrae Liturgiae disciplinae in seminariis, studiorum domibus religiosis et facultatibus theologicis docendae praeficiuntur, ad munus suum in institutis ad hoc speciali cura destinatis probe instituendi sunt.

16. Disciplina de sacra Liturgia in seminariis et studiorum domibus religiosis inter disciplinas necessarias et potiores, in facultatibus autem theologicis inter disciplinas principales est habenda, et sub aspectu cum theologico et historico, tum spirituali, pastorali et iuridico tradenda. Curent insuper aliarum disciplinarum magistri, imprimis theologiae dogmaticae, sacrae Scripturae, theologiae spiritualis et pastoralis ita, ex intrinsecis exigentiis proprii uniuscuiusque obiecti, mysterium Chri-

sti et historiam salutis excolere, ut exinde earum connexio cum Liturgia et unitas sacerdotalis institutionis aperte clarescant.

17. Clerici, in seminariis domibusque religiosis, formationem vitae spiritualis liturgicam acquirant, cum apta manuductione qua sacros ritus intellegere et toto animo participare queant, tum ipsa sacrorum mysteriorum celebratione, necnon aliis pietatis exercitiis spiritu sacrae Liturgiae imbutis ; pariter observantiam legum liturgicarum addiscant, ita ut vita in seminariis et religiosorum institutis liturgico spiritu penitus informetur.

18. Sacerdotes, sive saeculares sive religiosi, in vinea Domini iam operantes, omnibus mediis opportunis iuventur ut plenius semper quae in functionibus sacris agunt intellegant, vitam liturgicam vivant, eamque cum fidelibus sibi commissis communicent.

19. Liturgicam institutionem necnon actuosam fidelium participationem, internam et externam, iuxta ipsorum aetatem, condicionem, vitae genus et religiosae culturae gradum, animarum pastores sedulo ac patienter prosequantur, unum e praecipuis fidelis mysteriorum Dei dispensatoris muneribus absolventes; et gregem suum hac in re non verbo tantum, sed etiam exemplo ducant.

20. Transmissiones actionum sacrarum ope radiophonica et televisifica, praesertim si agatur de Sacro faciendo, discrete ac decore fiant, ductu et sponsione personae idoneae, ad hoc munus ab Episcopis destinatae.

III - DE SACRAE LITURGIAE INSTAURATIONE ,

21. Pia Mater Ecclesia, ut populus christianus in sacra Liturgia abundantiam gratiarum securius assequatur, ipsius Liturgiae generalem instaurationem sedulo curare cupit. Nam Liturgia constat parte immutabili, utpote divinitus instituta, et partibus mutationi obnoxiis, quae

decursu temporum variare possunt vel etiam debent, si in eas forte irrepserint quae minus bene ipsius Liturgiae intimae naturae respondeant, vel minus aptae factae sint.

Qua quidem instauratione, textus et ritus ita ordinari oportet, ut sancta, quae significant, clarius exprimant, eaque populus christianus, in quantum fieri potest, facile percipere atque plena, actuosa et communitatis propria celebratione participare possit.

Quare Sacrosanctum Concilium generaliores has normas statuit.

A) *Normae generales*

22. § 1. Sacrae Liturgiae moderatio ab Ecclesiae auctoritate unice pendet : quae quidem est apud Apostolicam Sedem et, ad normam iuris, apud Episcopum.

§ 2. Ex potestate a iure concessa, rei liturgicae moderatio inter limites statutos pertinet quoque ad competentes varii generis territoriales Episcoporum coetus legitime constitutos.

§ 3. Quapropter nemo omnino alius, etiamsi sit sacerdos, quidquam proprio marte in Liturgia addat, demat, aut mutet.

23. Ut sana traditio retineatur et tamen via legitimae progressioni aperiatur, de singulis Liturgiae partibus recognoscendis accurata investigatio theologica, historica, pastoralis semper praecedat. Insuper considerentur cum leges generales structurae et mentis Liturgiae, tum experientia ex recentiore instauratione liturgica et ex indultis passim concessis promanans. Innovationes, demum, ne fiant nisi vera et certa utilitas Ecclesiae id exigat, et adhibita cautela ut novae formae ex formis iam exstantibus organice quodammodo crescant.

Caveatur etiam, in quantum fieri potest, ne notabiles differentiae rituum inter finítimas regiones habeantur.

24. Maximum est sacrae Scripturae momentum in Liturgia celebranda. Ex ea enim lectiones leguntur et in homilia explicantur, psalmi canuntur, atque ex eius afflatu instinctuque preces, orationes et carmina

liturgica effusa sunt, et ex ea significationem suam actiones et signa accipiunt. Unde ad procurandam sacrae Liturgiae instaurationem, progressum et aptationem, oportet ut promoveatur ille suavis et vivus sacrae Scripturae affectus, quem testatur venerabilis rituum cum orientalium tum occidentalium traditio.

25. Libri liturgici quam primum recognoscantur, peritis adhibitis et Episcopis consultis ex diversis orbis regionibus.

B) *Normae ex indole Liturgiae utpote actionis hierarchicae et communitatis propriae*

26. Actiones liturgicae non sunt actiones privatae, sed celebrationes Ecclesiae, quae est « unitatis sacramentum », scilicet plebs sancta sub Episcopis adunata et ordinata.[33]

Quare ad universum Corpus Ecclesiae pertinent illudque manifestant et afficiunt ; singula vero membra ipsius diverso modo, pro diversitate ordinum, munerum et actualis participationis attingunt.

27. Quoties ritus, iuxta propriam cuiusque naturam, secum ferunt celebrationem communem, cum frequentia et actuosa participatione fidelium, inculcetur hanc, in quantum fieri potest, esse praeferendam celebrationi eorundem singulari et quasi privatae.

Quod valet praesertim pro Missae celebratione, salva semper natura publica et sociali cuiusvis Missae, et pro Sacramentorum administratione.

28. In celebrationibus liturgicis quisque, sive minister sive fidelis, munere suo fungens, solum et totum id agat, quod ad ipsum ex rei natura et normis liturgicis pertinet.

29. Etiam ministrantes, lectores, commentatores et ii qui ad scholam cantorum pertinent, vero ministerio liturgico funguntur. Propterea mu-

[33] **S. Cyprianus, *De cath. Eccl. unitate,* 7; ed. G. Härtel, in CSEL, t. III, 1, Vindobonae 1868, pp. 215-16. Cf. *Ep.* 66, n. 8, 3 ; *ed. cit., t.* III, 2, Vindobonae 1871, pp. 732-33.**

nus suum tali sincera pietate et ordine exerceant, quae tantum ministerium decent quaeque populus Dei ab eis iure exigit.

Ideo oportet eos spiritu Liturgiae, suo cuiusque modo, sedulo imbui, et ad partes suas rite et ordinate obeundas institui.

30. Ad actuosam participationem promovendam, populi acclamationes, responsiones, psalmodia, antiphonae, cantica, necnon actiones seu gestus et corporis habitus foveantur. Sacrum quoque silentium suo tempore servetur.

31. In libris liturgicis recognoscendis, sedulo attendatur ut rubricae etiam partes fidelium praevideant.

32. In Liturgia, praeter distinctionem ex munere liturgico et Ordine sacro manantem, et praeter honores ad normam legum liturgicarum auctoritatibus civilibus debitos, nulla privatarum personarum aut condicionum, sive in caerimoniis, sive in exterioribus pompis, habeatur acceptio.

O) *Normae ex indole didactica et pastorali Liturgiae*

33. Etsi sacra Liturgia est praecipue cultus divinae maiestatis, magnam etiam continet populi fidelis eruditionem.[34] In Liturgia enim Deus ad populum suum loquitur ; Christus adhuc Evangelium annuntiat. Populus vero Deo respondet tum cantibus tum oratione.

Immo, preces a sacerdote, qui coetui in persona Christi praeest, ad Deum directae, nomine totius plebis sanctae et omnium circumstantium dicuntur. Signa tandem visibilia, quibus utitur sacra Liturgia ad res divinas invisibiles significandas, a Christo vel Ecclesia delecta sunt. Unde non solum quando leguntur ea « quae ad nostram doctrinam scripta sunt » *(Rom.* 15, 4), sed etiam dum Ecclesia vel orat vel canit vel agit, participantium fides alitur, mentes in Deum excitantur ut rationabile obsequium Ei praestent, gratiamque Eius abundantius recipiant.

[34] **Cf. Conc. Trid., Sess. XXII, 17 Sept. 1562, Doetr. *De ss. Missae sacrificio, c.* 8: Concilium Tridentinum, *ed. cit.*, t. VIII, p. 961.**

Exinde in instauratione facienda generales normae quae sequuntur observari debent.

34. Ritus nobili simplicitate fulgeant, sint brevitate perspicui et repetitiones inutiles évitent, sint fidelium captui accommodati, neque generatim multis indigeant explanationibus.

35. Ut clare appareat in Liturgia ritum et verbum intime coniungi :

1) In celebrationibus sacris abundantior, varior et aptior lectio sacrae Scripturae instauretur.

2) Locus aptior sermonis, utpote partis actionis liturgicae, prout ritus patitur, etiam in rubricis notetur ; et fidelissime ac rite adimpleatur ministerium praedicationis. Haec vero imprimis ex fonte sacrae Scripturae et, Liturgiae hauriatur, quasi annuntiatio mirabilium Dei in historia salutis seu mysterio Christi, quod in nobis praesens semper adest et operatur, praesertim in celebrationibus liturgicis.

3) Etiam catechesis directius liturgica omnibus modis inculcetur; et in ipsis ritibus, si necessariae sint, breves admonitiones, a sacerdote vel competenti ministro, opportunioribus tantum momentis, praescriptis vel similibus verbis, dicendae, praevideantur.

4) Foveatur sacra Verbi Dei celebratio in solemniorum festorum pervigiliis, in aliquibus feriis Adventus et Quadragesimae, atque in dominicis et diebus festis, maxime in locis quae sacerdote carent : quo in casu celebrationem diaconus vel alius ab Episcopo delegatus dirigat.

36. § 1. Linguae latinae usus, salvo particulari iure, in Ritibus latinis servetur.

§ 2. Cum tamen, sive in Missa, sive in Sacramentorum administratione, sive in aliis Liturgiae partibus, haud raro linguae vernaculae usurpatio valde utilis apud populum existere possit, amplior locus ipsi tribui valeat, imprimis autem in lectionibus et admonitionibus, in nonnullis orationibus et cantibus, iuxta normas quae de hac re in sequentibus capitibus singillatim statuuntur.

§ 3. Huiusmodi normis servatis, est competentis auctoritatis eccle-

siasticae territorialis, de qua in art. 22 § 2, etiam, si casus ferat, consilio habito cum Episcopis finitimarum regionum eiusdem linguae, de usu et modo linguae vernaculae statuere, actis ab Apostolica Sede probatis seu confirmatis.

§ 4. Conversio textus latini in linguam vernaculam in Liturgia adhibenda, a competenti auctoritate ecclesiastica territoriali, de qua supra, approbari debet.

D) *Normae ad aptationem ingenio et traditionibus populorum perficiendam*

37. Ecclesia, in iis quae fidem aut bonum totius communitatis non tangunt, rigidam unius tenoris formam ne in Liturgia quidem imponere cupit; quinimmo, variarum gentium populorumque animi ornamenta ac dotes colit et provehit; quidquid vero in populorum moribus indissolubili vinculo superstitionibus erroribusque non adstipulatur, benevole perpendit ac, si potest, sartum tectumque servat, immo quandoque in ipsam Liturgiam admittit, dummodo cum rationibus veri et authentici spiritus liturgici congruat.

38. Servata substantiali unitate ritus romani, legitimis varietatibus et aptationibus ad diversos coetus, regiones, populos, praesertim in Missionibus, locus relinquatur, etiam cum libri liturgici recognoscuntur; et hoc in structura rituum et in rubricis instituendis opportune prae oculis habeatur.

39. Intra limites in editionibus typicis librorum liturgicorum statutos, erit competentis auctoritatis ecclesiasticae territorialis, de qua in art. 22 § 2, aptationes definire, praesertim quoad administrationem Sacramentorum, quoad Sacramentalia, processiones, linguam liturgicam, musicam sacram et artes, iuxta tamen normas fundamentales quae hac in Constitutione habentur.

40. Cum tamen variis in locis et adiunctis, profundior Liturgiae aptatio urgeat, et ideo difficilior evadat :

1) A competenti auctoritate ecclesiastica territoriali, de qua in art. 22 § 2, sedulo et prudenter consideretur quid, hoc in negotio, ex traditionibus ingenioque singulorum populorum opportune in cultum divinum admitti possit. Aptationes, quae utiles vel necessariae existimantur, Apostolicae Sedi proponantur, de ipsius consensu introducendae.

2) Ut autem aptatio cum necessaria circumspectione fiat, eidem auctoritati ecclesiasticae territoriali ab Apostolica Sede facultas tribuetur, si casus ferat, ut in quibusdam coetibus ad id aptis et per determinatum tempus necessaria praevia experimenta permittat et dirigat.

3) Quia leges liturgicae difficultates speciales, quoad aptationem, praesertim in Missionibus, secum ferre solent, in illis condendis praesto sint viri, in re de qua agitur, periti.

IV - **DE VITA LITURGICA IN DIOECESI ET IN PAROECIA FOVENDA**

41. Episcopus ut sacerdos magnus sui gregis habendus est, a quo vita suorum fidelium in Christo quodammodo derivatur et pendet.

Quare omnes vitam liturgicam dioeceseos circa Episcopum, praesertim in ecclesia cathedrali, maximi faciant oportet : sibi persuasum habentes praecipuam manifestationem Ecclesiae haberi in plenaria et actuosa participatione totius plebis sanctae Dei in iisdem celebrationibus liturgicis, praesertim in eadem Eucaristía, in una oratione, ad unum altare cui praeest Episcopus a suo presbyterio et ministris circumdatus.[35]

42. Cum Episcopus in Ecclesia sua ipsemet nec semper nec ubique universo gregi praeesse possit, necessario constituere debet fidelium coe-

[35] **Cf. S. Ignatius Antiochenus,** ***Ad Magn.*** **7;** ***Ad Phil.*** **4;** ***Ad Smym.*** **8;** ***ed.*** **F. X. Funk,** ***cit.*****, I, pp. 236, 266, 281.**

tus, inter qnos paroeciae, localiter sub pastore vices gerente Episcopi ordinatae, eminent : nam quodammodo repraesentant Ecclesiam visibilem per orbem terrarum constitutam.

Quare vita liturgica paroeciae eiusque relatio ad Episcopum in mente et praxi fidelium et cleri fovenda est ; et adlaborandum ut sensus communitatis paroecialis, imprimis vero in communi celebratione Missae dominicalis, floreat.

V - DE ACTIONE PASTORALI LITURGICA PROMOVENDA

43. Sacrae Liturgiae fovendae atque instaurandae studium merito habetur veluti signum providentialium dispositionum Dei super nostra aetate, veluti transitus Spiritus Sancti in sua Ecclesia ; et vitam ipsius, immo huius nostri temporis universam rationem religiose sentiendi et agendi, nota propria distinguit.

Quapropter, ad hanc actionem pastoralem liturgicam ulterius in Ecclesia fovendam, Sacrosanctum Concilium decernit :

44. A competenti auctoritate ecclesiastica territoriali, de qua in art. 22 § 2, expedit ut instituatur Commissio liturgica, a viris in scientia liturgica, Musica, Arte sacra ac re pastorali peritis iuvanda. Cui Commissioni, in quantum fieri potest, opem ferat quoddam Institutum Liturgiae Pastoralis, constans sodalibus, non exclusis, si res ita ferat, laicis in hac materia praestantibus. Ipsius Commissionis erit, ductu auctoritatis ecclesiasticae territorialis, de qua supra, et actionem pastoralem liturgicam in sua dicione moderari, et studia atque necessaria experimenta promovere, quoties agatur de aptationibus Apostolicae Sedi proponendis.

45. Eadem ratione, in singulis dioecesibus Commissio de sacra Liturgia habeatur, ad actionem liturgicam, moderante Episcopo, promovendam.

Opportunum aliquando evadere potest ut plures dioeceses unam

Commissionem constituant, quae, collatis consiliis, rem liturgicam provehat.

46. Praeter Commissionem de sacra Liturgia, in quavis dioecesi constituantur, quantum fieri potest, etiam Commissiones de Musica sacra et de Arte sacra.

Necessarium est ut hae tres Commissiones consociatis viribus adlaborent; immo non raro congruum erit ut in unam Commissionem coalescant.

CAPUT II

De sacrosancto Eucharistiae mysterio

47. Salvator noster, in Ce^a novissima, qua nocte tradebatur, Sacrificium Eucharisticum Corporis et Sanguinis sui instituit, quo Sacrificium Crucis in saecula, donec veniret, perpetuaret, atque adeo Ecclesiae dilectae Sponsae memoriale concrederet Mortis et Resurrectionis suae : sacramentum pietatis, signum unitatis, vinculum caritatis,[36] convivium paschale, in quo Christus sumitur, mens impletur gratia et futurae gloriae nobis pignus datur.[37]

48. Itaque Ecclesia sollicitas curas eo intendit ne christifideles huic fidei mysterio tamquam extranei vel muti spectatores intersint, sed per ritus et preces id bene intellegentes, sacram actionem conscie, pie et actuose participent, verbo Dei instituantur, mensa Corporis Domini reficiantur, gratias Deo agant, immaculatam hostiam, non tantum per sacerdotis manus, sed etiam una cum ipso offerentes, seipsos offerre discant, et de die in diem consummentur, Christo Mediatore,[38] in unitatem cum Deo et inter se, ut sit tandem Deus omnia in omnibus.

[36] **Cf. S. Augustinus, *In Ioannis Evangelium tractatus XXVI,* cap. VI, n. 13: *PL* 35, 1613.**

*

[37] ***Breviarium Romanum,* In festo Sanctissimi Corporis Christi, ad II Vesperas, antiphona ad Magnificat.**

[38] **Cf. S. Cyrillus Alex., *Commentarium in Ioannis Evangelium,* lib. XI, capp. XI-XII : *PG* 74, 557-564.**

49. Quapropter, ut Sacrificium Missae, etiam rituum forma, plenam pastoralem efficacitatem assequatur, Sacrosanctum Concilium, ratione habita Missarum, quae concurrente populo celebrantur, praesertim diebus dominicis et festis de praecepto, ea quae sequuntur decernit.

50. Ordo Missae ita recognoscatur, ut singularum partium propria ratio necnon mutua connexio clarius pateant, atque pia et actuosa fidelium participatio facilior reddatur.

Quamobrem ritus, probe servata eorum substantia, simpliciores fiant ; ea omittantur quae temporum decursu duplicata fuerunt vel minus utiliter addita; restituantur vero ad pristinam sanctorum Patrum normam nonnulla quae temporum iniuria deciderunt, prout opportuna vel necessaria videantur.

51. Quo ditior mensa verbi Dei paretur fidelibus, thesauri biblici largius aperiantur, ita ut, intra praestitutum annorum spatium, praestantior pars Scripturarum Sanctarum populo legatur.

52. Homilia, qua per anni liturgici cursum ex textu sacro fidei mysteria et normae vitae christianae exponuntur, ut pars ipsius liturgiae valde commendatur; quinimmo in Missis quae diebus dominicis et festis de praecepto concurrente populo celebrantur, ne omittatur, nisi gravi de causa.

53. « Oratio communis » seu « fidelium », post Evangelium et homiliam, praesertim diebus dominicis et festis de praecepto, restituatur, ut, populo eam participante, obsecrationes fiant pro sancta Ecclesia, pro iis qui nos in potestate regunt, pro iis qui variis premuntur necessitatibus, ac pro omnibus hominibus totiusque mundi salute.[39]

54. Linguae vernaculae in Missis cum populo celebratis congruus locus tribui possit, praesertim in lectionibus et « oratione communi », ac, pro condicione locorum, etiam in partibus quae ad populum spectant, ad normam art. 36 huius Constitutionis.

[39] Cf. *1 Tim. 2,* 1-2.

Provideatur tamen ut christifideles etiam lingua latina partes Ordinarii Missae quae ad ipsos spectant possint simul dicere vel cantare.

Sicubi tamen amplior usus linguae vernaculae in Missa opportunus esse videatur, servetur praescriptum art. 40 huius Constitutionis.

55. Valde commendatur illa perfectior Missae participatio qua fideles post Communionem sacerdotis ex eodem Sacrificio Corpus Dominicum sumunt.

Communio sub utraque specie, firmis principiis dogmaticis a Concilio Tridentino statutis,[40] in casibus ab Apostolica Sede definiendis, tum clericis et religiosis, tum laicis concedi potest, de iudicio Episcoporum, veluti ordinatis in Missa sacrae suae ordinationis, professis in Missa religiosae suae professionis, neophytis in Missa quae Baptismum subsequitur.

56. Duae partes e quibus Missa quodammodo constat, liturgia nempe verbi et eucharistica, tam arcte inter se coniunguntur, ut unum actum cultus efficiant. Sacra proinde Synodus vehementer hortatur animarum pastores ut, in catechesi tradenda, fideles sedulo doceant de integra Missa participanda, praesertim diebus dominicis et festis de praecepto.

57. § 1. Concelebratio, qua unitas sacerdotii opportune manifestatur, in Ecclesia usque adhuc in usu remansit tam in Oriente quam in Occidente. Quare facultatem concelebrandi ad sequentes casus Concilio extendere placuit :

I° *a)* feria V in Cena Domini, tum ad Missam chrismatis, tum ad Missam vespertinam;

ö) ad Missas in Conciliis, Conventibus Episcopalibus et Synodis;

c) ad Missam in Benedictione Abbatis.

2° Praeterea, accedente licentia Ordinarii, cuius est de opportunitate concelebrationis iudicare :

a) ad Missam conventualem et ad Missam principalem in ecclesiis,

[40] **Sessio XXI, 16 Iul. 1562. *Doctrina de Communione sub utraque specie et parvulorum,* capp. 1-3 : Concilium Tridentinum, *ed. cit.,* t. VIII, pp. 698-699.**

cum utilitas christifidelium singularem celebrationem omnium sacerdotum praesentium non postulat;

b) ad Missas in conventibus cuiusvis generis sacerdotum tum saecularium tum religiosorum.

§ 2. I° Ad Episcopum vero pertinet concelebrationis disciplinam in dioecesi moderari.

2° Salva tamen semper sit cuique sacerdoti facultas Missam singularem celebrandi, non vero eodem tempore in eadem ecclesia, nec feria V in Cena Domini.

58. Novus ritus concelebrationis conficiatur, Pontificali et Missali Romano inserendus.

CAPUT III

De ceteris Sacramentis et de Sacramentalibus

59. Sacramenta ordinantur ad sanctificationem hominum, ad aedificationem Corporis Christi, ad cultum denique Deo reddendum ; ut signa vero etiam ad instructionem pertinent. Fidem non solum supponunt, sed verbis et rebus etiam aiunt, roborant, exprimunt ; quare fidei sacramenta dicuntur. Gratiam quidem conferunt, sed eorum celebratio fideles optime etiam disponit ad eandem gratiam fructuose recipiendam, ad Deum rite colendum et ad caritatem exercendam.

Maxime proinde interest ut fideles signa Sacramentorum facile intellegant et ea Sacramenta impensissime frequentent, quae ad vitam christianam alendam sunt instituta.

60. Sacramentalia praeterea sancta Mater Ecclesia instituit. Quae sacra sunt signa quibus, in aliquam Sacramentorum imitationem, effectus praesertim spirituales significantur et ex Ecclesiae impetratione obtinentur. Per ea homines ad praecipuum Sacramentorum effectum suscipiendum disponuntur et varia vitae adiuncta sanctificantur.

61. Itaque liturgia Sacramentorum et Sacramentalium id efficit ut fidelibus bene dispositis omnis fere eventus vitae sanctificetur gratia

divina manante ex mysterio paschali Passionis, Mortis et Resurrectionis Christi, a quo omnia Sacramenta et Sacramentalia suam virtutem derivant; nullusque paene rerum materialium usus honestus ad finem hominem sanctificandi Deumque laudandi dirigi non possit.

62. Cum autem, successu temporum, quaedam in Sacramentorum et Sacramentalium ritus irrepserint, quibus eorum natura et finis nostris temporibus minus eluceant, atque adeo opus sit quaedam in eis ad nostrae aetatis necessitates accommodare, Sacrosanctum Concilium ea quae sequuntur de eorum recognitione decernit.

63. Cum haud raro in administratione Sacramentorum et Sacramentalium valde utilis esse possit apud populum linguae vernaculae usurpano, amplior locus huic tribuatur, iuxta normas quae sequuntur :

a) In administratione Sacramentorum et Sacramentalium lingua vernacula adhiberi potest ad normam art. 36.

b) Iuxta novam Ritualis romani editionem, Ritualia particularia, singularum regionum necessitatibus, etiam quoad linguam, accommodata, a competenti ecclesiastica auctoritate territoriali de qua in art. 22 § 2 huius Constitutionis quam primum parentur, et, actis ab Apostolica Sede recognitis, in regionibus ad quas pertinet adhibeantur. In iis autem Ritualibus vel peculiaribus Collectionibus rituum conficiendis, ne omittantur instructiones, in Rituali romano singulis ritibus praepositae, sive pastorales et rubricales, sive quae peculiare momentum sociale habent.

64. Instauretur catechumenatus adultorum pluribus gradibus distinctus, de iudicio Ordinarii loci in usum deducendus ; quo fiat ut tempus catechumenatus, aptae institutioni destinatum, sacris ritibus successivis temporibus celebrandis, sanctificari possit.

65. In terris Missionum, praeter ea quae in traditione christiana habentur, illa etiam elementa initiationis admitti liceat, quae apud unumquemque popolum in usu esse reperiuntur, quatenus ritui christiano accommodari possunt, ad normam art. 37-40 huius Constitutionis.

66. Uterque ritus baptizandi adultos, tum simplicior, tum, ratione habita catechumenatus instaurati, solemnior, recognoscatur ; et Missali romano Missa propria « In collatione Baptismi » inseratur.

67. Eitus baptizandi parvulos recognoscatur et verae infantium condicioni accommodetur ; partes etiam parentum et patrinorum eorumque officia, in ipso ritu, magis pateant.

68. In ritu Baptismi ne desint accommodationes, de iudicio Ordinarii loci adhibendae, pro magno baptizandorum concursu. Conficiatur item Ordo brevior quo, praesertim in terris Missionum, catechistae, et generatim, in periculo mortis, fideles, absente sacerdote vel diacono, uti possint.

69. Loco ritus qui « Ordo supplendi omissa super infantem baptizatum » appellatur, novus conficiatur quo apertius et congruentius indicetur infantem, qui ritu brevi baptizatus fuerit, iam receptum esse in Ecclesiam.

Item novus ritus conficiatur pro valide iam baptizatis, ad sacra catholica conversis, quo significetur eos in Ecclesiae communionem admitti.

70. Aqua baptismalis, extra tempus paschale, in ipso ritu Baptismi probata formula breviore benedici potest.

71. Ritus Confirmationis recognoscatur etiam ut huius Sacramenti intima connexio cum tota initiatione christiana clarius eluceat; quapropter renovatio promissionum Baptismi convenienter ipsam Sacramenti susceptionem praecedet.

Confirmatio, pro opportunitate, intra Missam conferri potest ; ad ritum autem extra Missam quod attinet, paretur formula ad modum introductionis adhibenda.

72. Ritus et formulae Paenitentiae ita recognoscantur, ut naturam et effectum Sacramenti clarius exprimant.

73. « Extrema Unctio », quae etiam et melius « Unctio infirmorum » vocari potest, non est Sacramentum eorum tantum qui in extremo vitae

discrimine versantur. Proinde tempus opportunum eam recipiendi iam certe habetur cum fidelis incipit esse in periculo mortis propter infirmitatem vel senium.

74. Praeter ritus seiunctos Unctionis infirmorum et Viatici, conficiatur Ordo continuus secundum quem Unctio aegroto conferatur post confessionem et ante receptionem Viatici.

75. Unctionum numerus pro opportunitate accommodetur, et orationes ad ritum Unctionis infirmorum pertinentes ita recognoscantur, ut respondeant variis condicionibus infirmorum, qui Sacramentum suscipiunt.

76. Ritus Ordinationum, sive quoad caeremonias sive quoad textus, recognoscantur. Allocutiones Episcopi, initio cuiusque Ordinationis aut Consecrationis, fieri possunt lingua vernacula.

In Consecratione Episcopali impositionem manuum fieri licet ab omnibus Episcopis praesentibus.

77. Ritus celebrandi Matrimonium, qui exstat in Rituali romano, recognoscatur et ditior fiat, quo clarius gratia Sacramenti significetur et munera coniugum inculcentur.

<(Si quae provinciae aliis laudabilibus consuetudinibus et caeremoniis in celebrando Matrimonii Sacramento utuntur, eas omnino retineri Sancta Synodus vehementer optat ».[41]

Insuper competenti auctoritati ecclesiasticae territoriali, de qua in art. 22 § 2 huius Constitutionis, relinquitur facultas, ad normam art. 63, exarandi ritum proprium usibus locorum et populorum congruentem, firma tamen lege ut sacerdos assistens requirat excipiatque contrahentium consensum.

78. Matrimonium ex more intra Missam celebretur, post lectionem Evangelii et homiliam, ante « orationem fidelium ». Oratio super spon-

[41] **Concilium Tridentinum, Sessio XXIV, 11 Nov. 1568, *De reformatione,* cap. 1 : Concilium Tridentinum, *ed. cit.,* t. IX. *Actorum* pars VI, Friburgi Brisgoviae 1924, p. 969. Cf. *Rituale Romanum,* tit. VIII, e. II, n. 6.**

sam, ita opportune emendata ut aequalia officia mutuae fidelitatis utriusque sponsi inculcet, dici potest lingua vernacula.

Si vero Sacramentum Matrimonii sine Missa celebratur, Epistola et Evangelium Missae pro sponsis legantur in initio ritus et benedictio sponsis semper impertiatur.

79. Sacramentalia recognoscantur, ratione habita normae primariae de conscia, actuosa et facili participatione fidelium, et attentis nostrorum temporum necessitatibus. In Ritualibus recognoscendis ad normam art. 63, etiam nova Sacramentalia, prout necessitas expostulat, addi possunt.

Benedictiones reservatae perpaucae sint, et in favorem tantum Episcoporum vel Ordinariorum.

Provideatur ut quaedam Sacramentalia, saltem in specialibus rerum adiunctis et de iudicio Ordinarii, a laicis congruis qualitatibus praeditis, administrari possint.

80. Ritus Consecrationis Virginum, qui in Pontificali romano habetur, recognitioni subiciatur.

Conficiatur praeterea ritus professionis religiosae et renovationis votorum, qui ad maiorem unitatem, sobrietatem et dignitatem conferat, ab iis qui professionem vel votorum renovationem intra Missam peragunt, salvo iure particulari, assumendus.

Professio religiosa laudabiliter intra î^issam fiet.

81. Ritus exsequiarum paschalem mortis christianae indolem manifestius exprimat, atque condicionibus et traditionibus singularum regionum, etiam quoad colorem liturgicum, melius respondeat.

82. Recognoscatur ritus sepeliendi parvulos, ac propria Missa donetur.

CAPUT IV

De Officio divino

83. Summus Novi atque aeterni Testamenti Sacerdos, Christus Iesus, humanam naturam assumens, terrestri huic exsilio hymnum illum invexit, qui in supernis sedibus per omne aevum canitur. Universam hominum communitatem ipse sibi coagmentat, eandemque in divino hoc concinendo laudis carmine secum consociat.

Illud enim sacerdotale munus per ipsam suam Ecclesiam pergit, quae non tantum Eucharistia celebranda, sed etiam aliis modis, praesertim Officio divino persolvendo, Dominum sine intermissione laudat et pro totius mundi salute interpellat.

84. Divinum Officium ex antiqua traditione christiana ita est constitutum ut totus cursus diei ac noctis per laudem Dei consecretur. Cum vero mirabile illud laudis canticum rite peragunt sacerdotes aliique ad hanc rem Ecclesiae instituto deputati vel christifideles una cum sacerdote forma probata orantes, tunc vere vox est ipsius Sponsae, quae Sponsum alloquitur, immo etiam oratio Christi cum ipsius Corpore ad Patrem.

85. Omnes proinde qui haec praestant, tum Ecclesiae officium explent, tum summum Sponsae Christi honorem participant, quia laudes Deo persolventes stant ante thronum Dei nomine Matris Ecclesiae.

86. Sacerdotes sacro pastorali ministerio addicti eo maiore fervore Horarum laudes persolvent, quo vividius conscii erunt sibi observandum esse monitum Pauli : ((Sine intermissione orate » *(1 Thess.* 5, 17) ; operi enim in quo laborant Dominus solus efficacitatem et incrementum dare potest, qui dixit : ((Sine me nihil potestis facere)) *(Io.* 15, 5) ; propterea Apostoli, diaconos instituentes, dixerunt : « Nos vero orationi et ministerio verbi instantes erimus » *(Act.* 6, 4).

87. Ut autem divinum Officium, sive a sacerdotibus sive ab aliis Ecclesiae membris melius et perfectius in rerum adiunctis peragatur,

Sacrosancto Concilio, instaurationem ab Apostolica Sede feliciter inceptam persequenti, de Officio iuxta ritum romanum ea quae sequuntur placuit decernere.

88. Cum sanctificatio diei sit finis Officii, cursus Horarum traditus ita instauretur ut Horis veritas temporis, quantum fieri potest, reddatur, simulque ratio habeatur vitae hodiernae condicionum in quibus versantur praesertim ii qui operibus apostolicis incumbunt.

89. Itaque, in instauratione Officii, hae normae serventur :

a) Laudes, ut preces matutinae, et Vesperae, ut preces vespertinae, ex venerabili universae Ecclesiae traditione duplex cardo Officii cotidiani, Horae praecipuae habendae sunt et ita celebrandae;

ö) Completorium ita instruatur, ut fini diei apte conveniat;

c) Hora quae Matutinum vocatur, quamvis in choro indolem nocturnae laudis retineat, ita accommodetur ut qualibet diei hora recitari possit, et e psalmis paucioribus lectionibusque longioribus constet;

d) Hora Prima supprimatur;

e) In choro, Horae minores Tertia, Sexta, Nona serventur. Extra chorum e tribus unam seligere licet, diei tempori magis congruentem.

90. Cum praeterea Officium divinum, utpote oratio publica Ecclesiae, sit fons pietatis et orationis personalis nutrimentum, obsecrantur in Domino sacerdotes aliique omnes divinum Officium participantes, ut in eo persolvendo mens concordet voci; ad quod melius assequendum, liturgicam et biblicam, praecipue psalmorum, institutionem sibi uberiorem comparent.

In instauratione vero peragenda, venerabilis ille romani Officii saecularis thesaurus ita aptetur, ut latius et facilius eo frui possint omnes quibus traditur.

91. Ut cursus Horarum, in art. 89 propositus, reapse observari possit, psalmi non amplius per unam hebdomadam, sed per longius temporis spatium distribuantur.

Opus recognitionis Psalterii, feliciter inchoatum, quamprimum per-

ducatur ad finem, respectu habito latinitatis christianae, usus liturgici etiam in cantu, necnon totius traditionis latinae Ecclesiae.

92. Ad lectiones quod attinet, haec serventur :

a) lectio sacrae Scripturae ita ordinetur, ut thesauri verbi divini in pleniore amplitudine expedite adiri possint;

&) lectiones de operibus Patrum, Doctorum et Scriptorum ecclesiasticorum depromendae melius seligantur;

c) Passiones seu vitae Sanctorum fidei historicae reddantur.

93. Hymni, quantum expedire videtur, ad pristinam formam restituantur, iis demptis vel mutatis quae mythologiam sapiunt aut christianae pietati minus congruunt. Recipiantur quoque, pro opportunitate, alii qui in hymnorum thesauro inveniuntur.

94. Praestat, sive ad diem revera sanctificandum, sive ad ipsas Horas cum fructu spirituali recitandas, ut in Horarum absolutione tempus servetur, quod proxime accedat ad tempus verum uniuscuiusque Horae canonicae.

95. Communitates choro obligatae, praeter Missam conventualem, tenentur Officium divinum cotidie in choro celebrare, et quidem :

a) totum Officium, Ordines Canonicorum, Monachorum et Monialium, aliorumque Regularium ex iure vel constitutionibus choro adstrictorum ;

ö) Capitula cathedralia vel collegialia, eas partes Officii, quae sibi a iure communi vel particulari imponuntur;

c) Omnes autem illarum Communitatum sodales, qui sunt aut in Ordinibus maioribus constituti aut solemniter professi, conversis exceptis, debent eas Horas canonicas soli recitare, quas in choro non persolvunt.

96. Clerici choro non obligati, si sunt in Ordinibus maioribus constituti, cotidie, sive in cpmmuni, sive soli, obligatione tenentur totum Officium persolvendi, ad normam art. 89.

97. Opportunae commutationes divini Officii, cum actione liturgica a rubricis definiantur.

In casibus singularibus iustaque de causa, Ordinarii possunt subditos suos ab obligatione Officium recitandi ex toto vel ex parte dispensare vel id commutare.

98. Sodales cuiusvis Instituti status perfectionis, qui, vi constitutionum, partes aliquas divini Officii absolvunt, orationem publicam Ecclesiae agunt.

Item, publicam Ecclesiae orationem agunt, si quod parvum Officium, vi constitutionum, recitant, dummodo in modum Officii divini confectum ac rite approbatum sit.

99. Cum Officium divinum sit vox Ecclesiae seu totius Corporis mystici Deum publice laudantis, suadetur ut clerici choro haud obligati ac praesertim sacerdotes conviventes vel in unum convenientes, aliquam saltem divini Officii partem in communi persolvant.

Omnes autem sive in choro sive in communi Officium persolventes munus sibi concreditum quam perfectissime, tam interna animi devotione quam externa agendi ratione, peragant.

Praestat insuper ut Officium in choro et in communi, pro opportunitate, cantetur.

100. Curent animarum pastores ut Horae praecipuae, praesertim Vesperae, diebus dominicis et festis sollemnioribus, in ecclesia communiter celebrentur. Commendatur ut et ipsi laici recitent Officium divinum, vel cum sacerdotibus, vel inter se congregati, quin immo unusquisque solus.

101. § 1) Iuxta saecularem traditionem ritus latini, in Officio divino lingua latina clericis servanda est, facta tamen Ordinario potestate usum versionis vernaculae ad normam art. 36 confectae concedendi, singulis pro casibus, iis clericis, quibus usus linguae latinae grave impedimentum est quominus Officium debite persolvant.

§ 2) Monialibus, necnon sodalibus, sive viris non clericis sive mulieribus, Institutorum statuum perfectionis, in Officio divino, etiam in choro celebrando, concedi potest a Superiore competente ut lingua vernacula utantur, dummodo versio approbata sit.

§ 3) Quivis clericus Officio divino adstrictus, si Oificium divinum una cum coetu fidelium, vel cum iis qui sub § 2 recensentur, lingua vernacula celebrat, suae obligationi satisfacit, dummodo textus versionis sit approbatus.

CAPUT V

De **Anno Liturgico**

102. Pia Mater Ecclesia suum esse ducit Sponsi sui divini opus salutiferum, statis diebus per anni decursum, sacra recordatione celebrare. In unaquaque hebdomada, die quam Dominicam vocavit, memoriam habet Resurrectionis Domini, quam semel etiam in anno, solemnitate maxima Paschatis, una cum beata ipsius Passione, frequentat.

Totum vero Christi mysterium per anni circulum explicat, ab Incarnatione et Nativitate usque ad Ascensionem, ad diem Pentecostes et ad exspectationem beatae spei et adventus Domini.

Mysteria Redemptionis ita recolens, divitias virtutum atque meritorum Domini sui, adeo ut omni tempore quodammodo praesentia reddantur, fidelibus aperit, qui ea attingant et gratia salutis repleantur.

103. In hoc annuo mysteriorum Christi circulo celebrando, Sancta Ecclesia Beatam Mariam Dei Genetricem cum peculiari amore veneratur, quae indissolubili nexu cum Filii sui opere salutari coniungitur ; in qua praecellentem Redemptionis fructum miratur et exaltat, ac veluti in purissima imagine, id quod ipsa tota esse cupit et sperat cum gaudio contemplatur.

104. Memorias insuper Martyrum aliorumque Sanctorum, qui per multiformem Dei gratiam ad perfectionem provecti, atque aeternam iam adepti salutem, Deo in caelis laudem perfectam décantant ac pro nobis

intercedunt, circulo anni inseruit Ecclesia. In Sanctorum enim nataliciis praedicat paschale mysterium in Sanctis cum Christo compassis et conglorificatis, et fidelibus exempla eorum proponit, omnes per Christum ad Patrem trahentia, eorumque meritis Dei beneficia impetrat.

105. Variis denique anni temporibus iuxta traditas disciplinas, Ecclesia fidelium eruditionem perficit, per pias animi et corporis exercitationes, instructionem, precationem, paenitentiae et misericordiae opera.

Quapropter placuit Sacrosancto Concilio ea quae sequuntur decernere.

106. Mysterium paschale Ecclesia, ex traditione apostolica quae originem ducit ab ipsa die Resurrectionis Christi, octava quaque die celebrat, quae dies Domini seu dies dominica merito nuncupatur. Hac enim die christifideles in unum convenire debent ut, verbum Dei audientes et Eucharistiam participantes, memores sint Passionis, Resurrectionis et gloriae Domini Iesu, et gratias agant Deo qui eos « regeneravit in spem vivam per Resurrectionem Iesu Christi ex mortuis » *(1 Petr.* 1, 3). Itaque dies dominica est primordialis dies festus, qui pietati fidelium proponatur et inculcetur, ita ut etiam fiat dies laetitiae et vacationis ab opere. Aliae celebrationes, nisi revera sint maximi momenti, ipsi ne praeponantur, quippe quae sit fundamentum et nucleus totius anni liturgici.

107. Annus liturgicus ita recognoscatur ut, servatis aut restitutis sacrorum temporum traditis consuetudinibus et disciplinis iuxta nostrae aetatis condiciones, ipsorum indoles nativa retineatur ad fidelium pietatem debite alendam in celebrandis mysteriis Redemptionis christianae, maxime vero mysterio paschali. Accommodationes autem, secundum locorum condiciones, si quae forte necessariae sint, fiant ad normam art. 39 et 40.

108. Fidelium animi dirigantur imprimis ad dies festos Domini, quibus mysteria salutis per annum celebrantur. Proinde Proprium de Tempore aptum suum locum obtineat super festa Sanctorum, ut integer mysteriorum salutis cyclus debito modo recolatur.

109. Duplex indoles temporis quadragesimalis, quod praesertim per memoriam vel praeparationem Baptismi et per paenitentiam fideles, instantius verbum Dei audientes et orationi vacantes, componit ad celebrandum paschale mysterium, tam in liturgia quam in catechesi liturgica pleniore in luce ponatur. Proinde :

a) elementa baptismalia liturgiae quadragesimalis propria abundantius adhibeantur; quaedam vero ex anteriore traditione, pro opportunitate, restituantur;

b) idem dicatur de elementis paenitentialibus. Quoad catechesim autem animis fidelium inculcetur, una cum consectariis socialibus peccati, illa propria paenitentiae natura quae peccatum, prout est offensa Dei, detestatur ; nec praetermittatur partes Ecclesiae in actione paenitentiali atque oratio pro peccatoribus urgeatur.

110. Paenitentia temporis quadragesimalis non tantum sit interna et individualis, sed quoque externa et socialis. Praxis vero paenitentialis, iuxta nostrae aetatis et diversarum regionum possibilitates necnon fidelium condiciones, foveatur, et ab auctoritatibus, de quibus in art. 22, commendetur.

Sacrum tamen esto ieiunium paschale, feria VI in Passione et Morte Domini ubique celebrandum et, iuxta opportunitatem, etiam Sabbato sancto producendum, ut ita, elato et aperto animo, ad gaudia dominicae Resurrectionis perveniatur.

111. Sancti iuxta traditionem in Ecclesia coluntur, eorumque reliquiae authenticae atque imagines in veneratione habentur. Festa Sanctorum mirabilia quidem Christi in servis eius praedicant et fidelibus opportuna praebent exempla imitanda.

Ne festa Sanctorum festis ipsa mysteria salutis recolentibus praevaleant, plura ex his particulari cuique Ecclesiae vel Nationi vel Religiosae Familiae relinquantur celebranda, iis tantum ad Ecclesiam universam extensis, quae Sanctos memorant momentum universale revera prae se ferentes.

CAPUT VI

De **Musica sacra**

112. Musica traditio Ecclesiae universae thesaurum constituit pretii inaestimabilis, inter ceteras artis expressiones excellentem, eo praesertim quod ut cantus sacer qui verbis inhaeret necessariam vel integralem liturgiae sollemnis partem efficit.

Profecto sacros concentus laudibus extulerunt cum Sacra Scriptura,[42] tum sancti Patres atque Romani Pontifices, qui recentiore aetate, praeeunte sancto Pio X, munus Musicae sacrae ministeriale in dominico servitio pressius illustrarunt.

Ideo Musica sacra tanto sanctior erit quanto arctius cum actione liturgica connectetur, sive orationem suavius exprimens vel unanimitatem fovens, sive ritus sacros maiore locupletans sollemnitate. Ecclesia autem omnes verae artis formas, debitis praeditas dotibus, probat easque in cultum divinum admittit.

Sacrosanctum igitur Concilium normas ac praecepta ecclesiasticae traditionis et disciplinae servans finemque Musicae sacrae respiciens, qui gloria Dei est atque sanctificatio fidelium, ea quae sequuntur statuit.

113. Formam nobiliorem actio liturgica accipit, cum divina Officia sollemniter in cantu celebrantur, quibus ministri sacri intersint quaeque populus actuose participet.

Quoad linguam adhibendam, serventur praecepta art. 36 ; quoad Missam art. 54 ; quoad Sacramenta, art. 63 ; quoad Officium divinum, art. 101.

114. Thesaurus Musicae sacrae summa cura servetur et foveatur. Scholae cantorum assidue provehantur, praesertim apud ecclesias cathedrales ; Episcopi vero ceterique animarum pastores sedulo curent ut in

Cf. *Eph.* 5, 1&; *Col.* 3, IS.

qualibet actione sacra in cantu peragenda universus fidelium coetus actuosam participationem sibi propriam praestare valeat, ad normam art. 28 et 30.

115. Magni habeatur institutio et praxis musica in Seminariis, in Religiosorum utriusque sexus novitiatibus et studiorum domibus, necnon in ceteris institutis et scholis catholicis; ad quam quidem institutionem assequendam, magistri, qui Musicae sacrae docendae praeficiuntur, sedulo conformentur.

Commendantur insuper Instituta Superiora de Musica sacra pro opportunitate erigenda.

Musicae vero artifices, cantores, imprimis pueri, etiam germana institutione liturgica donentur.

116. Ecclesia cantum gregorianum agnoscit ut liturgiae romanae proprium : qui ideo in actionibus liturgicis, ceteris paribus, principem locum obtineat.

Alia genera Musicae sacrae, praesertim vero polyphonia, in celebrandis divinis Officiis minime excluduntur, dummodo spiritui actionis liturgicae respondeant, ad normam art. 30.

117. Compleatur editio typica librorum cantus gregoriani; immo paretur editio magis critica librorum iam editorum post instaurationem, sancti Pii X.

Expedit quoque ut paretur editio simpliciores modos continens, in usum minorum ecclesiarum.

118. Cantus popularis religiosus sollerter foveatur, ita ut in piis sacrisque exercitiis et in ipsis liturgicis actionibus, iuxta normas et praecepta rubricarum, fidelium voces resonare possint.

119. Cum in regionibus quibusdam, praesertim Missionum,. gentes inveniantur quibus propria est traditio musica, magnum momentum in earum vita religiosa ac sociali habens, huic musicae aestimatio debita necnon locus congruus praebeatur, tam in fingendo earum sensu reli-

gioso, quam in cultu ad earum indolem accommodando, ad mentem art. 39 et 40.

Quapropter in institutione musica missionariorum, diligenter curetur, ut, quantum fieri potest, traditionalem earum gentium musicam tam in scholis quam in actionibus sacris promovere valeant.

120. Organum tubulatum in Ecclesia latina magno in honore habeatur, tamquam instrumentum musicum traditionale cuius sonus Ecclesiae caerimoniis mirum addere valet splendorem, atque mentes ad Deum ac superna vehementer extollere.

Alia vero instrumenta, de iudicio et consensu auctoritatis territorialis competentis, ad normam art. 22 § 2, 37 et 40, in cultum divinum admittere licet, quatenus usui sacro apta sint aut aptari possint, templi dignitati congruant, atque revera aedificationi fidelium faveant.

121. Sentiant musicae artifices, spiritu christiano imbuti, se ad Musicam sacram colendam et ad thesaurum eius augendum esse vocatos.

Modos autem componant, qui notas verae Musicae sacrae prae se ferant atque non solum a maioribus scholis cantorum cani possint, sed minoribus quoque scholis conveniant et actuosam participationem totius coetus fidelium foveant.

Textus cantui sacro destinati catholicae doctrinae sint conformes, immo ex sacris Scripturis et fontibus liturgicis potissimum hauriantur.

CAPUT VII

De Arte sacra deque sacra supellectile

122. Inter nobilissimas ingenii humani exercitationes artes ingenuae optimo iure adnumerantur, praesertim autem ars religiosa eiusdemque culmen, ars nempe sacra. Quae natura sua ad infinitam pulchritudinem divinam spectant, humanis operibus aliquomodo expri« mendam, et Deo eiusdemque laudi et gloriae provehendae eo magis addi-

«initur, quo nihil aliud eis propositum est, quam ut operibus suis ad hominum mentes pie in Deum convertendas maxime conferant.

Alma Mater Ecclesia proinde semper fuit ingenuarum artium amica, earumque nobile ministerium, praecipue ut res ad sacrum cultum pertinentes Vere essent dignae, decorae ac pulchrae, rerum supernarum signa et symbola, continenter quaesivit, artificesque instruxit. Immo earum veluti arbitram Ecclesia iure semper se habuit, diiudicans inter artificum opera quae fidei, pietati legibusque religiose traditis congruerent, atque ad usum sacrum idonea haberentur.

Peculiari sedulitate Ecclesia curavit ut sacra supellex digne et pulchre cultus decori inserviret, eas mutationes sive in materia, sive in forma, sive in ornatu admittens, quas artis technicae progressus per temporis decursum invexit.

Placuit proinde Patribus hisce de rebus ea quae sequuntur decernere.

123. Ecclesia nullum artis stilum veluti proprium habuit, sed secundum gentium indoles ac condiciones atque variorum Rituum necessitates modos cuiusvis aetatis admisit, efficiens per decursum saeculorum artis thesaurum omni cura servandum. Nostrorum etiam temporum atque omnium gentium et regionum ars liberum in Ecclesia exercitium habeat, dummodo sacris aedibus sacrisque ritibus debita reverentia debitoque honore inserviat ; ita ut eadem ad mirabilem illum gloriae concentum, quem summi viri per praeterita saecula catholicae fidei cecinere, suam queat adiungere vocem.

124. Curent Ordinarii ut artem vere sacram promoventes eique faventes, potius nobilem intendant pulchritudinem quam meram sumptuositatem. Quod etiam intellegatur de sacris vestibus et ornamentis.

Curent Episcopi ut artificum opera, quae fidei et moribus, ac christianae pietati répugnent, offendantque sensum vere religiosum vel ob formarum depravationem, vel ob artis insufficientiam, mediocritatein ac simulationem, ab aedibus Dei aliisque locis sacris sedulo arceantur.

In aedificandis vero sacris aedibus, diligenter curetur ut ad litur-

gicas actiones exsequendas- et ad fidelium actuosam participationem obtinendam idoneae sint.

125. Firma maneat praxis, in ecclesiis sacras imagines fidelium venerationi proponendi; attamen moderato numero et congruo ordine exponantur, ne populo christiano admirationem inficiant, neve indulgeant devotioni minus rectae.

126. In diiudicandis artis operibus Ordinarii locorum audiant Commissionem dioecesanam de Arte sacra, et, si casus ferat, alios viros valde peritos, necnon Commissiones de quibus in articulis 44, 45, 46.

Sedulo advigilent Ordinarii ne sacra supellex vel opera pretiosa, utpote ornamenta domus Dei, alienentur vel disperdantur.

127. Episcopi vel per se ipsos vel per sacerdotes idoneos qui peritia et artis amore praediti sunt, artiñcum curam habeant, ut eos spiritu Artis sacrae et sacrae Liturgiae imbuant.

Insuper commendatur ut scholae vel Academiae de Arte sacra ad artifices formandos instituantur in illis regionibus in quibus id visum fuerit.

Artifices autem omnes, qui ingenio suo ducti, gloriae Dei in Ecclesia sancta servire intendunt, semper meminerint agi de sacra quadam Dei Creatoris imitatione et de operibus cultui catholico, fidelium aedificationi necnon pietati eorumque instructioni religiosae destinatis.

128. Canones et statuta ecclesiastica, quae rerum externarum ad sacrum cultum pertinentium apparatum spectant, praesertim quoad aedium sacrarum dignam et aptam constructionem, altarium formam et aedificationem, tabernaculi eucharistici nobilitatem, dispositionem et securitatem, baptisterii convenientiam et honorem, necnon congruentem sacrarum imaginum, decorationis et ornatus rationem, una cum libris liturgicis ad normam art. 25 quam primum recognoscantur : quae liturgiae iñstauratae minus congruere videntur, emendentur aut aboleantur ; quae vero ipsi favent, retineantur vel introducantur.

Qua in re, praesertim quoad materiam et formam sacrae supellecti-

lis et indumentorum, territorialibus Episcoporum coetibus facultas tribuitur res aptandi necessitatibus et moribus locorum, ad normam art. 22 huius Constitutionis.

129. Clerici, dum philosophicis et theologicis studiis incumbunt, etiam de Artis sacrae historia eiusque evolutione instituantur, necnon de sanis principiis quibus opera Artis sacrae inniti debent, ita ut Ecclesiae venerabilia monumenta aestiment atque servent, et artificibus in operibus efficiendis congrua consilia queant praebere.

130. Convenit ut usus pontificalium reservetur illis ecclesiasticis personis, quae aut charactere episcopali, aut peculiari aliqua iurisdictione gaudent.

APPENDIX

Sacrosancti Oecumenici Concilii Vaticani secundi de calendario recognoscendo declaratio

Sacrosanctum Oecumenicum Concilium Vaticanum secundum, haud parvi momenti aestimans multorum desideria de festo Paschatis certae dominicae assignando et de calendario stabiliendo, omnibus sedulo perpensis, quae ex inductione novi calendarii manare possint, haec quae sequuntur declarat :

1. Sacrosanctum Concilium non obnititur quin festum Paschatis certae dominicae in Calendario Gregoriano assignetur, assentientibus iis quorum intersit, praesertim fratribus ab Apostolicae Sedis communione seiunctis.

2. Item Sacrosanctum Concilium declarat se non obsistere inceptis quae conferant ad calendarium perpetuum in societatem civilem inducendum.

Variorum autem systematum, quae ad calendarium perpetuum stabiliendum et in societatem civilem inducendum excogitantur, iis tantum

Ecclesia non obsistit, quae hebdomadam septem dierum cum dominica "servant et tutantur, nullis diebus extra hebdomadam interiectis, ita ut hebdomadarum successio intacta, nisi accedant gravissimae rationes de quibus Apostolica Sedes iudicium ferat, relinquatur.

Haec omnia et singula qwae in hac Constitutione edicta sunt, placuerunt Sacrosancti Concilii Patribus. Et Nos, Apostolica a Christo Nobis tradita potestate, illa, una cum Venerabilibus Patribus, in Spiritu Sancto approbamus, decernimus ac statuimus et quae ita synodaliter statuta sunt ad Dei gloriam promulgari iubemus.

Romae, apud S. Petrum, die iv Decembris anno **MCMLXIII.**

Ego PAULUS Catholicae Ecclesiae Episcopus

£8 Ego **EUGENIUS** Episcopus Ostiensis ac Portuensis et S. Rufinae Cardinalis **TISSERANT**, Sacri Collegii Decanus.

£8 Ego **IOSEPHUS** Episcopus Albanensis Cardinalis **PIZZARDO.**

£8 Ego **BENEDICTUS** Episcopus Praenestinus Cardinalis **ALOISI MASELLA.**

£8 Ego **HAMLETUS IOANNES** Episcopus tit. Tusculanus Cardinalis **CICOGNANI.**

£8 Ego **IOSEPHUS** Episcopus tit. Sabinensis et Mandelensis Cardinalis **FERRETTO.**

B Ego **ACHILLES** titulo S. Sixti Presbyter Cardinalis **LIENART**, Episcopus Insulensis.

© Ego **IGNATIUS GABRIEL** titulo Basilicae XII Apostolorum Presbyter Cardinalis **TAPPOUNI**, Patriarcha Antiochenus Syrorum.

Ego **IACOBUS ALOISIUS** titulo S. Laurentii in Damaso Presbyter Cardinalis **COPELLO**, S. R. E. Cancellarius.

B Ego **PETRUS** titulo SSmae Trinitatis in Monte Pincio Presbyter Cardinalis **GERLIER**, Archiepiscopus Lugdunensis.

Ego **GREGORIUS PETRUS** titulo S. Bartholomaei in Insula Presbyter Cardinalis **AGAGIANIAN.**

© Ego **CAROLUS CARMELUS** titulo S. Pancratii Presbyter Cardinalis **MOTTA**, Archiepiscopus S. Pauli in Brasilia.

© Ego **FRANCISCUS** titulo Ss. Ioannis et Pauli Presbyter Cardinalis **SPELLMAN**, Archiepiscopus Neo-Eboracensis.

© Ego **IACOBUS** titulo Ss. Bonifacii et Alexii Presbyter Cardinalis **DE BARROS CÁMARA**, Archiepiscopus S. Sebastiani Fluminis Ianuarii.

© Ego **IOSEPHUS** titulo S. Ioannis ante Portam Latinam Presbyter Cardinalis **FRINGS**, Archiepiscopus Coloniensis.

© Ego **ERNESTUS** titulo S. Sabinae Presbyter Cardinalis **RUFPINI**, Archiepiscopus Panormitanus.

© Ego **ANTONIUS** titulo S. Laurentii in Panisperna Presbyter Cardinalis **CAGGIANO**, Archiepiscopus Bonaërensis.

Ego **PETRUS** titulo S. Praxedis Presbyter Cardinalis **CIRIACI.**

© Ego **MAURITIUS** titulo S. Mariae de Pace Presbyter Cardinalis **FELTIN,** Archiepiscopus Parisiensis.

© Ego **IOSEPHUS** titulo S. Mariae de Victoria Presbyter Cardinalis **SIRI,** Archiepiscopus Ianuensis.

© Ego **IACOBUS FRANCISCUS** titulo S. Anastasiae Presbyter Cardinalis **MCINTYRE**, Archiepiscopus Angelorum in California.

© Ego **IACOBUS** titulo S. Mariae in Transpontina Presbyter Cardinalis **LERCARO**, Archiepiscopus Bononiensis.

© Ego **STEPHANUS** titulo S. Mariae Trans Tiberini Presbyter Cardinalis **WYSZYNSKI**, Archiepiscopus Gnesnensis et Varsaviensis, Primas Poloniae.

© Ego **BENIAMINUS** titulo S. Vitalis Presbyter Cardinalis de **ARRIBA Y CASTRO**, Archiepiscopus Tarraconensis.

© Ego **FERDINANDUS** titulo S. Augustini Presbyter Cardinalis **QUIROGA Y PALACIOS**, Archiepiscopus Compostellanus.

© Ego **PAULUS AEMILIUS** titulo S. Mariae Angelorum in Thermis Presbyter Cardinalis **LEGER**, Archiepiscopus Marianopolitanus.

© Ego **VALERIANUS** titulo S. Mariae in Via Lata Presbyter Cardinalis **GRACIAS**, Archiepiscopus Bombayensis.

© Ego **IOANNES** titulo S. Marci Presbyter Cardinalis **URBANI**, Patriarcha Venetiarum.

Ego **PAULUS** titulo S. Mariae in Vallicella Presbyter Cardinalis **GIOBBE,** S. R. E. Datarins. v

Ego **FERDINANDUS** titulo S. Eustachii Presbyter Cardinalis **CENTO.**

© Ego **IOSEPHUS** titulo S. Onuphrii in Ianiculo Presbyter Cardinalis **GARIBI Y RIVERA**, Archiepiscopus Guadalajarensis.

Ego **CAROLUS** titulo S. Agnetis extra moenia Presbyter Cardinalis **CONPALONIERI.**

© Ego **ALFONSUS** titulo S. Callixti Presbyter Cardinalis **CASTALDO**, Archiepiscopus Neapolitanus.

© Ego **PAULUS** titulo Ss. Quirici et Iulittae Presbyter Cardinalis **RICHAUD,** Archiepiscopus Burdigalensis.

© Ego **FRANCISCUS** titulo S. Eusebii Presbyter Cardinalis **KÖNIG**, Archiepiscopus Vindobonensis.

ffi Ego **IULIUS** titulo S. Mariae Scalaris Presbyter Cardinalis **DÖPFNER,** Archiepiscopus Monacensis et Frisingensis.

Ego **PAULUS** titulo S. Andreae Apostoli de Hortis Presbyter Cardinalis **MARELLA.**

Ego **GUSTAVUS** titulo S. Hieronymi Illyricorum Presbyter Cardinalis **TESTA.**

© Ego **ALBERTUS** titulo S. Caeciliae Presbyter Cardinalis **MEYER**, Archiepiscopus Chicagiensis.

Ego **ALOISIUS** titulo S. Andreae de Valle Presbyter Cardinalis **TRAGLIA.**

© Ego **PETRUS TATSUO** titulo S. Antonii Patavini de Urbe Presbyter Cardinalis Doi, Archiepiscopus Tokiensis.

© Ego **IOSEPHUS** titulo S. Ioannis Baptistae Florentinorum Presbyter Cardinalis **LEFEBVRE**, Archiepiscopus Bituricensis.

© Ego **BERNARDUS** titulo S. Ioachimi Presbyter Cardinalis **ALFRINK,** Archiepiscopus Ultraiectensis.

© Ego **RUFINUS** I. titulo S. Mariae ad Montes Presbyter Cardinalis **SANTOS**, Archiepiscopus Manilensis.

© Ego **LAUREANUS** titulo S. Francisci Assisiensis ad Ripam Maiorem Presbyter Cardinalis **RUGAMBWA**, Episcopus Bukobaënsis.

83 Ego **IOSEPHUS** titulo Ssmi Redemptoris et S. Alfonsi in Exqniliis Presbyter Cardinalis **RITTER**, Archiepiscopus S. Ludovici.

83 Ego **IOSEPHUS HUMBERTUS** titulo **SS**. Andreae et Gregorii ad Clivum Scauri Presbyter Cardinalis **QUINTERO**, Archiepiscopus Caracensis.

63 Ego **ALOISIUS** titulo S. Mariae Novae Presbyter Cardinalis **CONCHA,** Archiepiscopus Bogotensis.

Ego **IOSEPHUS** titulo S. Priscae Presbyter Cardinalis **DA COSTA NUNES.**

Ego **HILDEBRANDUS** titulo S. Sebastiani ad Catacumbas Presbyter Cardinalis **ANTONIUTTI.**

Ego **EPHRAEM** titulo S. Crucis in Hierusalem Presbyter Cardinalis **FORNI.**

63 Ego **IOANNES** titulo S. Mariae de Aracoeli Presbyter Cardinalis **LANDAZURI RICKETTS**, Archiepiscopus Limensis, Primas Peruviae.

83 Ego **RADULFUS** titulo S. Bernardi ad Thermas Presbyter Cardinalis **SILVA HENRIQUEZ**, Archiepiscopus S. Iacobi in Chile.

83 Ego **LEO IOSEPHUS** titulo S. Petri ad Vincula Presbyter Cardinalis **SUENENS**, Archiepiscopus Mechliniensis-Bruxellensis.

Ego **ALAPHRIDUS** S. Mariae in Domnica Protodiaconus Cardinalis **OTTAVIANI.**

Ego **ALBERTUS** S. Pudentianae Diaconus Cardinalis **DI JORIO.**

Ego **FRANCISCUS** S. Caesarei in Palatio Diaconus Cardinalis **BRACCI.**

Ego **FRANCISCUS** S. Mariae in Cosmedin Diaconus Cardinalis **ROBERTI.**

Ego **ARCADIUS SS**. Blasii et Caroli ad Catinarios Diaconus Cardinalis **LARRAONA.**

Ego **FRANCISCUS SS**. Cosmae et Damiani Diaconus Cardinalis **MORANO.**

Ego **GUILLELMUS THEODORUS** S. Theodori in Palatio Diaconus Cardinalis **HEARD.**

Ego **AUGUSTINUS** S. Sabae Diaconus Cardinalis **BEA.**

Ego Frater **MICHAEL** S. Pauli in Haraenula Diaconus Cardinalis **BROWNE.**

Ego **IOACHIM ANSELMUS** S. Apollinaris Diaconus Cardinalis **ALBAREDA.**

63 Ego **STEPHANUS** I **SIDAROUSS**, Patriarcha Alexandrinus Coptorum.

63 Ego **MAXIMUS** IV **SAIGH**, Patriarcha Antiochenus Melchitarum.

83 Ego **PAULUS PETRUS MEOUÇHI**, Patriarcha Antiochenus Maronitarum.

83 Ego **ALBERTUS GORI**, Patriarcha Hierosolymitanus Latinorum.

83 Ego **PAULUS** II **CHEIKHO**, Patriarcha Babylonensis Chaldaeorum.

83 Ego **IGNATIUS PETRUS** XVI **BATANIAN**, Patriarcha Ciliciae Armenorum.

83 Ego **IOSEPHUS VIEIRA ALVERNAZ**, Patriarcha Indiarum Orientalium.

83 Ego **IOANNES CAROLUS MCQUAID**, Archiepiscopus Dublinensis, Primas Hiberniae.

83 Ego **ANDREAS ROHRACHER**, Archiepiscopus Salisburgensis, Primas Germaniae.

83 Ego **DEMETRIUS MOSCATO**, Archiepiscopus Primas Salernitanus et Administrator Perpetuus Acernensis.

83 Ego **HUGO CAMOZZO**, Archiepiscopus Pisanus et Primas Sardiniae et Corsicae.

83 Ego **MAURITIUS PERRIN**, Archiepiscopus Carthaginensis et Primas Africae.

83 Ego **ALEXANDER TOKIC**, Archiepiscopus Antibarensis et Primas Serbiae.

83 Ego **MICHAEL DARIUS MIRANDA**, Archiepiscopus Mexicanus, Primas Mexici.

83 Ego **IOANNES CAROLUS HEENAN**, Archiepiscopus Vestmonasteriensis, Primas Angliae.

83 Ego **GUILLELMUS CONWAY**, Archiepiscopus Armachanus, Primas totius Hiberniae.

83 Ego **FERDINANDUS PERIER**, Archiepiscopus tit. Rhoinensis.

Sequuntur caeterae subsignationes.

Ita est.

83 Ego **PERICLES FELICI**
Archiepiscopus tit. Samosatensis
Ss. Concilii Secretarius Generalis

83 Ego Iosephus Rossi
Episcopus tit. Païmyrenus
Ss. Concilii Notarius

Ego Franciscus Hannibal Ferretti
Ss. Concilii Notarius

ACTA PAULI PP. VI

LITTERAE APOSTOLICAE MOTU PROPRIO DATAE

Decernitur ut praescripta quaedam Constitutionis de Sacra Liturgia a Concilio Oecumenico Vaticano II probatae vigere incipiant.

PAULUS PP. VI

SACRAM OLITURGIAM diligenter servari, excoli et, pro necessitate, instaurari quantae curae semper fuerit Summis Pontificibus Decessoribus Nostris, Nobismetipsis, et sacris Ecclesiae Pastoribus, tum plurima acta in lucem edita confirmant, quae nemo cognita non habet, tum vero Constitutio de hac re agens, quam Concilium Oecumenicum Vaticanum II, in sollemni sessione, die iv Decembris superioris anni MDCCCCLXIII habita, summa assensione approbavit, et Nos promulgari iussimus.

Quod profecto ex eo consequitur, quod *in terrena Liturgia caelestem illam praegustando participamus, quae in sancta civitate Ierusalem, ad quam peregrini tendimus, celebratur, ubi Christus est in dextera Dei sedens, sanctorum minister et tabernaculi veri; cum omni militia caelestis exercitus hymnum gloriae Domino canimus; memoriam sanctorum venerantes partem aliquam et societatem cum iis speramus; Salvatorem exspectamus Dominum nostrum Iesum Christum, donec ipse apparebit vita nostra, et nos apparebimus cum ipso in gloria.*[1]

[1] *Constit, de sacra Liturgia,* **n. 8.**

Quo fit ut christifidelium animi, ita Deum colentes, omnis sanctitatis principium et rationem, ad hanc adipiscendam alliciantur ac veluti impellantur, evadantque, in terrestri hac peregrinatione, *almae Sionis aemuli.*[2]

Has ob causas facile quivis intellegit, in hac rerum provincia, nihil Nos habere antiquius, quam ut sive christifideles, sive praecipue sacerdotes, primum se penitus studio dent Constitutionis, de qua dicimus, deinde animos suos iam nunc componant ad praecepta eiusdem integra fide facienda, cum vigere ea incipient. Qua,m ob causam, cum ex ipsa rei natura, quae ad cognitionem et vulgationem legum liturgicarum pertinent, statim vigere necesse sit, plane plurimum dioecesium Praesules hortamur ut, sacris administris, *dispensatoribus mysteriorum Dei?* adiuvantibus, in eo elaborare ne morentur, ut sibi concrediti fideles, pro sua quisque aetate, vitae condicione, ingeniique cultu, simul sacrae liturgiae vim virtutemque intimam mente concipiant, simul animo et corpore Ecclesiae ritus religiosissime participent.[4]

Quemadmodum inter omnes constat, plurimae Constitutionis praeceptiones nequeunt intra breve temporis spatium ad effectum adduci ; utpote cum antea sint ritus quidam recognoscendi et novi liturgici libri apparandi. Quod opus ut ea qua par est sapientia et prudentia peragatur, peculiarem condimus Commissionem, quam appellant, cuius praecipuae erunt partes, ut ipsius Constitutionis de sacra liturgia praecepta sancte perficienda curet.

Attamen, quoniam de Constitutionis normis certae quae-

[2] ***Ex hymno ad Laudes, in festo Dedicationis Ecclesiae.***

[3] **Cfr. *1 Cor.* 4, 1.**

[4] **Cfr. *Constit,* art. 19.**

dam hinc iam peragi sane possunt, has re vera ut sine cunctatione praestentur volumus, ne diutius christifidelium animi iis gratiae fructibus careant, qui inde exspectantur.

Quapropter auctoritate Nostra apostolica atque motu proprio praecipimus atque decernimus, ut a proxima Dominica prima Quadragesimae, hoc est a die **xvi** mensis Februarii, hoc anno **MDCcccLxiv,** cessante scilicet statuta legis vacatione, ea quae sequuntur vigere incipiant.

I) Quod ad ea spectat, quae de liturgica institutione in sacris Seminariis, in Sodalitatum religiosarum scholis, et in theologicis, quas vocant, Facultatibus tradenda articulis 15, 16, et 17 praescribuntur, ita ibidem studiorum rationes ut iam nunc comparentur volumus, ut a proximo anno scholari ea ordinate et diligenter praestentur.

II) Decernimus pariter ut, ex praescriptis art. 45 et 46, in singulis dioecesibus Consilium habeatur, cui sit mandatum, ut, Episcopo moderante, res liturgica magis magisque pernoscatur et provehatur.

Qua super re opportune aliquando fiet, ut plures dioeceses commune habeant Consilium.

Praeterea in quavis dioecesi, quantum fieri potest, duo alia habeantur Consilia: alterum Musicae sacrae, alterum Arti sacrae accurandae.

Quae tria Consilia in singula dioecesi non raro congruet, ut in unum coalescant.

III) Item a die, quem supra statuimus, iussum vigere volumus homiliae diebus dominicis et festis de praecepto in Missis habendae; ad normam art. 52.

IV) Eam art. 71 partem vim suam statim obtinere statui-

mus, ex qua Sacramentum Confirmationis, pro opportunitate, intra Missam, post lectionem Evangelii et homiliam, conferri potest.

V) Quod ad art. 78 attinet, Matrimonii Sacramentum de more intra Missam celebretur, post lectum Evangelium et habitam homiliam.

Quodsi Matrimonium sine Missa celebretur, quoad totus huius Sacramenti ritus instauratus erit, haec serventur: initio sacrae huius caerimoniae, post brevem habitam admonitionem,[5] legantur lingua vernacula Epistula et Evangelium e *Missa pro Sponsis* deprompta; ac deinde ea benedictio Sponsis semper impertiatur, quae in Rituali Romano legitur tit. VIII, cap. **III.**

VI) Quamvis divini Officii ordo nondum sit, iuxta art. 89, recognitus et instauratus, tamen iam nunc iis qui chori obligatione non astringuntur facultatem facimus, ut, cessante legis vacatione, Horam Primam omittere possint, et ex ceteris Horis minoribus illam eligere, quae diei momento magis congruat.

Quod dum concedimus, plane confidimus fore ut sacrorum administri adeo de sui animi pietate nihil remittant, ut, si sacerdotalis officii sui munera unius Dei amore diligenter obierint, putandi sint mente cum eo coniuncti totum diem traducere,

VII) Quod ad idem Officium divinum pertinet, in casibus singularibus et de iusta causa, Ordinarii possunt subditos suos obligatione Officii recitandi ex toto vel ex parte solvere, aut hanc cum alia commutare.[6]

VIII) De eadem divini Officii recitatione declaramus, cuius-

[5] **Cfr. *Constit,* art. 35, § 3.**
[6] **Cfr. *Constit,* art. 97.**

vis Instituti Sodales, religiosam perfectionem profitentes, qui, propter suas leges, vel aliquas divini Officii partes, vel parvum aliquod Officium, instar divini Officii compositum riteque approbatum, recitent, eos publice cum Ecclesia precari putandos esse.[7]

IX) Quoniam vero ex Constit, art. 101, iis, qui divinum Officium recitare obstringuntur, aliter aliis facultas fit, pro latina, usurpandi linguam vernaculam, opportunum ducimus significare, varias huiusmodi populares interpretationes, a competente auctoritate ecclesiastica territoriali conficiendas et approbandas esse, ad normam art. 36, §§ 3 et 4; acta vero huius auctoritatis, ad normam eiusdem art. 36, § 3, ab Apostolica Sede esse rite probanda seu confirmanda. Quod ut semper servetur praescribimus, quoties liturgicus quidam textus latinus a legitima, quam diximus, auctoritate in linguam vernaculam con verte tur.

X) Quandoquidem ex hac Constitutione (art. 22, § 2) moderatio rei liturgicae, intra statutos limites, penes est etiam competentes varii generis territoriales Episcoporum coetus legitime constitutos, hos interim nationales, ut aiunt, esse debere decernimus.

In his vero coetibus nationalibus, praeter Episcopos residentiales, ex iure ii intersunt et suffragium ferunt, de quibus in Can. 292 C.I.C.; sed ad eosdem etiam Episcopi Coadiutores et Auxiliares vocari possunt.

In quibus coetibus, ad legitima ferenda decreta, duae ex tribus suffragiorum secretorum partes requiruntur.

XI) Ad extremum, id ut animadvertatur volumus, praeter

[7] **Cfr. *Constit,* art. 98.**

ea quae Nostris hisce Litteris Apostolicis in re liturgica vel immutavimus, vel ante statutum tempus effici mandavimus, sacrae liturgiae moderationem penes Ecclesiae dumtaxat auctoritatem esse: hoc est, penes Apostolicam hanc Sedem, et, ad normam iuris, penes Episcopum; atque idcirco nemini omnino alii, ne sacerdoti quidem, licere quidquam in re liturgica vel addere, vel demere, vel mutare.[8]

Quaecumque a Nobis hisce Litteris motu proprio datis decreta sunt ea omnia firma ac rata esse iubemus, contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die xxv mensis Ianuarii, in festo Conversionis S. Pauli Apostoli, anno MDCCCCLXIV, Pontificatus Nostri I.

PAULUS PP. VI

Cfr. *Constit,* art. 22, § 1, et 22, § 3.

An. et vol. LVI | 21 Martii 1964 | (Ser. HI, v. VI) - N. 3

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico - Città del Vaticano — *Administratio:* Libreria Editrice Vaticana

SACROSANCTUM
CONCILIUM OECUMENICUM VATICANUM II

DECRETUM
De instrumentis communicationis socialis

PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
UNA CUM SACROSANCTI CONCILII PATRIBUS
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

1. **INTER MIRIFICA** technicae artis inventa, quae hodiernis praesertim temporibus, Deo favente, humanum ingenium e rebus creatis deprompsit, peculiari sollicitudine Mater Ecclesia ea excipit ac prosequitur quae hominis animum potissimum respiciunt, quaeque novas aperuerunt vias cuiusvis generis nuntios, cogitata ac praecepta facillime communicandi. E quibus vero inventis ea eminent instrumenta, quae non modo singulos homines, sed ipsas multitudines totamque humanam societatem, natura sua attingere ac movere valent, sicuti prelum, cinematographeum, radiophonia, televisio et alia huiusmodi, quae proinde instrumenta communicationis socialis merito vocari possunt.

2. Novit quidem Mater Ecclesia haec instrumenta, si recte adhibeantur, humano generi valida praebere subsidia, cum multum conferant ad relaxandos et excolendos animos atque ad Dei regnum propagandum et firmandum ; novit etiam homines posse ea adhibere contra divini Conditoris consilium et in suorum ipsorum iacturam convertere; immo ma-

terno angitur doloris sensu ob damna quae ex pravo eorum usu humanae consociationi nimis saepe orta sunt.

Quare Sacrosancta Synodus, Summorum Pontificum et Episcoporum, in re tanti momenti, vigilanti curae instans, suum esse censet quaestiones praecipuas tractare cum instrumentis communicationis socialis conexas. Confidit insuper suam doctrinam et disciplinam hoc modo propositam, non modo christifidelium saluti, sed etiam totius consortionis humanae progressui esse prof u turam.

Caput I

3. Catholica Ecclesia, cum ad salutem universis hominibus afferendam a Christo Domino constituta sit ideoque evangelizandi necessitate compellatur, sui officii partes esse ducit nuntium salutis, ope etiam instrumentorum communicationis socialis, praedicare hominesque de eorum recto usu docere.

Ecclesiae ergo nativum ius competit quodvis horum instrumentorum genus, quatenus ad christianam educationem omnemque suam de animarum salute operam sunt necessaria vel utilia, adhibendi atque possidendi ; ad sacros vero Pastores munus pertinet fideles ita instituendi atque moderandi ut iidem, horum etiam instrumentorum auxilio, suam totiusque humanae familiae salutem ac perfectionem persequantur.

Ceterum, laicorum praesertim est huiusmodi instrumenta, humano christianoque spiritu vivificare, ut magnae humani convictus expectationi divinoque consilio plene respondeant.'

4. Ad recte haec instrumenta adhibenda omnino necesse est ut omnes, qui iisdem utantur, ordinis moralis normas noscant et fideliter in hac provincia ad effectum deducant. Rerum materiam ergo considerent quae, pro peculiari cuiusque instrumenti natura, communicantur ; simul vero adiuncta seu circumstantias omnes, hoc est finem, personas, locum, tempus ceteraque prae oculis habeant quibus ipsa communicatio perficitur quaeque eiusdem honestatem possunt mutare, vel prorsus novare; inter quae numeratur modus agendi uniuscuiusque instrumentorum proprius, eorum scilicet vis, quae tanta esse potest ut homines, praesertim si imparati sint, eamdem animadvertere, imperio regere ac, si res ferat, reicere, difficulter valeant.

5. Praecipue vero necesse est ut omnes quorum interest rectam de horum instrumentorum usu conscientiam sibi efforment, praesertim quod attinet ad nonnullas quaestiones nostra aetate acrius agitatas.

Prima quaestio informationem, quam aiunt, spectat, seu nuntiorum exquisitionem atque evulgationem. Patet, profecto, eam, ob hodiernae humanae societatis progressum atque ob árctiora vincula inter eiusdem membra, perutilem atque plerumque necessariam evasisse ; publica enim et tempestiva eventuum rerumque communicatio pleniorem et continuam eorum notitiam praebet singulis hominibus, ita ut ipsi ad bonum commune efficaciter conferre possint omnesque auctiorem totius civilis societatis profectum facilius promoveant. Inest ergo in societate humana ius ad informationem de iis quae hominibus, sive singulis, sive-societate coniunctis, secundum uniuscuiusque condiciones, conveniant. Huius tamen rectum iuris exercitium expostulat ut, quoad suum obiectum communicatio sit semper vera atque, iustitia et caritate servatis, integra ; praeterea, quoad modum, sit honesta et conveniens, scilicet leges morales hominisque legitima iura et dignitatem, cum in nuntiis quaeritandis tum in evulgandis, sancte servet ; non omnis enim scientia prodest, ((caritas vero aedificat » ***(1*** *Cor.* 8, 1).

6. Secunda quaestio rationes respicit intercedentes inter artis, ut aiunt, iura et legis moralis normas. Cum increbrescentes de hac re controversiae non raro ortum ducant a falsis doctrinis de ethica et aesthetica, Concilium obiectivi ordinis moralis primatum absolute omnibus tenendum edicit, quippe qui ceteros omnes rerum humanarum ordines, artis non excepto, licet dignitate praestantes, unus superet congruenterque componat. Solus enim ordo moralis hominem, Dei rationalem creaturam et ad superna vocatum, in tota ipsius natura attingit idemque, si quidem integre fideliterque servetur, ad perfectionem et beatitudinem plene assequendam ipsum adducit.

7. Postremo, mali moralis narratio, descriptio vel repraesentatio-possunt sane, etiam ope instrumentorum communicationis socialis, inservire ad hominem penitius cognoscendum explorandumque, ad veri bonique magnificentiam manifestandam atque extollendam, opportunioribus ceterum effectibus dramaticis obtentis ; attamen, ne damnum potius^ quam utilitatem animis afferant, legibus moralibus omnino obtempèrent, praesertim si agatur de rebus quae debitam reverentiam exigant, vel quae hominem, originali labe vulneratum, facilius ad pravas cupiditates incitent.

8. Cum publicae opiniones hodie vim et auctoritatem maximam exerceant in omnium ordinum civium vitam, sive privatam sive publicam, necesse est ut omnia societatis membra sua iustitiae et caritatis officia, hac quoque in provincia, adimpleant; itaque, istorum etiam instrumentorum ope, contendant ad rectas publicas opiniones efformandas atque pandendas.

9. Peculiaria officia obstringant receptores omnes, lectores scilicet, spectatores et auditores, qui communicationes his instrumentis diffusas, personali ac libera electione, recipiunt. Recta enim electio postulat ut iidem omnibus quae virtute, scientia et arte praestent plene faveant ; ea autem vitent quae vel sibi spiritalis detrimenti causa vel occasio fiant, vel alios per pravum exemplum in periculum inducere possunt, vel bonis communicationibus obstent malasque promoveant; quod plerumque fit pretium praebitoribus solvendo qui ob oeconomicas dumtaxat rationes haec instrumenta adhibeant.

Ut ergo iidem receptores legem moralem adimpleant, officium ne praetermittant sese tempestive certiores faciendi de sententiis quae his in rebus a competenti auctoritate ferantur, atque eisdem secundum rectae conscientiae normas obsequendi ; ut vero minus rectis suasionibus facilius obsistant, bonis autem plene faveant, curent suam conscientiam aptis auxiliis dirigere atque instituere.

10. Receptores, praesertim iuniores, curent ut in usu horum instrumentorum moderationem et disciplinam assuescant ; studeant insuper ut res visas, auditas, lectas penitius intellegant ; cum educatoribus ac peritis de iisdem disserant et rectum iudicium proferre ediscant. Parentes vero suum esse officium meminerint sedulo invigilandi ne spectacula, folia et alia huiusmodi, quae, fidei aut moribus infensa sint, domestici convictus limen intrent, neve filii familias alibi talibus occurrant.

11. Praecipuum morale officium quoad rectum instrumentorum communicationis socialis usum respicit diurnarios, scriptores, actores, scaenarum artifices, effectores, diribitores, distributores, exercentes et venditores, criticos ceterosque qui quocumque modo in communicationibus efficiendis et transmittendis partem habeant ; omnino enim patet quae et quam gravis momenti officia iis omnibus sint tribuenda in hodiernis hominum condicionibus, cum ipsi, informando atque incitando, humanum genus recte vel pessum ducere possint.

Eorum itaque erit oeconomicas, vel politicas, vel artis rationes ita

componere ut eaedem bono communi numquam adversentur; quod ut expeditius obtineant, ipsi laudabiliter nomen consociationibus dent ad suam professionem spectantibus, quae suis membris — etiam, si opus fuerit, inito foedere de codice; morali recte servando — legum moralium reverentiam in suae artis negotiis et officiis imponant.

Semper autem memores sint magnam partem lectorum et spectato' rum e iuvenibus constare, qui indigent prelo atque spectaculis quae honesta oblectamenta praebeant atque ad altiora animos alliciant. Curent insuper ut communicationes de rebus ad religionem spectantibus personis dignis ac peritis tractanda concredantur et debita reverentia perficiantur.

12. Civilis auctoritas hac in re peculiaribus officiis obstringitur ratione boni communis, ad quod haec instrumenta ordinantur. Eiusdem enim auctoritatis est, pro suo munere, informationis veram iustamque libertatem, qua hodierna societas ad sui profectum omnino eget, praesertim ad prelum quod attinet, defendere ac tutari ; religionem, culturam, optimas artes fovere; receptores, ut suis legitimis iuribus libere frui possint, tueri. Praeterea civilis potestatis est ea incepta adiuvare quae, licet praesertim iuventuti maxime sint utilia, suscipi secus non possunt.

Denique eadem publica potestas, quae legitime operam dat civium valetudini, tenetur officio, per legum promulgationem ac sedulam executionem, iuste et vigilanter consulendi ne ex horum instrumentorum pravo usu gravia discrimina publicis moribus et societatis progressui obveniant. Per hanc vigilem curam minime singulorum vel coetuum comprimatur libertas, praesertim si validae deficiant cautiones ex parte eorum qui, ex suscepto munere, haec instrumenta adhibent.

Peculiaris autem tutela exerceatur ad iuniores defendendos a prelo et spectaculis quae eorum aetati noxia sint.

Caput II

13. Omnes Ecclesiae filii communi animo consilioque conentur ut instrumenta communicationis socialis, nulla interposita mora et maxima adhibita industria, efficaciter in multiplicibus apostolatus operibus, prout rerum et temporum adiuncta exposcent, usurpentur, noxia incepta praecurrentes, illis praesertim in regionibus quarum moralis et religiosus progressus urgentiorem navitatem exquirit.

Viae, quae ad unitatem perducunt, hinc illinc longae quidem esse poterunt ac multis difficultatibus impeditae. Attamen utrumque iter alterum ad alterum vergit et ad Evangelii fontes convenit. Ceterum, nonne fausto ac felici omine hodiernus occursus noster in hac terra contingit, in qua Christus Ecclesiam condidit ac pro ea sanguinem suum profudit? Utcumque, hoc eventum voluntatem manifesto testatur, quae quidem, iuvante Deo, magis magisque communis evadit inter christianos homines hoc nomine dignos; voluntatem, dicimus, sollertem dandi operam, ut dissensiones superentur et opposita repagula diruantur; hoc est voluntatem constanter prosequendi susceptum iter, quod ad concordiae reconciliationem conducit.

Dissensiones quae ad doctrinam,^ ad liturgiam et ad disciplinam spectant, tempore et loco opportuno expendendae sane erunt, et eo quidem animo, qui veritatis iura fideliter servet rectoque iudicio res aestimet, salva caritate. Quod autem iam nunc effici potest atque debet, hoc est, ut incrementum ea capiat fraterna caritas, quae sollicita sit novas reperiendi vias .ad opêrandum ; talis scilicet caritas, qua quis, praeteritorum temporum experientia edoctus, veniae dandae sit promptus, permoveatur ad cernendum in aliis bonum magis quam malum, ac nihil optatius habeat, quam ut Divini Redemptoris vestigia sequatur, atque possit ab eo attrahi et ipsius imaginem in se referre.

Huius caritatis signum et specimen esto pacis osculum, quod ex

[2] *Io.* I, 6.

Dei beneficio nobis licet in hac sanctissima Terra invicem dare; esto pariter precatio illa, quam a Christo Iesu didicimus, ac nos una simul mox reeitaturi sumus.

Nobis verba desunt ad apte significandum, quam penitus tua agendi ratio Nos tetigerit, neque Nos solummodo ; etenim Romana quoque Ecclesia et Concilium Oecumenicum non sine vehementi gaudio hoc magni sane momenti eventum accipient.

Ad Nos quod attinet, una cum gratiarum actione preces Omnipotenti Deo admovemus, opem implorantes, ut coeptum iter pergere valeamus, *&c* dilargiatur tibi Nobisque, qui cum fide et spe firma illud inivimus, •caelestium gratiarum copiam ad optatam metam feliciter assequendam.

Hisce animi sensibus affecti, non tibi valedicimus, sed vota proferre cupimus te revisendi, si tibi placuerit, spe delectati eiusmodi colloquia etiam in posterum fructuose iterari posse in nomine Domini.

Postero die, vi Ianuarii, in festo Epiphaniae Domini, Summus Pontifex susceptam piam peregrinationem prosequens et complens, ad urbem Bethlehem mane se contulit sacrisque operatus est in sacro Nativitatis specu, cum rosam etiam ex auro conflatam, in Iesu Infantis honorem eo loci adservaiidam, detulisset.

Post Eucharisticum sacrificium peractum, hunc nuntium, christianis ceterisque hominibus missum, legit :

Nous voudrions Nous adresser simplement :
d'abord au Christ,
puis à l'Eglise,
enfin au monde.

1. Au Christ, en cette fête de l'Epiphanie — qui revêt le double -aspect de la manifestation de Dieu et de l'appel des peuples à la foi — Nous présentons d'un cœur humble et modeste, mais sincère et joyeux, l'offrande de notre foi, de notre espérance et de notre amour.

Solennellement, Nous lui adressons à notre tour la profession de foi •de Pierre : « Tu es le Christ, le Fils du Dieu Vivant x».[1]

Nous lui disons encore, comme Pierre : ((Seigneur, à qui irions-nous? Toi seul possèdes les paroles de la Vie Eternelle ».[2]

Nous faisons encore Nôtre le cri de regret et l'aveu sincère de Pierre : <(Seigneur, Tu sais tout ; Tu sais que Nous t'aimons ».[3]

[1] ***Matth.* 16,16.**
[2] ***Io.* 6, 60.**
[3] ***Io.* 21, 17.**

A ses pieds, comme jadis les Mages, Nous déposons ici les dons symboliques, reconnaissant le premier né de l'humanité, en Lui le Verbe de Dieu fait chair et l'homme, fils de la très Sainte Vierge Marie, notre Mère, Nous le saluons comme le Messie, le Christ, le Médiateur unique et irremplaçable entre Dieu et les hommes ; le Prêtre, le Maître, le Eoi, Celui qui était, qui est et qui vient.

C'est cette même confession que proclame aujourd'hui l'Eglise de Rome ; cette Eglise qui fut celle de Pierre et que Vous avez Vous-même fondée, Seigneur, sur cette même pierre, et qui est, de ce fait, votre Eglise. Et voilà pourquoi aujourd'hui encore votre Eglise se prolonge à travers la succession apostolique ininterrompue depuis les origines; cette Eglise, Vous la suivez et la défendez, Vous la purifiez et la fortifiez; Vous êtes sa Vie, ô Christ de l'Eglise de Rome!

Cette profession, Seigneur, est celle de toute Votre Eglise, que Vous voulez et rendez une, sainte, catholique et apostolique. Tous les pasteurs et les prêtres, tous les religieux et les fidèles, tous les catéchumènes de votre Eglise universelle vous présentent avec Nous, cette même profession de foi, d'espérance et d'amour.

Tous, nous accueillons Votre humilité et confessons Votre grandeur ; tous, nous écoutons Votre Parole et attendons Votre retour à la fin des temps. Nous Vous remercions tous, Seigneur, de nous avoir sauvés, élevés à la dignité de fils de Dieu, d'avoir fait de nous Vos frères et de nous avoir comblés des dons de l'Esprit-Saint.

Tous, Nous vous promettons de vivre en chrétiens, dans un effort de docilité continuelle à Votre grâce et de renouveau dans les mœurs. Nous nous efforcerons tous de répandre dans de monde Votre message de salut et d'amour.

2. Devant cette crèche, Seigneur, Nous voulons ensuite adresser Notre parole à l'Eglise, à la tête de laquelle Vous avez voulu choisir Notre pauvre personne comme pasteur universel.

Cette parole, la voici, simplement : que l'Eglise du Christ veuille être aujourd'hui avec Nous et s'associer à l'offrande qu'en son nom aussi Nous présentons au Seigneur. En cette communion réside son efficience, sa dignité et son harmonie avec ces notes qui authentifient la véritable Eglise. Nous vivons l'heure historique où l'Eglise du Christ doit vivre son unité profonde et visible. C'est l'heure pour nous de répondre au vœu de Jésus-Christ : « Qu'ils soient parfaitement un et que le monde

reconnaisse que Toi, Père, Tn m'as envoyé ».[4] A Pnnité interne de l'Eglise correspond à Pextérieur, sa force apologétique et missionnaire.

Nous devons achever notre Concile Œcuménique; nous devons assurer à la vie de l'Eglise une nouvelle façon de sentir, de vouloir et de se comporter; lui faire retrouver une beauté spirituelle sous tous les aspects : dans le domaine de la pensée et de la parole, dans la prière et les méthodes d'éducation, dans l'art et la législation canonique.

Il faudra un effort unanime auquel tous les groupements devront apporter leur collaboration. Que chacun entende l'appel que lui adresse le Christ par Notre voix.

Ceci, Nous le disons aux catholiques qui appartiennent déjà au bercail du Christ. Mais Nous ne pouvons pas ne pas adresser la même invitation aux Frères chrétiens qui ne sont pas en communion parfaite avec nous. Il apparaît désormais clairement à tous qu'on ne peut éluder le problème de l'unité; aujourd'hui cette Volonté du Christ s'impose à nos esprits et nous impose d'entreprendre avec sagesse et amour tout ce qui est possible pour permettre à tous les chrétiens de jouir du grand bienfait et du suprême honneur de l'unité de l'Eglise.

Même dans les circonstances toutes particulières où nous nous trouvons aujourd'hui, Nous devons* dire qu'un tel résultat ne peut être obtenu au détriment des vérités de la foi. Nous ne pouvons pas être infidèle à ce patrimoine du Christ ; il n'est pas le nôtre mais le sien ; nous n'en sommes que les dépositaires et les interprètes. Mais, répétons-le encore, Nous sommes disposé à prendre en considération tout moyen raisonnable capable d'aplanir les voies du dialogue, dans le respect et la charité, en vue d'une rencontre à venir, — et Dieu veuille qu'elle soit proche — avec les frères chrétiens encore séparés de nous. La porte du bercail est ouverte. L'attente de tous est loyale et cordiale. Le désir est fort et patient. La place disponible est large et commode. Le pas à franchir est attendu avec toute Notre affection et peut être accompli avec honneur et dans la joie mutuelle. Nous Nous abstiendrons de solliciter des démarches qui ne seraient pas libres et pleinement convaincues, c'est-à-dire mues par l'Esprit du Seigneur, qui soufflera où et quand II le voudra. Nous attendrons cette heure bienheureuse. Nous ne demandons pour le moment à Nos très chers Frères séparés que ce que Nous Nous proposons à nous--même : que l'amour du Christ et de l'Eglise inspire toute démarche éventuelle de rapprochement et de rencontre. Nous fe-

[4] ***Io.* 17, 23.**

rons en sorte que le désir d'entente et d'union demeure vif et inaltéré ; Nous mettrons Notre confiance dans la prière. Même si elle n'est pas -encore commune, celle-ci peut être au moins simultanée et monter parallèlement de nos cœurs, comme de ceux des chrétiens séparés, pour se rejoindre aux pieds du Très-Haut, le Dieu de l'Unité.

En attendant, Nous saluons avec beaucoup de respect et d'affection les illustres et vénérés Chefs des Eglises distinctes de la Nôtre, réunis ici ; Nous les remercions cordialement pour leur participation à Notre pèlerinage, Nous rendons hommage à la part qu'ils possèdent de l'authentique trésor de la tradition chrétienne et leur exprimons Notre désir d'une entente dans la foi, dans la charité et dans la discipline de l'unique Eglise du Christ. Nous envoyons Nos vœux de paix et de prospérité à tous les pasteurs, prêtres, religieux et fidèles de ces mêmes Eglises; sur tous Nous invoquons la lumière et la grâce du Saint Esprit.

Nous sommes maintenant profondément heureux que la rencontre, que Nous avons eue ici, pendant ces jours bénis, avec le Patriarche œcuménique de Constantinople se soit réalisée de la façon la plus aimable et se soit révélée pleine des meilleurs espérances : Nous en remercions le Seigneur de tout Notre cœur et Nous le prions que Lui-même *qui coepit in nobis opus bonum ipse perficiat* : Le Seigneur qui a commencé en Nous cette œuvre bonne de la paix et de l'union veuille la conduire à bonne fin.[5]

3. Nous voulons enfin de ce lieu béni et en cette heure toute particulière adresser quelques mots au monde. Par ((monde » Nous entendons désigner tous ceux qui regardent le christianisme comme du dehors, qu'ils soient ou qu'ils se sentent à son .égard comme des étrangers.

Nous voudrions avant tout nous présenter, une fois encore, à ce monde au milieu duquel nous nous trouvons. Nous sommes les représentants et les promoteurs de la religion chrétienne. Nous avons la certitude de promouvoir une cause qui vient de Dieu; nous sommes les disciples, les apôtres, les missionnaires de Jésus, Fils de Dieu et Fils de Marie, le Messie, le Christ. Nous sommes les continuateurs de sa Mission, les hérauts de son message, les ministres de sa religion, que nous savons posséder toutes les garanties divines de la vérité. Nous n'avons pas d'autre intérêt que celui d'annoncer notre foi. Nous ne demandons rien, sinon la liberté de professer et de proposer à qui veut bien, en toute

[5] Cfr. *PMI.* 1, 6.

liberté, l'accueillir, cette religion, ce lien nouveau instauré entre les hommes de Dieu par Jésus-Christ, notre Seigneur.

Nous voulons ensuite ajouter un autre point que Nous prions le monde de bien vouloir considérer loyalement. Il s'agit du but immédiat de notre mission, et qui est le suivant : Nous désirons travailler pour le bien du monde, pour son intérêt, pour son salut. Et Nous estimons même que le salut que Nous lui offrons lui est nécessaire.

Cette affirmation en implique beaucoup d'autres. Ainsi : Nous regardons le monde avec une immense sympathie. Si le monde se sent étranger au christianisme, le christianisme ne se sent pas étranger au monde, quel que soit l'aspect sous lequel ce dernier se présente et quelle •que soit l'attitude qu'il adopte à son égard. Que le monde le sache donc : les représentants et les promoteurs de la religion chrétienne ont de l'estime à son égard et ils l'aiment d'un amour supérieur et inépuisable : l'amour que la foi chrétienne met au cœur de l'Eglise; celle-ci ne fait pas autre chose que de servir d'intermédiaire à l'amour immense -et merveilleux de Dieu à l'égard des hommes.

Cela veut dire que la mission du christianisme est une mission d'amitié parmi les peuples de la terre, une mission de compréhension, d'encouragement, de promotion, d'élévation; et, disons-le encore une fois, une mission de salut. Nous savons que l'homme moderne met sa fierté à faire les choses par lui-même; il invente du nouveau et réalise des choses étonnantes. Mais toutes ces réalisations ne le rendent ni meilleur, ni plus heureux ; elles n'apportent pas aux problèmes de l'homme une solution radicale, définitive et universelle. L'homme, Nous le savons encore, lutte contre lui-même ; il connaît des doutes atroces. Nous «avons que son âme est envahie de ténèbres et assiégée de souffrances. Nous avons à lui dire un message que Nous croyons libérateur. Et Nous Nous croyons d'autant plus autorisé à le proposer qu'il est pleinement humain. C'est le message de l'Homme à l'homme.

Le Christ que Nous apportons à l'humanité est « le Fils de l'homme », comme il s'est appelé Lui-même. Il est le Premier-né, le Prototype de la nouvelle humanité ; il est le Frère, il est le Compagnon, il est l'Ami par excellence. De Lui seul on a pu dire en toute vérité qu'« il connaissait ce qu'il y avait dans l'homme ».[6] Il est l'envoyé de Dieu, mais ce n'est pas pour condamner le monde, c'est pour le sauver.[7]

Il est le bon Pasteur de l'humanité. Il n'est pas de valeur humaine

[6] *Io.* 2, 25.
[7] Cfr. *Io.* 3, 17.

qu'il n'ait respectée, rehaussée et rachetée. Il n'est pas de souffrance humaine qu'il n'ait comprise, partagée et valorisée. Il n'est pas de besoin humain, — exception faite de toute imperfection morale — qu'il n'ait assumé et éprouvé en Lui-même et proposé à l'ingéniosité et au cœur des autres hommes comme objet de leur sollicitude et de leur amour, et pour ainsi dire, comme condition de leur propre salut. Même pour le mal qu'en qualité de médecin de l'humanité II a connu et dénoncé avec la plus énergique vigueur, Il a eu une infinie miséricorde^ jusqu'à faire surgir, par le moyen de la grâce, dans le cœur de l'homme, de surprenantes sources de rédemption et de vie.

Eh bien! qu'on sache de par le monde comment le Christ, qui vit encore aujourd'hui dans son Eglise, se manifeste au monde à partir de ce lieu, de ce berceau qui marqua son apparition sur la terre.

Que le monde qui Nous entoure daigne donc recevoir aujourd'hui,, au nom de Jésus-Christ, Notre salut plein de respect et d'affection.

Ce salut déférent, Nous l'adressons d'une manière particulière à quiconque professe le monothéisme et avec nous rend un culte religieux à l'unique et vrai Dieu, le Dieu vivant et suprême, le Dieu d'Abraham,, le Très-Haut, celui que justement sur ce sol — en un jour lointain que rappellent la Bible et le Missel — un personnage mystérieux, dont l'Ecriture ne nous a transmis ni la généologie ni la fin, et dont le sacerdoce royal a servi à qualifier celui du Christ lui-même, Melchisédech, célébra comme «le Dieu Très-Haut, créateur du ciel et de la terre».* Nous chrétiens, instruits par la révélation, nous savons que Dieu subsiste en trois Personnes, Père, Fils et Saint-Esprit, mais toujours nous célébrons la nature divine comme étant unique, nous proclamons unique le Dieu vivant et vrai. Qu'à ces peuples adorateurs d'un Dieu unique aillent aussi Nos vœux de paix dans la justice.

Notre salut s'adresse pareillement à tous les peuples auxquels nos Missionnaires catholiques apportent, en même temps que l'Evangile, une invitation à partager son universalisme et un ferment capable de faire monter la civilisation.

Mais Notre salut aujourd'hui ne peut connaître de limites : il surmonte toutes les barrières et veut atteindre tous les hommes de bonne volonté, y compris les hommes qui pour le moment ne témoignent aucune bienveillance pour la religion du Christ, qui s'efforcent d'en empêcher la diffusion et d'en combattre les fidèles. Même aux persécuteurs-

[8] **Cfr. *Gen.* 14, 19.**

du catholicisme et aux négateurs de Dieu et du Christ, Nous envoyons Notre souvenir triste et douloureux et sereinement Nous leur demandons : Pourquoi, pourquoi?

Au moment de quitter Bethléem, ce lieu de pureté et de calme où naquit, voici vingt siècles, Celui que Nous prions comme le Prince de la paix, Nous sentons l'impérieux devoir de renouveler aux Chefs d'Etat et à tous ceux qui portent la responsabilité des peuples Notre appel pressant en faveur de la paix du monde. Que les Gouvernants entendent ce cri de Notre cœur et qu'ils poursuivent généreusement leurs efforts pour assurer à l'humanité la paix à laquelle elle aspire si ardemment. Qu'ils puisent auprès du Tout-Puissant et au plus intime de leur conscience d'homme une intelligence plus claire, une volonté plus ardente et un esprit renouvelé de concorde et de générosité, afin d'éviter à tout prix au monde les angoisses et les offres d'une nouvelle guerre mondiale, dont les conséquences seraient incalculables. Qu'ils collaborent encore plus efficacement à instaurer la paix dans la vérité, dans la justice, dans la liberté et dans l'amour fraternel. Tel est le vœu que Nous n'avons cessé de présenter à Dieu dans une prière instante tout au cours de ce pèlerinage. Toutes les initiatives loyales, qui tendent à la réaliser, trouveront Notre appui et Nous les bénissons de grand cœur.

C'est le cœur plein de ces pensées et de ces prières que de Bethléem, patrie terrestre du Christ, Nous invoquerons pour l'humanité tout entière l'abondance des faveurs divines.

Ierusalem regressus, pertransiens Montem Oliveti, post meridiem Summus Pontifex eodem quo venerat aërovehiculo Romam rediit, prius comiter salutatus ab Hussein, Rege Jordaniae, cui haec verba fecit :

Solem Aleikum!

The time has come for Us to take leave of this blessed land after Our unforgettable pilgrimage. We cannot départ without expressing anew and publicly Our profound gratitude to Your Majesty and to the civil authorities who have done so much to facilitate Our travels and make them fruitful.

Forever in Our heart We shall bear the consoling memories of this humble visit to the Holy Places, and of the warm welcome extended to Us by the inhabitants of this sacred land. May God re ward them, may He wipe away their tears, and grant them peace, prosperity and true happiness.

In the words which the Apost] e Paul used to the Christians of Ephesus, in bidding them farewell, We also « commend you to God and to the word of his grace, who is able to build up, and to give the inheritance among ali the sanctified ».[1] And, as he wrote to the same Ephesians, We exhort you : « Let all bitterness, and wrath, and indignation, and clamor, and reviling, be removed from you, along with ail malice. On the contrary, be kind to one another, and merciful, forgiving one another, as God in Christ has generoulsy forgiven you ».[2]

And, repeating the apostolic salutation. « Peace be to this land, and to all those who dwell herein », We cali down upon you ali the richest grâces from on high, imparting to you and your loved ones and to ali the beloved people of Jordan Our particular fatherly Apostolic Blessing. *Khatar Eum!*

Beatissimus Pater terram attigit pervesperi in aëronavium portu v. d. « di Oiampino », quamplurimis Eum exspectantibus clarissimis Viris ex ecclesiastico et laicorum ordine, necnon Excmo Viro Antonio Segni, Reipublicae Italicae Praeside, qui regredientem Pontificem nobilissimis verbis salutavit. Augustus Pontifex vero Sui moti animi sensus ita aperiebat:

Ritorniamo col cuore pieno di intense emozioni, portando scolpite nella memoria, e per sempre, le immagini radiose e commoventi dei Luoghi Santi, che parlano con spoglia eloquenza della vita di Gesù Cristo, delle sue sofferenze, del suo amore.

Abbiam voluto che il Nostro viaggio in Palestina assumesse il significato di un incontro particolare, fervoroso, ardente con Cristo, un proclamare alto davanti al mondo la sublime realtà e universalità della Redenzione, che il Salvatore Divino continua a operare per mezzo della sua Chiesa : e, posando ora nuovamente il piede sul suolo d'Italia, ove approdò un giorno Pietro, con la sua nobile e rigeneratrice missione, possiamo dire di aver tenuto fede al Nostro impegno.

La Liturgia dell'odierna festa di Epifania parlava di un gran splendore, che da Gerusalemme si effonde sul mondo, e ne vince le tenebre : « Sorgi, **vestiti** di luce, perché è giunta la luce tua, e la maestà del Signore sopra di te si è levata ; perché, vedi, la tenebra copre la terra, e l'oscurità i popoli, ma sopra di te sorge il Signore, e la sua maestà sopra di te si fa vedere. Alla tua luce cammineranno i popoli, e i re al

[1] *Act.* 20, 32.
[2] *Eph.* 4, 31-32.

bagliore del tuo levare».[1] In questa luce divina abbiamo compiuto il Nostro viaggio di preghiera e di penitenza; e abbiamo pregato che piir: alta risplenda sul mondo, le cui ansie e incertezze, i cui paurosi sconvolgimenti nascono dall'aver voluto respingere e soffocare questa luce^ Soltanto in Gesù benedetto, Noi ripetiamo, è la salvezza ; nel suo messaggio di verità, di bontà, di amore è la risposta a tutte le incognite che si affacciano; nella sua volontà, liberamente accettata, è la pace del mondo.

Questo abbiamo invocato, prostrati sulla nuda pietra del Sepolcro, sul Calvario e al Getsemani, nel Cenacolo e a Nazareth. E sulla Gròtta della Natività di Betlem abbiamo chiesto per tutti gli uomini di buona volontà il dono della pace, vera e duratura. Il Signore adempia i Nostri voti, e faccia fiorire il percorso del suo umile Vicario con i frutti della santità, della giustizia, della verità : *ad dandam scientiam salutis plebi eius ...ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.*[2]

Ora il Nostro pensiero si rivolge con memore benevolenza alle Autorità di quei luoghi, che hanno reso così agevole e spedito il Nostro viaggio, facendo ogni sforzo per rendere più gradito il Nostro breve soggiorno in Terra Santa; alle fiorenti Comunità Cattoliche, che abbiamo colà incontrato e incoraggiato, appartenenti ai Patriarcati Latino, Melchita, Maronita e Armeno ; ai figli di San Francesco, tanto benemeriti per la secolare presenza nella terra di Gesù; e a tutti i nostri fratelli in Cristo, particolarmente diletti e cari, la cui presenza nei Luoghi Santi rende a Noi più pungente il desiderio dell'auspicata unione.

Ringraziamo altresì per la sua tanto gradita presenza l'Ecc.mo Signor Presidente della Repubblica Italiana, e, con Lui, tutte le Autorità, che, come han voluto porgerci il loro saluto alla Nostra partenza, Ci fanno sentire ora più intensa la gioia del ritorno, portandoci l'affetto dei diletti figli d'Italia e di Roma. Ci è anche caro esprimere vivo compiacimento ai dirigenti, ai piloti, al personale della Società Aerea, che tanto ha fatto per la perfetta riuscita della Nostra trasvolata.

In pegno del Nostro animo commosso, in questo momento abbracciamo con paterna benevolenza tutti i popoli incontrati, e quelli che Ci hanno seguito col pensiero e con la preghiera, mentre, propiziatrice di ogni desiderata grazia celeste, di cuore effondiamo ancora una volta su l'umana famiglia l'Apostolica Benedizione.

[1] ***Is.* 60, 1-3.**
[2] ***Lue.* 1, 77.**

Inde Summus Pontifex, ad Aedes Vaticanas pergens, autorhaeda mediam pertransiit Urbem, toto itinere innumera multitudine civium laetissime plaudente inter sacri aeris concentus, Eomanaeque Civitatis Magistro cum Administratorum Coetu obsequium « Peregrino Apostolico » ad Colosseum ipraebente.

Palatium Apostolicum tandem ingressus, Beatissimus Pater christifideles in Petriano foro adstantes ita breviter est allocutus :

Grazie, grazie, figliuoli, di questa accoglienza che costituisce già di per sè un avvenimento memorabile e incomparabile.

Io vorrei che arrivasse a tutta la cittadinanza di Roma, alle autorità e a quanti hanno fatto servizio di ordine in questo immenso corteo, il mio particolare ringraziamento. Mio vivo desiderio sarebbe stato di non incomodare alcuno e di compiere il ritorno in maniera semplice e tranquilla. La vostra intelligenza e la vostra bontà invece hanno preparato la straordinaria manifestazione di cui tutti siamo stati spettatori.

Vi porto il saluto da Beuern, dove questa mattina ho celebrato la S. Messa; vi porto la pace del Signore, vi porto quel che voi già avete nel cuore e dimostrate di aver ben capito ; la realtà, cioè, che fra Cristo, Pietro e Roma corre un filo diretto. Questo filo ha vibrato di tutte le sante emozioni e adesso si fa trasmettitore di tutte le mie benedizioni.

Voi avete compreso che il mio viaggio non è stato soltanto un fatto singolare e spirituale : è diventato un avvenimento, che può avere una grande importanza storica. È un anello che si collega ad una tradizione secolare; è forse un inizio di nuovi eventi che possono essere grandi e benefici per la Chiesa e per l'umanità.

Vi dirò soltanto questo, stasera, che ho avuto la grande fortuna stamane di abbracciare, dopo secoli e secoli, il Patriarca Ecumenico di Costantinopoli, e di scambiare con lui parole di pace, di fraternità, di desiderio della unione, della concordia e dell'onore a Cristo e di vantaggioso servizio per l'intera famiglia umana. Speriamo che questi inizi diano buon frutto; il seme germogli e giunga a maturità.

Intanto preghiamo tutti : giacché queste ore e questi avvenimenti sono certamente grandi e segnati dalla benevolenza di Dio.

Ricevete adesso la mia benedizione : nel nome del Padre, del Figliuolo- <e dello Spirito Santo.

ADHORTATIO APOSTOLICA

Ad universos Episcopos pacem et communionem cum Apostolica Sede habentes: quae proxime habebitur Supplicatio ad christianorum unitatem impetrandam peculiari modo commendatur.

PAULUS PP. VI

VENERABILES FRATRES

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

E PEREGRINATIONE reversi, qua precationis et paenitentiae studio ducti loca sumus venerati, quae Christus redemptionis suae mysteriis consecravit, facere non possumus, quin laetabundo animo ad cunctos Fratres in Episcopatu Nos convertamus/Iis enim, quemadmodum par erat, hunc eventum, historia dignum, cum altera Concilii Oecumenici Vaticani II Sessio haberetur, primum nuntiavimus ; iidemque revera gravissimum eius rei momentum penitus perceperunt et statim excelsa et fausta prospexerunt, quae exinde in Ecclesiam humanamque societatem possent manare.

Probe novimus, Venerabiles Fratres, praesertim vestra pia alacritate, vestro amore erga Ecclesiam, vestra egregia sollicitudine pastorali factum esse, ut fideles sponte et conglobatim iter Nostrum precationis et paenitentiae causa susceptum sint prosecuti, ut dilectionis affectu, ubicumque consisteremus, Nos circumfuderint, ut denique apostolicis propositis Nostris se plane adiunxerint.

Quemadmodum igitur verbis exprimere nequimus religiosos sensus, quibus animus Noster est perculsus, cum limen Civitatis Sanctae intravimus, cum in rupe Sepulchri Christi, in monte Calvariae, in Gethsemani, in Cenáculo, in urbe Nazareth, in Bethleemitico specu Nos prostravimus, ita nullo modo memoriam umquam poterimus deponere, earum rerum, quae circa Nos vidimus et audivimus diebus illis praeclarissimis.

Animo enim commoto recordamur hominum multitudines Nos incitato studio salutavisse, quas quidem ubique, maximo cum gaudio et admiratione Nostra, invenimus Nobis obsequentes atque plaudentes. Meminimus quoque diligentiam, cum humanitate et reverentia coniunctam, Auctoritatum, quae locis illis praesunt quaeque nulli pepercerunt labori, ut brevis commoratio Nostra in Terra, Iesu Christi incolatu sacra, expedita foret ac grata. Imprimis autem haerent in pectore congressiones, quibus Praepositos venerabilium Ecclesiarum Orientalium convenimus, a quibus lugendo discidio iamdiu seiungimus ac peculiari modo colloquia, quae cum Patriarcha Oecumenico Constantinopolitano fecimus, qui et ipse se peregrinatorem in Palaestinam contulerat. Osculum sacrum invicem dedimus, quo se complecti solent Christi discipuli, simul legimus orationem illam luculentam, qua Redemptor, antequam crucis tormenta subiret, a Patre unitatem discipulorum petiit, ut crederei mundus; simul precationem « Pater noster » recitavimus, qua Deum ut Parentem nostrum invocamus et offensionum veniam mutuo dare docemur: quae omnia Nobis libet habere quasi primitias perfectae unitatis in una Ecclesia Christi, licet eam consequi sit adhuc longinquum.

Nec umquam demum oblivisci poterimus obsequia festive, ardenter, mirifice Nobis redeuntibus praestita a civibus Romanis, qui memoranda ea occasione oblata humili Sancti Petri Successori significarunt, quam arctis et suavibus vinculis ipse dilectissimae Dioecesi suae iungere tur.

Omnibus qui studium et operam contulerunt, ut pia Nostra peregrinatio prospere succederet, gratum animum patefacimus Nostrum; vobis autem, Venerabiles Fratres, peculiares grates agere cupimus, quod estis annisi, ut fideles, curis vestris commissi, perciperent vim, momentum, proposita huiusce eventus memorabilis in vita Ecclesiae, quod attinet ad munus eius sanctificans in universa hominum familia.

Sed, quemadmodum patet, imprimis in Deum Omnipoten-

tem grata voluntas et mens beneficiorum memor cum humili sinceroque obsequio dirigantur oportet; ad Deum, dicimus, qui. per humanas vicissitudines Ecclesiam suam gubernat et ad aeternitatis fines perducit, quique Nobis dat, ut e communi peregrinationis Nostrae probatione nova animo praesagiamus- incepta eaque pacifica et eximia ad Regnum Dei stabiliendum ac provehendum. Non enim sine miserentissimi Domini nostri" providentia contigit, ut Petrus in humili Successoris sui persona post viginti saecula eo reverteretur, unde olim abiit, et ubi Ecclesia orta est primosque fecit progressus divino ipso Conditore- opem ferente et primo eius Vicario moderante. Itaque Ecclesiam Christo obtulimus in ipsa regione, quae eam olim exiguam vidit ut granum sinapis, nunc vero conspicit admodum auctam quasi arborem ingentem, cuius rami totum orbem terrarum obumbrant, semper florentem et fecundam, semper revirescentem virtute Sanctorum eius, quamvis persecutorum petatur assultibus, semper se novantem vigore suo interiore atque assiduo suorum Pastorum opere.

Haec omnia effecerunt, ut summo perfunderemur solacio. Atque adeo hac certa spe tenemur permultos illos et venustos- veluti flores pietatis religiosae, bonitatis, observantiae, amoris fraterni, quos secundum totum iter Nostrum vidimus exorientes, uberem fructuum spiritualium copiam esse allaturos. Nescimus sane, quandonam ex providentis Dei consilio fieri contingat, ut semina, quae sulcis coram Nobis apertis spe firma, commisimus, plenam maturitatem assequi possint. Nihilominus, quemadmodum pro certo habemus flagrantes generosiorum christifidelium supplicationes Deo admotas eorumque paenitentiae opera, saepe occulta, paravisse vias Domini, quas- Nobis elapsis diebus exsultanti animo tereré licuit, ita pariter non dubitamus, quin nostris humilibus, assiduis fiduciaeque- plenis precibus atque nostris paenitentiae operibus, quae christiana fide caritateque permoti Deo exhibebimus, difficultates- asperitatesque removeantur, quae adhuc terendum iter prae-

pediunt, atque adeo exoptata meta tuto et quam primum pertingi possit.

Hac de causa magnopere cupimus, Venerabiles Fratres, ut ad grates Deo persolvendas de felici peregrinationis Nostrae -exitu universi Ecclesiae filii Nobiscum coniungantur. Sicut enim christifideles omnes enixis suis precibus iter Nostrum parare ac prosequi studioso animo voluerunt, ita consentaneum omnino est, ut omnes pariter communem dent operam, ut salutares eiusdem peregrinationis fructus in tuto ponantur; eos fructus dicimus, quos locis Christi Domini passione et amore consecratis, Nosmetipsi tam instanter tantaque fiducia freti a Deo expostulavimus ad Ecclesiae prosperitatem et ad bonum universae hominum familiae.

Quam ad rem, id vos rogamus, Venerabiles Fratres, ut in singulis vestrarum Dioecesium paroeciis sacri ritus indicantur, quibus Omnipotenti Deo debitae grates agantur opportunaeque supplicationes adhibeantur. Peculiari autem modo commendare placet illam octo dierum Supplicationem pro christianorum unitate, quae proximis diebus initium capiet, quaeque eo spectat, ut quotannis homines ex variis christianis professionibus eodem religionis studio coniuncti communes Deo admoveant supplicationes, eam impetraturi unitatem, quam Christus Dominus omnibus suis asseclis praecepit.

Ad rem quod attinet, meminisse iuvat, die xxv Ianuarii, anno MCMLIX, scilicet eo ipso die, quo huiusmodi Supplicatio concludebatur, Decessorem Nostrum fel. rec. Ioannem XXIII primum dedisse nuntium Concilii Oecumenici Vaticani Secundi convocandi, proposito sibi fine renovandae Ecclesiae et christianorum omnium unitatis restaurandae; ac meminisse etiam placet, eundem Pontificem per suas primas Litteras Encyclicas « Ad Petri Cathedram » christianos omnes carissimos fratres appellavisse, eosque sine professionis christianae discrimine invitavisse ad unitatem a Deo precibus implorandam. Nos quoque, qui ad Summum Pontificatum evecti a Paulo Apostolo

nomen sumpsimus, hanc ipsam Supplicationem summo semper in honore habuimus in sacri ministerii perfunctione, quod variis temporibus Dominus Nobis commisit; ac semper laeto animo quotannis eiusdem Supplicationis finem celebravimus, quo die in Romana liturgia Sancti Pauli conversio commemoratur.

Probe novimus innumeros ex variis christianis professionibus homines nobilissimae huius unitatis causae se devovisse, ac nobiscum precando poenitendoque coniunctos, humiles atque enixas supplicationes Deo admovere, ut ipsius voluntas adimpleatur. Ne contingat, Venerabiles Fratres, ut catholicae Ecclesiae filii, idcirco quod plenitudinem veritatis ex gratuito Dei beneficio acceperint, de sanctissima hac unitatis causa promovenda minus se praebeant sollicitos. At contra necesse est ut aemulo religionis studio una cum fratribus ab Apostolica Sede separatis eiusmodi causam amplectantur; et quoniam ipsis hoc praestantissimum donum a Deo iam collatum est, ut ad eius Ecclesiam plene pertineant, iidem exinde incitamentum sumant ad hanc causam precibus et paenitentiae operibus generosiore animo agendam. Praeeuntibus igitur sacris Pastoribus, qui Concilii Oecumenici tempore palam significarunt, quantopere ¡sibi corde esset christianorum unitas, catholici universi hoc anno instantiores supplicationes Deo adhibeant, ut per gratiam Spiritus Sancti unitas christianorum omnium ad effectum quam primum perducatur.

Quae ut efficacius eveniant, parochis catholicae Ecclesiae universis, qui sacros ritus a Nobis commendatos peregerint, potestatem facimus Benedictionem Papalem semel, quo voluerint die, nomine Nostro adstantibus christifidelibus impertiendi, una cum adnexa Indulgentia Plenaria, quam omnes lucrari poterunt, qui ad Paenitentiae et Eucharistiae sacramenta accesserint et ad mentem Romani Pontificis oraverint.

Certa spe freti, fore ut christifideles vigilantiae vestrae commissi adhortationibus hisce Nostris ultro libenterque respondeant, vobis, Venerabiles Fratres, vestrisque dilectis gregibus,

quos presentissimo Beatae Mariae Virginis patrocinio enixe commendamus, Apostolicam Benedictionem effusa caritate impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die xv mensis Ianuarii, anno MCMLXIV, Pontificatus Nostri primo.

PAULUS PP. VI

LITTERAE APOSTOLICAE

Rosa aurea tribuitur in honorem Iesu Infantis, cuius simulacrum in specu» Bethleemitici sacra aede excolitur.

PAULUS PP. VI

Ad futuram rei memoriam. — Piae peregrinationis causa et quidem tempore sacro, quo natus Iesus Christus celebratur, in regionem eius incolatu memorabilem et venerandam profecturis, obversatur Nobis ante mentis oculos illud « parvum terrae foramen ubi maiestas divina, humanae naturae humilitate assumpta, ad salvandos omnes miserentissime venit; ubi intemerata Virgo et Mater Maria Filium suum, principium et dominum rerum, in pecudum praesepio positum cum Beato Ioseph ardentissime adoravit ; ubi « natum Salvatorem cum exercitu angelorum concinentes caelesti gaudio salutaverunt illustrata nocte pastores)) ;[2] Bethléem dicimus, « augustissimum orbis locum)),[3] quo» Magi ex oriente stella duce advenerunt, ut Redemptori debitos adhiberent honores. Cum iis omnibus mentis cogitatione et amoris affectu coniuncti, statuimus munus eo deferre, quo commoti animi Nostri sensus significemus, et exigui spatii illius immensam dignitatem agnoscamus, scilicet Divino Parvulo, in Bethleemitico specu humilibus ornato-obsequiis, auream rosam praebere. Itaque, motu proprio, honori Iesu Infantis, cuius simulacrum in eiusdem cryptae sacra aede, ubi a Virgine Maria in praesepio traditur positus esse, excolitur, *rosam ex auro conflato-m,* a Sodalibus Ordinis Fratrum Minorum, eius loci custodimus..

[1] **Cfr. S. Hieron., *Epist.* 46; *P.L.* 22, 490.**
[2] **Cfr. S. Paulin. Noi., *Epist.* 31; *P.L.* 61, 327.**
*** S. Hieron., *Epist.* 58; *P.L. 22,* 581.**

asservandam, harum Litterarum vi tribuimus et donamus. Quae vero in sollemni benedictionis rosae huiusmodi caerimonia a Deo supplices postulavimus, ut nimirum prospera cuncta concederet, adversa destrueret, ea iterum impenso animi studio a misericordiarum Patre efflagitamus, ut sacram aedem illam visentibus omnibusque hominibus bonae voluntatis cumulate impertiat.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xxv mensis Decembris, in festo Nativitatis D. N. Iesu Christi, anno **MCMLXIII,** Pontificatus Nostri primo.

PAULUS PP. VI

EPISTULA

Ad E.mum P. D. Hamletum Ioannem titulo Ecclesiae suburbicariae Tusculanae S. R. E. Card. Cicognani, publicis Ecclesiae negotiis praepositum, quem Legatum deligit ad sollemnia Tarracone agenda ob undevicesimum revolutum saeculum a S. Pauli Apostoli in Hispaniam adventu.

PAULUS PP. VI

Venerabilis Frater Noster, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Perlatum Nobis est sub exitum mensis Ianuarii proximo anno Tarracone sacra celebratum iri sollemnia ad recolendum undevicesimum revolutum saeculum, postquam Sanctus Paulus Apostolus ad nuntiandum Evangelium in Hispaniam se contulit.

Sanctus Paulus, in Christo positus praedicator et apostolus, doctor gentium in fide et veritate,[1] quemadmodum optaverat et facere sibi statuerat,[2] praeco factus in Oriente et Occidente, ad Occidentis quoque terminos venit,[3] et, ad fidei lucem diffundendam, ab urbe Roma ad Hispaniam profectus est.[4] Quapropter iure merito is intemeratae victoriae titulos nactus, triumphalis vir, aeque Asianus, Phrygius, Macédoniens, Achaicus, Romanus, Hispanicus quoque appellari potest.

Litterarum documentis et fama proditum est, eum Tarracone quoque fuisse atque facile existimari potest Apostolum gentium non praeteriisse

[1] **Cfr. *1 Tim. 2,* 7.**
[2] **Cfr. *Rom.* 15, 24-28.**
[3] **Cfr. *Clementis, 1 Cor.* 5.**
[4] **Cfr. Fragm. Muratoriamim.**

urbem florentissimam et pernobilem, ubi quidem maritimis itineribus Ostia in Hispaniam assuetus erat e navibus escensus, et qua ad Christi regnum constabiliendum patere poterat ei ostium apertum et magnum et evidens.[5]

Ita excultus, fertilis ubere ager, florentes protulit messes, unde veri nominis gloria Tarraconensi urbi profecta est. Per saeculorum enim aetates vivido religionis sensu, integrae fidei firmitate, civili morum urbanitate spectabilis, propositi tenax, recti pervicax enituit civitas haec, cunctis urbibus eminens Hiberis,[6] genetrix piorum Tarraco,[7] rutilo decora cruore Martyrum Fructuosi episcopi et Augurii Eulogiique diaconorum.

Haec Nobiscum cum perpendissemus, ad augendum tantorum coetuum et celebritatum decorem, libenti animo indulgentes votis Dilecti Filii Nostri Cardinalis Beniamini de Arriba et Castro, Archiepiscopi Tarraconensis, decrevimus mittere de Sacro Purpuratorum Patrum Collegio, qui ibi Personam Nostram gereret. Et ideo te, Venerabilis Frater Noster, deligimus, renuntiamus, constituimus Legatum Nostrum, qui nomine Nostro Nostraque auctoritate praesis sollemni commemorationi S. Pauli Apostoli ad Tarraconensem oram adventus. Nec dubitamus, quin tu, ore et sermone suavis, doctrina clarus, in S. Paulum singulari amore flagrans, ita gesturus sis munus, ut Nostrae exspectationi cumulate respondeas, et inde, ob rem bene confectam, diu animo mansura dulcia haurias solacia.

Quae ut e sententia feliciter eveniant, tibi, Venerabilis Frater Noster, caelestia praesentissima deproperamus auxilia, et, horum pignus, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus. Hanc autem per te volumus, prolixae caritatis testem, pertinere ad supremos Hispaniae moderatores, ad sacrorum Antistites, ad universos civili vel militari potestate pollentes, ad sacerdotes, religiosos sodales, christifideles, qui statis celebritatibus intererunt, hoc Paulino effato precati : *Deus spei repleat vos omni gaudio et pace in credendo, ut abundetis in spe et virtute Spiritus Sancti*[8]

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die xxxi mensis Decembris, anno **MCMLXIII**, Pontificatus Nostri primo.

PAULUS PP. VI

[5] Cfr. *1 Cor.* 16, 9.
[6] *Prudentius, Hymn.* VI, 144.
[7] Id., *Eymn.* IV, 22-23.
[8] *Rom.* 15, 13.

ALLOCUTIONES

I

Ad Excellentissimum Virum Antonium Segni, Reipublicae Italicae Praesidem, in Aedibus Quirinalis collis habita. *

Signor Presidente della Repubblica Italiana,

Dirige a questa visita i Nostri passi innanzi tutto il senso della Nostra riconoscenza, stimolato dalla cortesia oltremodo amabile e sollecita, con cui Vostra Eccellenza ha voluto dapprima intervenire personalmente alla cerimonia della Nostra incoronazione al sommo Pontificato, e venire poi ufficialmente a porgerci, nella Nostra residenza Vaticana, l'espressione dei Suoi devoti e nobili sentimenti e di quelli del Popolo Italiano, dall'Eccellenza Vostra egregiamente rappresentato, in una udienza, di cui conserviamo il più grato ricordo ; né possiamo tacere i due recentissimi incontri, che Noi avemmo l'onore di avere con l'Eccellenza Vostra all'occasione della Nostra partenza per il pellegrinaggio in Terrà Santa all'aeroporto di Fiumicino, e del Nostro ritorno a quello di Ciampino. Una bontà, così preveniente e deferente, Ci obbliga a venire, a Nostra volta, nella Sua presidenziale dimora per ricambiarLe la manifestazione della Nostra gratitudine, della Nostra benevolènza e dei Nostri voti, manifestazione a Noi tanto più facile e gradita, quanto più sincera e cordiale è la stima che nutriamo per la Sua degnissima persona, e quanto più profonda e vivace è la Nostra affezione per la Nazione Italiana.

Lasci, Eccellenza, che in questa occasione Noi Le diciamo la Nostra compiacenza nel vedere la suprema magistratura dello Stato impersonata in uomo probo e retto, quanto saggio ed esperto, e guidata da una visione ampia e vigilante del mondo contemporaneo, e saggiamente comprensiva anche di quegli aspetti storici, morali e religiosi della nostra odierna società, che maggiormente interessano il Nostro ministero apostolico. E lasci perciò che alla meritata fiducia dei Suoi concittadini si aggiunga la Nostra, fondata sull'alta coscienza con cui Ella attende alle gravi funzioni della Sua sovrana missione, e confortata dalla certezza dell'assistenza divina, non mai lontana da chi pone a sostegno di somme responsabilità la giustizia e l'amore.

*** Die 11 Ianuarii mensis a. 1964.**

Com'Ella vede, Signor Presidente, i Nostri sentimenti si svolgono in nna linea semplicissima, come è proprio di sentimenti che partono dal cuore, e subito si fanno augurio, ed in Noi si accendono in preghiera. E ciò che diciamo per la Sua persona e per il Suo ufficio vogliamo dire per il Popolo Italiano, non senza avvertire il bisogno di ricordare, ancora una volta, la novità — rispetto alla storia pochi decenni trascorsi non bastano per considerarla altrimenti — la novità del titolo con cui Noi ad esso Ci rivolgiamo. Il titolo non è più quello d'una sovranità temporale, che qualificava sudditi gli Italiani degli Stati Pontifici e forestieri quelli delle altre regioni ; ma solo quello della Nostra potestà spirituale, che guardava ieri e tanto più guarda oggi all'Italia come ad un popolo costituente nella sua grande maggioranza, e, sotto certi aspetti, vorremmo dire nella sua totalità, una comunità cattolica.

Ci chiediamo perciò se ancora, da questa sede, tale titolo puramente spirituale Ci autorizza a interloquire con l'Italia, la Nostra diletta Italia ; e pare a Noi che non solo possiamo, ma dobbiamo dirLe, anche in una circostanza come questa, le cento cose che abbiamo per essa nel cuore : che vogliamo bene, un bene tutto spirituale, tutto pastorale, oltre che naturale, a questo magnifico e travagliato Paese; vogliamo dire che non dimentichiamo i secoli durante i quali il Papato ha vissuto la sua storia, difeso i suoi confini, custodito il suo patrimonio culturale e spirituale, educato a civiltà, a gentilezza, a virtù morale e sociale le sue generazioni, associato alla propria missione universale la sua coscienza romana ed i suoi figli migliori ; vogliamo assicurarlo che desideriamo per esso ogni moderna prosperità nell'ordine civile, nella giustizia sociale, e, come Vostra Eccellenza ha ben detto, nella pace internazionale ; vogliamo ricordargli che Noi sempre impegniamo quanti del nome cattolico si onorano, a dare al Paese stesso esempio di integri e forti costumi e concorso di leale collaborazione per ogni libero e onesto incremento. E ancora : diremo qui che abbiamo fiducia nel Popolo Italiano. È su questa fiducia che Noi consideriamo fondata principalmente la stabilità delle buone e vicendevolmente soddisfacenti relazioni fra la Santa Sede e l'Italia. Sì, fiducia che il Popolo Italiano voglia allacciare l'operante memoria delle sue secolari tradizioni al prodigioso e meraviglioso patrimonio del suo umanesimo cristiano; fiducia che esso abbia coscienza che la sua autentica forza è principalmente collocata nei valori morali custoditi tuttora nell'anima popolare; fiducia che alla missione di Pietro, alla quale la Provvidenza as-

segnò l'Urbe per sede, esso guarderà con cortesia e con fierezza filiale, .-sicuro di scoprire in questo semplice fatto una destinazione storica, una grandezza incomparabile, una esaltante responsabilità, una imperitura missione.

Questa Nostra fiducia, Signor Presidente, ha avuto pochi giorni fa, al Nostro ritorno dalla Terra Santa, auspice la Sua presenza, una prova commovente e magnifica, quando le acclamazioni del Popolo Romano, rivolte non già alla Nostra modesta persona, ma alla Nostra sempre straordinaria investitura di successore dell'Apostolo Pietro, anzi di Vicario di Cristo, svelarono a Noi, svelarono al mondo, quanto ancor oggi sia ferma, sia meravigliosa la fedeltà di Roma alla sua vocazione cattolica.

Per il Popolo Romano, per l'intero Popolo Italiano accolga pertanto, Signor Presidente, e con Lei accolgano tutte le Autorità Italiane, qui presenti e qui degnamente rappresentate, il Nostro ringraziamento, il Nostro saluto, il Nostro augurio, la Nostra benedizione.

II

In Aula Clementina habita ad Romanos Patricios Nobilesque, novo ineunte anno Beatissimo Patri felicia ac fausta ominatos. *

Illustri Signori e diletti figli,

Ecco un'Udienza piena per Noi di particolare significato e di grande interesse !

La qualità e il numero delle vostre persone, innanzi tutto Ci obbliga a particolare riguardo : a ciascuna di esse vorremmo rivolgere una speciale parola. A ciascuna delle Famiglie, che qui vediamo insieme riunite, alla gioventù specialmente, ai figli della nuova generazione, ai bambini carissimi porgiamo il Nostro cordiale e paterno saluto. Ci commuove il pensiero che questo è incontro augurale : vi ravvisiamo un fatto che continua una tradizione, che rievoca una storia, che dimostra un proposito di continuità e di fedeltà ; e ciò fa a voi tutti molto onore, e solleva in Noi tanti ricordi e tanti pensieri. I voti poi, che nelle parole alte e buone del vostro esimio interprete Ci sono ora presentati, sono

*** Die 14 Ianuarii mensis a. 1964.**

per Noi un'offerta preziosa, tanto per la squisitezza dei sentimenti ch'essi Ci esprimono, quanto per il valore delle promesse ch'essi contengono.

Dobbiamo perciò, a Nostra volta, esprimere la Nostra viva riconoscenza, e dobbiamo ricambiare alle singole vostre persone, ad ognuna delle nobili Case qui rappresentate, e a tutto il ceto del Patriziato e della Nobiltà romana, gli auguri Nostri, quelli che può concepire il Papa per voi, anzi il nuovo Papa, se è vero che le primizie sono più ricche di alte intenzioni e di cordiale fervore.

Vorremmo dirvi molte .cose. La vostra presenza suscita tante riflessioni. Così era anche per i Nostri venerati Predecessori, per Papa Pio XII di felice memoria specialmente, i quali in occasioni come questa ebbero a rivolgere a voi magistrali discorsi, che invitavano la vostra meditazione a considerare alla luce dei loro mirabili insegnamenti sia le condizioni vostre, sia quelle del tempo nostro. Vogliamo credere che l'eco di quelle parole, simile a vento che gonfia una vela, come non è spento in Noi che, estranei a questa caratteristica adunanza, ne raccoglievamo l'onda riflessa, vibri ancora nei vostri animi per riempirli di quegli austeri e magnanimi richiami, onde si alimenta la vocazione, prefissa dalla Provvidenza alla vostra vita, e si regge la funzione tuttora reclamata nei vostri riguardi dalla società contemporanea. Certamente voi ricordate, e tale ricordo francheggia i vostri spiriti e dispensa Noi dal farvene nuovo discorso. La voce del Principe Colonna, che abbiamo testé ascoltata, Ce ne dà confortante testimonianza. Di questo vi siamo gratissimi.

Cum ignoretur locus actualis commorationis domini Claudii Le Guen, in causa conventi, eumdem citamus ad comparendum, vel per se vel per procuratorem legitime constitutum, coram Tribunali Sacrae Romanae Rotae (Piazza della Cancelleria, 1 - Roma), pro hora meridiana diei 23 Aprilis 1964, ad concordandum dubium, vel ad infrascriptum dubium subscribendum :

An constet de matrimonii nullitate, in casu.

Ordinarii locorum, parochi aliique notitiam habentes commorationis praedicti domini Claudii Le Guen, curare debent ut ipse de hac edictali citatione rite moneatur. *

Petrus Mattioli, *Ponens*

Ex Cancellaria Tribunalis S. R. Rotae, die 9 Ianuarii a. 1964.

Marius F. Pompedda, *Notarius*

* Etant inconnu le lieu de la demeure actuelle de M. Claude Le Guen, défendeur en cette cause, nous le citons à comparaître, par propre personne ou par un procureur légitimement constitué, au siège du Tribunal de la S. Rote Romaine (Roma, Palazzo della Cancelleria) le 23 avril 1964, à 12 heures, pour concorder ou souscrire le doute ci-dessous rapporté:

Gonste-t-il de la nullité du mariage, dans le cas?

Les Ordinaires des lieux, les curés, les prêtres, les fidèles ayant connaissance du lieu de la résidence dudit Claude Le Guen, devront, dans la mesure du possible, l'avertir de la présente citation.

y

NEAPOLITANA

Nullitatis matrimonii (Calabria - Tomich)

Cum ignoretur locus actualis commorationis dominae Verae Tomich, in causa superius inscripta conventae, eamdem citamus ad comparendum, aut per se aut per procuratorem legitime constitutum, coram Sacra Romana Rota (Piazza della Cancelleria, 1 - Roma) in diem 14 Aprilis 1964, hora decima, pro concordatione vel subsignatione huius dubii :

An constet de nullitate matrimonii, in casu.

Ordinarii locorum, parochi, fideles quicumque notitiam habentes actualis commorationis praedictae dominae Verae Tomich, curare debent ut de hac edictali citatione ipsa rite moneatur. *

Iosephus Palazzini, *Ponens*

Ex Cancellaria Tribunalis S. R. Rotae, die 29 Ianuarii a. 1964.

Marius F, Pompedda, *Notarius*

* Etant inconnu le lieu de la demeure actuelle de M.me Vera Tomich, défenderesse en cette cause, nous la citons à comparaître, par propre personne ou par un procureur légitimement constitué, au siège du Tribunal de la S. Rote Romaine (Roma, Palazzo della Cancelleria) le 14 avril 1964, à 10 heures, pour concorder ou souscrire le doute ci-dessous rapporté:

Conste-t-il de la nullité du mariage, dans le cas?

Les Ordinaires des lieux, les curés, les prêtres, les fidèles ayant connaissance du lieu de la résidence de ladite Vera Tomich, devront, dans la mesure du possible, l'avertir de la présente citation.

VI

BONONIEN.

Nullitatis matrimonii (Viscusi - Clarizia)

Cum ignoretur locus actualis commorationis partis conventae, dominae Assumptae Clarizia, eamdem citamus ad comparendum, in diem 30 Aprilis 1964, hora duodecima cum dimidio, coram S. R. Rota (Piazza della Cancelleria, 1 - Roma), aut per se aut per procuratorem legitime constitutum, pro concordatione vel subsignatione dubii quod sequitur :

An constet de nullitate matrimonii, in casu.

Ordinarii locorum, parochi, fideles quicumque notitiam habentes actualis commorationis praedictae dominae Assumptae Clarizia, curare debent ut ipsa de hac edictali citatione rite moneatur. *

Petrus Mattioli, *Ponens*

Ex Cancellaria Tribunalis S. R. Rotae, die 30 Ianuarii a. 1964.

Marius F. Pompedda, *Notarius*

* Etant inconnu le lieu de la demeure actuelle de M.me Assunta Clarizia, défenderesse en cette cause, nous la citons à comparaître, par propre personne ou par un procureur légitimement constitué, au siège du Tribunal de la S. Rote Romaine (Roma, Palazzo della Cancelleria) le 30 avril 1964, à 12 heures 30, pour concorder ou souscrire le doute ci-dessous rapporté :

Gonste-t-il de la nullité du mariage, dans le cas?

Les Ordinaires des lieux, les curés, les prêtres, les fidèles ayant connaissance du lieu de la résidence de ladite Assunta Clarizia, devront, dans la mesure du possible, l'avertir de la présente citation.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Lunedì, **20** gennaio **1964,** il Santo Padre Paolo VI ha ricevuto in visita Ufficiale Sua Eccellenza l'On. Prof. Dott. **ALDO MORO**, Presidente del Consiglio dei Ministri d'Italia.

Venerdì, **24** gennaio **1964,** il Santo Padre Paolo VI ha ricevuto in solenne Udienza, per la presentazione delle Lettere Credenziali, Sua Eccellenza il Dott. **RENÉ BROULLLET**, Ambasciatore Straordinario e Plenipotenziario di Francia.

Mercoledì, **29** gennaio **1964,** il Santo Padre Paolo VI ha ricevuto in Visita Ufficiale Sua Eccellenza l'On. Prof, Dott. **LUDWIG ERHARD**, Cancelliere della Repubblica Federale di Germania.

Domenica, **23** febbraio **1964,** il Santo Padre Paolo VI ha ricevuto in Visita Ufficiale Sua Eccellenza l'On. Signor **THÉO LEFÈVRE**, Primo Ministro del Belgio.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Brevi Apostolici il Santo Padre Paolo VI, felicemente regnante, si è degnato di nominare:

11 luglio 1963. L'Emo e Revmo Signor Card. Ferretto Giuseppe, *Protettore delle « Suore dei Poveri di San Francesco »* (Aachen).

22 ottobre » L'Emo e Revmo Signor Card. Cicognani Amleto Giovanni, *Protettore delle « Suore dello Spirito Santo e di Maria Immacolata* » (San Antonio, Texas).

19 novembre 1963. L'Emo e Revmo Signor Card. Antoniutti Ildebrando, *Protettore delle « Piccole Suore dei Poveri di San Pietro Claver* » **(Manizales).**

3 dicèmbre » L'Emo e Revmo Signor Card. Antoniutti Ildebrando, *Protettore delle « Suore Francescane Missionarie di Maria Ausiliatrice* » **(Cartagena, Colombia).**

9 » » S. E. Revma Monsig. Righi Lambertini Egano, Arcivescovo tit. di Doclea, *Nunzio Apostolico nel Chile.*

24 » » L'Emo e Revmo Signor Card. Traglia Luigi, *Protettore delle « Figlie di Maria Immacolata* » **(Roma).**

31 » » S. E. Revma Monsig. Del Giudice Antonio, Arcivescovo tit. di Gerapoli di Siria, *Internuncio Aposto-^lieo in Corea.*

15 gennaio 1964. L'Emo e Revmo Signor Card. Albareda Anselmo M., *Protettore della Pia Società di San Gerolamo per la diffusione dei Santi Evangeli.*

Con Brevi Apostolici il Santo Padre Paolo VI, felicemente regnante, si è degnato di nominare:

Assistenti al Soglio Pontificio :

11 novembre 1963. S. E. Revma Monsig. Pascual Marroig Bartolomeo, Vescovo di Menorca.

22 » » S. E. Revma Monsig. Lojali Vincenzo, Vescovo di Amelia.

2 dicembre » S. E. Revma Monsig. Ciuchini Adolfo, Vescovo di Alghero.

16 » » S. E. Revma Monsig. Kurteff Cirillo, Vescovo tit. di Briula ed Esarca per i cattolici di rito Bizantino in Bulgaria.

2 gennaio 1964. S. E. Revma Monsig. Crayen Giorgio Lorenzo, Vescovo tit. di Sebastopoli in Armenia.

9 » » S. E. Revma Monsig. Marton Aaron, Vescovo di Alba Julia.

12 » » S. E. Revma Monsig. Attipetty Giuseppe, Arcivescovo di Verapoly.

» » » . S. E. Revma Monsig. Pothacamury Tommaso, Arcivescovo di Bangalore.

Protonotari Apostolici **ad instar participantium :**

5 agosto 1963. Monsig. Trabuco Silva Giuseppe (Säo Salvador da Bahia).

» » » Monsig. López Matta Annibale (Sào Salvador da Bahia).

» » » Monsig. de Andrade Lima Giuseppe (Sâo Salvador da Bahia)).

» » » Monsig. Trabuco Silva Giuseppe (Sao Salvador da Bahia).

30 settembre » Monsig. Gómez Brigard Luigi (Bogotá).

7 ottobre 1963. Monsig. Me Corristin Michele (Trenton).
29 » » Monsig. Kallfelz Giuseppe (Mainz).
11 novembre » Monsig. Föhr Ernesto (Freiburg im Breisgau).
9 dicembre » Monsig. Glennon Timoteo (Clonfert).

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Paolo VI, felicemente regnante, si è degnato di nominare :

28 dicembre 1963. S. E. Revma Monsig. Slipyj Giuseppe, Arcivescovo Maggiore di Leopoli degli Ucraini, *Memoro della Sacra Congregazione per la Chiesa Orientale.*
7 febbraio 1964.. L'Illmo e Revmo Monsig. Felici Angelo, *Sottosegretario della Sacra Congregazione degli Affari Ecclesiastici Straordinari.*
15 » » S. E. Revma Monsig. Samoré Antonio, Arcivescovo tit. di Tirnovo, *Consultore della Sacra Congregazione per la Chiesa Orientale.*
22 » » Il Revmo Padre Balie Carlo, dei Frati Minori, *Consultore della Sacra Congregazione dei Seminari e delle Università degli Studi.*
24 » » Il Revmo Don Castellino Giorgio, dei Salesiani, *Sottosegretario della Pontificia Commissione per gli Studi Bioliei.*

ONORIFICENZE

Con Brevi Apostolici il Santo Padre Paolo VI, felicemente regnante, si è degnato di conferire :

Il Collare dell'Ordine Piano :

25 gennaio 1964. A S. E. il Prof. Erhard Ludwig, Cancelliere della Repubblica Federale Tedesca.

La Gran Croce dell'Ordine Piano :

29 ottobre 1963. A S. E. Muñoz Grandes Agostino, Capitano Generale e Vice-Presidente del Governo Spagnolo.
17 gennaio 1964. A S. E. l'On. Moro Aldo, Presidente del Consiglio dei Ministri del Governo Italiano.
» » » A S. E. l'On. Saragat Giuseppe, Ministro degli Affari Esteri del Governo Italiano.

La Gran Croce dell'Ordine di san Gregorio Magno, classe civile:

22 novembre 1963. All'On. Marazza Achille (Milano).

La Oran Croce dell'Ordine dì san Silvestro Papa:

14 ottobre 1963. Al sig. Goycolea Manuel (Santiago de Chile).
29 » » Al sig. Cova Fedele (Roma).
6 dicembre » Al sig. Parisi Francesco Saverio (Roma).
17 gennaio 1964. A S. E. l'On. Salizzoni Angelo, Sottosegretario di Stato alla Presidenza del Consiglio dei Ministri d'Italia.
» » » A S. E. il sig. Manzari Giuseppe, Capo di Gabinetto della Presidenza del Consiglio dei Ministri d'Italia.
» » » Al Dr. Pompei Gianfranco, Consigliere Diplomatico della Presidenza del Consiglio dei Ministri d'Italia.
25 » » A S. E. il Dott. Westrick Ludger, Segretario di Stato della Cancelleria della Germania Federale Tedesca.
» » » A S. E. il sig. Lahr Rolf, Segretario di Stato al Ministero degli Affari Esteri della Repubblica Federale Tedesca.

NECROLOGIO

2 febbraio 1964. Monsig. Mazé Jean M., Vescovo tit. di Sauatra.
11 » » Monsig. Brizi Domenico, Vescovo di Osimo e Cingoli.
15 » » Monsig. Auvity François, Vescovo tit. di Dionisiana.
24 » » Monsig. Griffiths James H., Vescovo tit. di Gaza, Ausiliare dell'Emo Arcivescovo di New York.
7 marzo » Monsig. Gouvêa Coeího Carlos, Arcivescovo di Olinda e Recite.

An. et vol. LVI 15 Aprilis 1964 (Ser. m, v. VT) - N. 4

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico - Città del Vaticano — *Administratio:* Libreria Editrice Vaticana

ACTA PAULI PP. VI

LITTERAE APOSTOLICAE MOTU PROPRIO DATAE

Romae conditur Pontificium Institutum altioris Latinitatis

PAULUS PP. VI

STUDIA LATINITATIS antiquarumque litterarum quam maxime coniungi cum sacrorum alumnorum institutione atque disciplina persuasum nullo non tempore Summi Pontifices habuerunt, qui non minus praeterita quam nostra hac aetate huiusmodi super re gravia in lucem ediderunt documenta; Nosque ipsi Litteris Apostolicis recens datis, quibus a verbis *Summi Dei Verbum* initium, haec commonuimus: *In studiorum ... supellectile, qua adulescens clerus ornari oportet, sane ponenda est non exigua variarum linguarum scientia, in primisque Latinae, si maxime de sacerdotibus agatur Latini ritus!* [1]

Sed in actis, quae hac de re ab Apostolica Sede in vulgus nostris hisce diebus profecta sunt, principem obtinere locum dicenda sane est Constitutio Apostolica, a verbis *Veterum Sapientia* incipiens, quam Decessor Noster fel. rec. Ioannes XXIII

[1] Epist. Ap. *Summi Dei Verbum, A. A. S.* LV, 1963, p. 903.

duos abhinc annos promulgavit.[2] In ea enim cum quaedam quasi laudum summa in medio ponitur, quibus Maximi Ecclesiae Pastores, spectatis catholicae rei utilitatibus, alius ex alio linguam Latinam ornaverunt, tum vero momenta illustrantur, quae praeclara multaque habent Graecae Romanaeque litterae ad sacerdotii tirones disciplinis, sui muneris propriis, optime instituendos et erudiendos. Quibus admonitionibus certa praescripta continúan tur eo nimirum pertinentia, ut sive sacrorum Seminariorum sive religiosorum Ordinum ac Sodalitatum alumni magna "cum cura et diligentia ad antiquas et humanas litteras informentur; in primisque illud, quasi totius Constitutionis caput, Sacro Consilio Seminariis Studiorumque Universitatibus praeposito mandatum datur, ut *Academicum Latinitatis Institutum* condendum curet.

Quae praescripta, in rebus atque in usu posita, quam opportune sint edita in confesso est omnibus. Nam si dioecesium et religiosorum Ordinum Antistites, ad quos illa spectabat Constitutio, consentienti approbatione ea acceperunt quae de pondere docebantur linguae Latinae ad sacrae iuventutis optimam disciplinam quod attinet, non defuerunt tamen qui animadverterunt, se non posse facili negotio quae praescriberentur ad effectum brevi adducere, eam praesertim ob causam quod magistrorum copiam non haberent ad auctam sui muneris gravitatem idoneorum.

Etenim exploratum est prudenti cuique, nihil magis valere ad imbuendos iuvenes antiquitatis linguis quam praestantissimus praeceptores; qui scilicet et doctrinae possessione, et linguae, quam tradere debeant, scientia, et docendi arte scholis ita praesint, ut non solum frugiferas, verum etiam eas discipulis delegabiles faciant, a quibus materies eadem sit olim in alios vulganda discipulos. Cum vera namque, tum honesta, et

[2] Const. Ap. *Veterum Sapientia, A. A. S.* LIV, 1962, pp. 129-135.

digna sapiente haec habenda est S. Ambrosii sententia : *Primus discendi ardor nobilitas est magistri.*[3]

Quam ob rem, quolibet impendio et onere neglecto, habiles praeceptores, si desint, in Seminariis maioribus et minoribus parentur oportet; cum cuiusvis eruditionis progressiones in disciplinae initiis plerumque consistant. Maximopere idcirco contendatur necesse est, ut magistri habeantur non subitarii, sed omnibus numeris ornati, sui officii propriis; abundanti eruditione exculti, atque adeo ad animos discipulorum capiendos habiles ; docendi vias persequentes, non in experimentis tantum vel in memoria positas, sed rationi etiam convenientes; siquidem inepte ii sentire dicendi sunt, qui opinentur linguae Latinae professoribus sufficere, si eam aliquanto magis quam discipuli noscant. Quin immo optandum est, ut quibus tantum hoc munus deferendum sit, ii, si ullo pacto fieri queat, in maximis Athenaeis instituantur, ubi a praestantissimis magistris simul exquisitiore antiquarum litterarum cognitione, simul arte informandi alios imbui possint.

Iure igitur ac merito Decessor Noster fel. rec. Ioannes XXIII, ea, quam commemoravimus, Constitutione iniunxit Sacrae Congregationi Seminariis et Studiorum Universitatibus praepositae, ut Romae Pontificium Institutum condendum curaret Latinitati docendae, quod plane hoc spectaret, ut delectum manipulum condocef aceret sacerdotum, qui qua totius Latinitatis notitia, qua assidua et rationali Latine scribendi exercitatione, pares honestissimo officio exsisterent linguam Latinam aut iii sacris Seminariis et in Collegiis ecclesiasticis docendi, aut in variis Romanae Sedis Consiliis et in Curiis vel dioecesium, vel religiosorum Ordinum ad maiorum exemplum scribendo usurpandis

Quapropter, cum Nobis prorsus persuasum sit id peropportune fieri, ut Romae altior Schola ab Apostolica Sede constituatur, quae ceterorum Athenaeorum, almam hanc Urbem non uno

[3] **S. Ambros.,** ***De Virg. 2, 2,*** **7.**

[4] **Cf. Const. Ap.** ***Veterum Sapientia,*** **n. 6.**

nomine illustrantium, veluti magisteria complens, ad linguae Latinae studium omni ex parte absolutum conducat, Nos, grato animo amplas et ornatas aedes accipientes, quas Sodalitas Salesiana, non sine suis incommodis, ob egregiam hanc causam Nobis dedit, ea quae sequuntur motu proprio Nostraque auctoritate decernimus.

I - Ut ad effectum adducantur praescripta Constitutionis Apostolicae *Veterum Sapientia* a Decessore Nostro Ioanne XXIII promulgatae, ad Pontificium Athenaeum Salesianum fundamus atque condimus Pontificium Institutum altioris Latinitatis, simulque praecipimus, ut inibi studiorum cursus primo quoque tempore principium ducant.

II - Institutum obnoxium erit auctoritati Sacrae Congregationis Seminariis et Studiorum Universitatibus praepositae, non modo ob generalem moderationem, quam eadem ex canone 256 C. I. C. in hac provincia tenet, sed etiam ob peculiare Instituti patrocinium, quod ipsa Congregatio suscepit; ita quidem, ut huiusmodi Institutum auxilio esse possit Apostolicae Sedi in iis omnibus, quae ad linguae Latinae incrementum in Ecclesia efficaciter pertinere videantur.

III - Munus propterea Magni Cancellarii penes erit Emum Cardinalem Praefectum Sacri Consilii Seminariis et Studiorum Universitatibus moderandis.

Quoniam vero Societas a S. Francisco Salesio in se recepit Instituti altioris Latinitatis prosperitatem, Magno Cancellario adiutricem praestabunt operam cum Moderator Supremus « pro tempore » Societatis Salesianae, qui Magni Cancellarii vice fungetur, tum Rector Magnificus Pontificii Athenaei Salesiani.

IV - Proxima autem et ordinaria Instituti moderatio erit penes Praesidem a Sacra Congregatione Seminariis et Studiorum Universitatibus praeposita, Nobis probantibus, delectum ac nominatum. Qui quidem Praeses, a Collegio academico in expe-

dien dis negotiis maioris momenti adiutus, coniunctissimas habebit rationes cum eadem Sacra Congregatione in iis omnibus, quae ad ipsius Instituti actionem et incepta attinebunt.

V - Cum omnino necesse sit Institutum parem habere facultatem professorum, tam famae auctoritatisque celebritate quam suae cuiusque disciplinae peritia insignium, opera idcirco danda erit, ut nullo nationum discrimine tales doctores sive ex utroque clero, sive e laicorum ordine eligantur. Quorum scilicet nominatio dumtaxat ad Sacrum Consilium spectabit Seminariis et Studiorum Universitatibus praepositum.

VI - Quae doctrinarum instructio in Instituto tradetur, eas complectatur disciplinas primarias et secundarias, per quas alumnus et veterem et recentiorem Latinitatem penitus noscere possit, vias nempe rationesque secutus, quae ad litteras discendas nostris hisce diebus aptissimae putantur.

Ad quam institutionem accedat necesse est assidua Latine scribendi exercitatio, ut discipuli non solum linguae Latinae naturam, vim, praecepta cognitione comprehensa habeant, sed etiam expedite, integre, eleganterque hac lingua scribant.

VII - In numero autem disciplinarum tradendarum suus tribuatur locus oportet linguae Graecae, quam qui ignoret, litteris Latinis bene doctus nullo pacto dicendus sit. Nemo enim dubitat, quin lingua Latina quam maxime cum Graeca coniungatur, sive ad utriusque naturam structuramque respiciat, sive expendat quantum haec ad illius progressionem labentibus saeculis contulerit.

VIII - Omne studiorum curriculum quattuor annorum spatio continebitur; ita ut qui duos annos studiis laudabiliter operam dederit, Baccalaureatum, uti dicunt, adipisci possit; qui tres, Licentiam; qui vero quattuor, Lauream. Sed ad hos gradus academicos nemo traduci poterit, nisi prius disciplinarum omnium, quotquot imperatae sunt, periculum fecerit, pariter-

que scriptas exercitationes subierit, quae summa industria elaborato studiorum ordine statuentur.

IX - Ut quorundam discipulorum necessitatibus serviatur, ita universus studiorum ordo opus est digeratur, ut praeter plenum cursum, quo quis ad Lauream perducatur, breviora iis praeparentur curricula, qui peculiaria consectentur diplomata studii in litteris vel Latinis vel Graecis collocati.

X - Pontificium Institutum altioris Latinitatis adulescentibus ex omnibus gentibus patebit; quod ideo non modo alumnis e clero saeculari, quem vocant, et religiosis sodalibus liberum erit adire, sed etiam laicis hominibus.

Episcopos autem ac summos religiosorum Ordinum et Sodalitatum Antistites hortamur, ut eos praeceptores qui in sacris Seminariis vel in religiosis Collegiis docent, maxime si iuniores, ad hoc Institutum mittendos curent, ut studia litterarum, quibus dediti sint, absolvant atque perficiant.

XI - Censemus praeterea, ut optimis quibusque discipulis, qui nempe diligentia, studio, doctrina praestent, beneficia et commoda impertiantur, quibus studiorum sumptus tolerare possint. Quam in rem suademus, ut pariter alumnis studiorum celebrandorum causa annua praebeantur, pariter Instituto iusta pecunia suppeditetur, qua coepta ad litterarum doctrinarumque processus necessaria iuventur. Cuius pecuniae et annuorum administratio propria lege temperabitur, a Sacro Consilio Seminariis et Studiorum Universitatibus praeposito probanda, cuius sane erit omni rei procurationi invigilare.

XII - Institutum scriptorum opera et acta ad universam Latinitatem attinentia in lucem edenda curabit; atque deliberationes omnes capiet, coeptisque favebit, quae ad linguae Latinae scientiam et usum conducant.

XIII ~ Extremum Sacro Consilio Seminariis et Studiorum Universitatibus praeposito mandata damus ut, Nostris hisce

praescriptis congruenter, leges et iura opportune describat, quibus, natura et fine Instituti spectatis, tum eiusdem ordinationi, tum litterarum progressibus, tum moderatorum magistrorumque condicioni prospiciatur. Peculiari modo studiorum ratio conficiatur, et docendi viae dentur et educandi normae tradantur.

Quaecumque a Nobis hisce Litteris motu proprio datis decreta sunt, ea omnia firma ac rata esse iubemus, contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die xxn mensis Februarii, Cathedrae S. Petri Ap. sacro, anno MDCCCCLXIV, Pontificatus Nostri primo.

PAULUS PP. VI

CHIROGRAPHUM

Consociatio Internationalis Musicae Sacrae canonice instituitur

PAULUS PP. VI

NOBILE SUBSIDIUM Liturgiae, disciplinam dicimus Musicae Sacrae, qua mentes ad pietatem singulariter solent excitari, praeteritis temporibus curae fuit, estque in praesenti, Apostolicae Sedi; quod documentis Romanorum Pontificum luculenter comprobatur. Etenim hac de re copiose egerunt S. Pius X Litteris, a verbis « Tra le sollecitudini dell'officio pastorale » incipientibus dieque **xxii** mensis Novembris anno MCMIII motu proprio datis; Pius XI Constitutione Apostolica, cui, die xx mensis Decembris anno MCMXXVIII editae, appellatio est « Divini cultus sanctitatem » ; Pius XII Encyclicis Litteris, quae, a prioribus verbis « Musicae sacrae disciplina » nuncupatae, die xxv mensis Decembris anno MCMLV emissae sunt, atque praeceptionibus, quae, « Instructio de Musica sacra et sacra Liturgia » appellatae, die III mensis Septembris anno MCMLVIII sunt vulgatae. Ioannes demum **xxin** acta Decessorum suorum in memoriam

revocavit, ac studium et progressionem Musicae Sacrae fovit sollerter; qua ex parte iuvat memorare Epistulam, a verbis « Iucunda laudatio » incipientem, quam die VIII mensis Decembris anno MCMLXI ad dilectum filium Hyginum Angles Pamies, Pontificii Instituti Musicae Sacrae docendae Praesidem, ob quinquagesimum expletum annum ab eodem Instituto condito, dedit; atque ipsum Concilium Oecumenicum Vaticanum Secundum multis argumentis, in quibus versaretur, hanc etiam rem adiecit.

His Summis Pontificibus propositum erat, ut quotquot egregiae arti Musicae Sacrae operam dant, inter se et cum Apostolica Sede arctius coniungerentur; ut eidem Apostolicae Sedi praesto esset institutum quoddam internationale, cuius ope de necessitatibus, Musicae Sacrae propriis, certior fieret, quoque consulta Supremae Auctoritatis Ecclesiae de ipsa Musica Sacra ad effectum deducerentur; praeterea ut praecipue Missionariis auxilium praeberetur ad solvendam gravem magnique momenti quaestionem Musicae Sacrae in regionibus, missionali labore excolendis, atque varia hac in re incepta congruenti ratione inter se conecterentur; denique ut opera de Musica Sacra, prelo edenda, et studia de huius artis hereditate a maioribus accepta proveherentur.

In iis autem, quae supra dictae sunt, praeceptionibus de Musica Sacra,[1] Pius XII, Decessor Noster rec. mem., suasit, ut societates ad Musicam Sacram fovendam institutae numero multiplicarentur earumque fieret consociatio, sive nationalis sive internationalis, eo consilio, ut haec disciplina et ars felicibus incrementis augeretur.

Hoc igitur explentes optatum conspiratisque votis libenter obsecundantes, ab Episcopis nonnullarum nationum Nobis significatis, ea, quae sequuntur, decrevimus atque huius Nostri Chirographi vi decernimus :

I. - Consociatio Internationalis Musicae Sacrae canonice instituitur, cui propria est condicio « personae moralis », cuiusque sedes Romae exstabit.

[1] **Cfr.** ***Instructio de Musica sacra et saera Liturgia,*** **n. 117.**

II. - Patronus vero eius est Emus Cardinalis Sacrae Rituum Congregationis pro tempore Praefectus.

III. - Eidem Consociationi propositum est, ut cooperationem concordemque actionem inter quam plurimos, qui sunt per orbem terrarum et ad quamvis pertinent nationem, studiose promoveat ad Musicam Sacram excolendam eiusque assequendum progressum secundum praescripta Ecclesiae.

IV. - Sodalitatis huius Internationalis socii habentur alii iure proprio, alii aggregati :

a) Socii iure proprio sunt Instituta Musicae Sacrae, a Sede Apostolica approbata, et Societates Musicae Sacrae a legitima potestate ecclesiastica rite agnita.

b) Socii vero aggregati sunt alia Instituta et Societates, prout Coetui Moderatorum visum fuerit.

c) Privati etiam homines possunt in Consociationem cooptari tamquam aggregati, condicionibus tamen ab eodem Coetu Moderatorum praestitutis.

V. - Compages vero Consociationis constat e Consilio Generali, e Coetu Moderatorum, atque e Secretariatu :

a) Consilium Generale e cunctis consistit sociis simul adunatis.

ib) Coetus Moderatorum, qui Consilio Generali et ipsi Consociationi moderatur, constituitur Praeside ac duobus eius vice fungentibus; qui omnes, proponente ipso Consilio, a Summo Pontifice nominantur munereque tres annos funguntur, scilicet usque ad subsequentem Conventum Internationalem Musicae Sacrae, ad normam statuti n. VI, ***b.***

c) Secretariatus constat Secretario et Arcario, qui ambo a Coetu Moderatorum absque praefinito tempore nominantur, quique Romae commorentur necesse est.

VI.-a) Consilium Generale, suprema praeditum auctoritate, de iis omnibus decernit, quae ad ipsam Consociationem pertinent. Excutit insuper et approbat relationes de opere a Coetu Moderatorum patrato. Délibérât de futurorum sumptuum aesti-

matione et de rationibus accepti et expensi, ad Consociationem quod attinet.

b) Congregatur de more singulis trienniis, in Conventibus Internationalibus Musicae Sacrae, nisi aliter visum fuerit.

c) In Consilio Generali voto deliberativo gaudent socii iure proprio cooptati et Delegatus uniuscuiusque Nationis, ab Episcopis eligendus; voto consultivo et voce passiva gaudent socii universi.

VII. - Muneris Coetus Moderatorum est ea, quae a Consilio Generali decreta sunt, ad effectum deducere.

VIII. - Secretariatus ea universa agit, quae propria sunt muneris viri a secretis et ad rem nummariam pertinent, ductu Praesidis aut, si casus ferat, amborum simul vice eiusdem fungentium, qui omnes, pro casu, rei periculum et onus in se recipiunt.

IX. - Personam eiusdem Consociationis gerunt Praeses, aut, eo impedito, ambo simul vice eiusdem fungentes.

X. - Patrimonium Consociationis consistit e tributis sociorum, largitionibus inter vivos et mortis causa collatis a piis benefactoribus, et reditibus ex operibus Consociationis exorientibus.

XI. - Coetus Moderatorum normas exsecutivas horum Statutorum debet exarare, quas Consilio Generali proponat ad discutiendum et approbandum.

Haec ediximus et statuimus, contrariis quibusvis non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die xxn mensis Novembris, in festo S. Caeciliae, anno MCMLXIII, Pontificatus Nostri primo.

PAULUS PP. VI

LITTERAE APOSTOLICAE

Internuntiatura Apostolica in Republica Coreana erigitur

PAULUS PP. VI

Ad perpetuam rei memoriam. — Usu est comprobatum, quantum mutuae necessitudinis rationes, Apostolicae huic Sedi cum Civitatibus intercedentes, ad religionis profectum valeant verique nominis bonum. Cum igitur nuper supremae Ecclesiae Auctoritati cum Coreana Republica con venisset, ut publicis officiorum vinculis inter se continerentur, visum est loco Delegationis Apostolicae, quae usque in praesens tempus ea in regione viguit, Internuntiaturam constituere. Quae cum ita sint, motu proprio, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi, in Republica Coreana *Internuntiaturam Apostolicam erigimus,* cuius sedem in urbe, quae « Seoul » appellatur, collocamus. Eidem igitur sic per Nos erectae Internuntiaturae omnia et singula deferimus officia, privilegia atque indulta, quae huiusmodi Legationem propria sunt. Haec statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere ; suosque plenos et integros effectus sortiri et obtinere ; ipsique Legationi ita constitutae nunc et in posterum plenissime suffragari ; sicque rite iudicandum esse ac definiendum ; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xi mensis Decembris, anno **MCMLXIII**, Pontificatus Nostri primo.

. © **HAMLETUS** I. Card. **CICOGNANI**
a publicis Ecclesiae negotiis

NUNTII GRATULATOMI

I

Ad E.mum P. D. Achillem S. R. E. Presb. Cardinalem Liénart, Episcopum Insulensem, octogesimum acturum natalem.

Octogesimus cum recurrit natalis, mos est hominibus, praesertim iis, qui potestatem gesserunt vel gerunt, aliquantulum quodam modo quasi in longarum viarum adepta statione consistere, ut emensum iter retro acto mentis obtutu secum considerent, et ad ulteriora prosequenda Deum sibi propitient.

Talem mox celebraturo tibi diem, pro benevolentiae caritate, qua tecum arcte coniungimur, nolumus tibi gratulationes et vota Nostra deesse, cum quidem reputemus redivivum semper Nobis exsistere gaudium, cum exspectata copia detur bene in te affecti animi Nostri sensum promendi et palam declarandi.

Habeto igitur salutares precationes Nostras, quae certo eo acceptiores tibi erunt, quo impensius dilaudaris ob strenuum ac vigil sacrum ministerium a te exercitum, cuius praeclari exstant ac durabiles fructus. Iure merito ad te referre potes S. Pauli Apostoli fiduciae plenum vibransque dictum : *Scio cui credidi et certus sum quia potens est (Deus) depositum, meum servare in illum diem, iustus iudex.*[1] Caelestis gratiae benignitas novas tibi adiciat vires, vitae firmet proposita, ut, numquam tepefacto religionis studio et generosa non relaxata te devovendi voluntate, Petri Sedi in exemplum deditus et astrictus, pergas te tuaque impendere in boni pastoris et ductoris animorum perfungendo officio : nam sacrae flammae vi, iuvenescere consuevit aetas, et probata virtus in novum se induere florem.

Haec flagrantibus ominibus exoptantes, tibi, Dilecte Fili Noster, Apostolicam Benedictionem, supèrni praesidii auspicem, impertimus; hancque ad sollertem Antistitem Auxiliarem tuum, ad clerum quoque populumque christianum, tuis curis creditum, ultro libenterque pertinere volumus.

Ex Aedibus Vaticanis, die xx mensis Ianuarii, anno MCMLXIV, Pontificatus Nostri primo.

PAULUS PP. VI

[1] Cfr. *2 Tim. 1,* 12; 4, 8.

n

Ad E.mum P. D. Villelmum Theodorum S. R. E. Cardinalem Heard, octogesimum natalem celebraturum.

Tibi octogesimum natalem mox acturo inter ominantium voces, quae laetis salutaribus precationibus faustum huiusmodi exornabunt diem, Nostram quoque resonare percupimus. Cuncta igitur felicia et veri nominis profectui bonoque conducibilia tibi optamus, perquam gavisi, quod nunc Nobis nova datur copia, bonam existimationem et benevolentiae affectum iterum tibi exhibere et palam facere.

Iuvat profecto Nos, pro dato tempore, in memoriam redigere clara a te merita in arduis ecclesiasticis officiis obeundis ubertim lecta, praesertim ut Auditor et postea Decanus Sacrae Romanae Rotae, ubi, diuturno spatio annorum navitatem tuam impendens, peritia iuris ac recto sagacique in agendis causis iudicio praestitisti.

Quam ob rem a fel. rec. Decessore Nostro Ioanne XXIII Purpuratorum Patrum Collegio adscitus es, ac nunc viribus ingenii et opibus doctrinae in Apostolico Nostro ministerio perfungendo ita Nos adiuvas, ut gratiam tibi habeamus maximam.

Superna auxilia et solacia tibi nunc invocamus, ut validis viribus fruaris atque novo generosi animi studio pergas maturitate consilii, sollerti opera, exemplis vitae prodesse, Deo confisus, cuius providentia ad meliora et potiora assequenda iustorum dirigit gressus eiusque voluntatis impletio virtutis beatitatisque tutissimum communit iter : *Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu; spiritus tuus bonus deducet me in terram, rectam.*[1]

Haec flagrantibus votis ominati, tibi, Dilecte Fili Noster, Apostolicam Benedictionem, caelestium donorum largitatis conciliatricem, peramanter impertimus.

Ex Aedibus Vaticanis, die xxn mensis Ianuarii, anno MCMLXIV, Pontificatus Nostri primo.

PAULUS PP. VI

[1] *Ps.* 142, 10.

ACTA IOANNIS PP. XXIII

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

QUINHONENSIS

(DAPANGENSIS)

Quibusdam a dioecesi Quinhonensi detractis territoriis, nova dioecesis conditur « Danangensis » appellanda.

IOANNES EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Naturalis in vitae similitudinem, quae corpore et spiritu continetur, etiam superna illa vita qua « filii Dei nominamur et sumus » (cfr. *1 Io.* 3, 1), benigno Dei consilio externis signis hominibus exhibetur, quibus iuvantibus in terris diffundatur omniumque in animis insideat. Quam ob rem cum Sacrum Consilium Christiano Nomini Propagando, ea sane mente ut in perampla dioecesi Quinhonensi christiana religio maiora caperet incrementa, eiusdem territorium dividendum censuerit, de sententia venerabilis Fratris Petri Mariae Pham-Ngoc-Chi, Episcopi Quinhonensis, postque auditum dilectum Filium Franciscum De Nittis, negotiorum gestorem ad interim penes Apostolicam in Indosina Delegationem, suprema Nostra potestate sequentia statuimus atque decernimus. A dioecesi Quinhonensi civiles provincias distrahimus quas vulgo Quang-Nam et Quang-Tin vocant, ex iisque et urbe Danang cognominata novam dioecesim constituimus, quae *Danangensis,* ex urbe principe appellabitur. Volumus autem ut nova dioecesis eiusque Praesul metropolitanae iurisdictioni Archiepiscopi Hueensi subiciantur, iidemque omnibus iuribus et honoribus fruantur quibus ceteri residentes Episcopi eorumque dioeceses, ad iuris ecclesiastici normam. Novae dioecesis regimen saeculari clero Vietnamiensi damus, qui pastorali industria atque studio nulli labori parcet Regno Dei in sua patria provehendo. Quod autem ad Ee-

clesiae gubernationem et administrationem attinet, ea omnia serventur quae Codex Iuris Canonici statuit, quaeque Sacra Congregatio Fidei Propagandae iusserit. Ceterum quae statuimus exsequenda curabit dilectus Filius Franciscus De Nittis, quem memoravimus, vel per se ipse vel per alium delegatum virum. Si autem tempore exsecutionis alius idem munus gesserit, hic mandata Nostra omnia faciet. Qui vero rem perfecerit onus habebit effectae rei documenta exarandi eademque subscripta sigilloque impressa ad Sacram Congregationem Fidei Propagandae mittendi.

Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus ; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur.

Datum Eomae, apud S. Petrum, die duodevicesimo mensis Ianuarii, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo tertio, Pontificatus Nostri quinto.

IACOBUS A. Card. **COPELLO**
S. R. E. Cancellarius

GREGORIUS P. Card. **AGAGIANIAN**
8. O. de Prop. Fide Praefectus

Franciscus Tinello
Apostolicam Cancellariam Regens

Bernardus De Felicis, *Proton. Apost.*
Iosephus Rossi, *Proton. Apost.*

Loco ffi Plumbi

In Ap. Cano, tab., vol. CXI, n. 98.

II

OYOËNSIS

Apostolica praefectura Oyoënsis ad gradum dioecesis evehitur

IOANNES EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Sacrum Consilium Christiano Nomini Propagando vota exsequens venerabilis Fratris Sergii Pignedoli, Archiepiscopi titulo Iconiensis et Apostolici in Africa Media Occidentali Delegati, censuit ut apostolica praefectura Oyoënsis ad gradum et dignitatem dioecesis eveheretur; constat enim verbi Dei semen quod ibi locorum Sodales Societatis Missionariorum ad Afros late condiderunt radices egisse inque satis laetam concrevisse segetem. Quapropter summa Nostra potestate ea rata habentes quae idem Sacrum Consilium facienda proposuit, apostolicam praefecturam *Oyoënsem* in dioecesium ordinem redigimus, iisdem servatis finibus et nomine, factis iuribus et datis honoribus quae iure et consuetudine dioecesibus earumque praesulibus spectant. Inter quae memorare placet esse novam dioecesim eiusque Episcopum metropolitanae iurisdictioni Archiepiscopi Lagosensis obnoxium. Volumus etiam ut nova ecclesiastica circumscriptio curis concredatur Sodalium Societatis Missionariorum ad Afros, per quos factum est ut ad felicem statum hunc rerum deveniretur. Sedem suam Episcopus ponat in urbe quae vulgo Oyo cognominatur, sacrique magisterii cathedram in maximo inibi templo exstante, quod ad cathedralis aedis dignitatem attollimus. Usque dum praeterea Canonicorum Collegium constituat, Consultores dioecesanos eligat, qui ad normam iuris consilium opemque praestent. Seminarium denique sollicita cura quantum potest struat, pueris accipiendis atque efformandis qui ad sacerdotium vocentur. Quod autem attinet ad regimen dioecesis, ad Vicarii capitularis sede vacante electionem, iura cleri et populi, cetera eiusmodi iuris canonici decreta serventur. Quae statuimus exsequenda curet venerabilis Frater Sergius Pignedoli, quem memoravimus, vel per se ipse vel per alium delegatum virum. Si autem tempore exsecutionis alius ibi terrarum Delegati Apostolici partes gerat, hic mandata Nostra faciet. Qui vero rem perfecerit onus habebit documenta de more parandi eademque subscripta sigilloque impressa ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide cito mittendi.

Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur.

Datum Romae, apud S. Petrum, die duodevicesimo mensis Ianuarii, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo tertio, Pontificatus Nostri quinto.

IACOBUS A. Card. **COPELLO**
8. R. E. Cancellarius

GREGORIUS P. Card. **AGAGIANIAN**
8. C. de Prop. Fide Praefectus

Franciscus Tinello
Apostolicam Cancellariam Regens

Bernardus De Felicis, *Proton. Apost.*
Iosephus Rossi, *Proton. Apost.*

Loco © Plumbi

In Ap. Cane, tab., vol. CXI, n. 96.

III

DOUALAËNSIS
(SANGMELIMAËNSIS)

Quibusdam distractis territoriis e dioecesi Doualaënsi, nova efficitur « Sangmeiimaënsis » appellanda.

IOANNES EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Quod superno inscrutabilique Dei consilio Nobis commissum est munus universae regendae Ecclesiae, dioecesium quandoque rationes pro rerum temporumque adiunctis ita disponimus ut efficacius christiana

lex magis magisque proferatur caelestiumque bonorum copia homines, Christi sanguine redempti, fruantur. Quae cum animo Nostro considerantes, libenter accepimus quod Sacrum Consilium Christiano Nomini propagando faciendum censuit, ut scilicet ex dioecesi Doualaënsi, in Camerunensi Natione, altera constitueretur, nativo clero concredenda. Suprema igitur et apostolica potestate Nostra, a dioecesi Doualaensi territoria separamus districtuum, quibus per vulgus appellatio Ntem, Dja et Lobo, ex iisque dioecesim condimus *Sangmelimaënsem* ab urbe eiusdem regionis principe appellandam, cuius sequentes erunt fines : ad septentrionem et occidentem solem, dioeceses Doualaensis et Mnalmayoensis; ad orientem solem, dioecesis Dumensis; ad meridiem denique, territoria quae Guineam Hispanicam et Gabon appellant. Novae conditae ecclesiasticae circumscriptioni omnia iura et privilegia damus; item eiusdem Episcopo, congruis adiunctis officiis eius muneris propriis. Quae inter, haec praecipua habebit : metropolitano iuri Archie piscopi Yaundensis obtemperandi; episcopalem sedem in Sangmelima urbe figendi, magisterii vero sui cathedram in maximo eiusdem civitatis templo collocandi; Consultores dioecesanos deligendi, quoadusque tamen Canonicorum Collegium per alias sub plumbo Litteras ibidem statui possit; Seminarium tandem, quam primum potuerit, struendi, iis recipiendis pueris qui ad sacerdotium vocentur. Haec quae iussimus ad effectum deducenda studeat venerabilis Frater Sergius Pignedoli, Archiepiscopus titulo Iconiensis atque in Africa Media Occidentali Apostolicus Delegatus, cuius sententiam hoc in gerendo negotio Apostolica Sedes adhibuit, vel per se ipse vel per alium delegatum virum. Quodsi tempore exsecutionis alius inibi Apostolicus Delegatus erit, hic mandata Nostra faciat. Qui vero rem perfecerit documenta exaranda curet adque Congregationem de Propaganda Fide, de more signata sigilloque impressa, eadem mittenda.

Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat ; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica digni-

tate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta,, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur^

Datum Romae, apud S. Petrum, die duodevicesimo mensis Ianuarii, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo tertio, Pontificatus Nostri quinto.

Pro S. R. E. Cancellario
© **IOANNES H.** Card. **CICOGNANI**
a publicis Ecclesiae negotiis

GREGORIUS P. Card. **AGAGIANIAN**
S. Congr. Se Prop. Fide Praefectum

Franciscus Tinello
Apostolicam Cancellariam Regens

Franciscus **H.** Ferretti, *Proton. Apost.*
Caesar Federici, *Proton. Apost.*

Loco © Plumbi

In Ap. Cane, tab., vol. CX1I, n. 28.

IV

LINGAYENSIS ET ALIARUM
(CABANATUANENSIS)

Ex dioecesibus Lingayensi - Dagupanensi et Sancti Ferdinand! in Insulis Philippinis quaedam territoria detrahuntur, quibus nova dioecesis « Cabanatuanensis » efficitur.

IOANNES EPISCOPUS
SERVUS! SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Exterior Ecclesiae temperatio quamvis ea sit ut non eius naturam attingat, tamen apertissimum est omnibus rem considerantibus sapientiorem christianae rei publicae constitutionem, quae apta territoriorum divisione gignitur, haud parum conferre ad regnum Christi terrestre, quod est Ecclesia, conservandum lateque proferendum. Quae cum ita sint, prompto sane animo ea probamus quae venerabilis Frater Salvator Siino, Archiepiscopus titulo Pergensis et in Insulis Philippinis Apostolicus Nuntius, proposuit, ut videlicet, nova in ea Natione dioecesis conderetur, necessitatibus christianorum aptius subveniendi gratia. Qua-

propter, re iusta consideratione reputata, sententiamque rogatis venerabilibus Fratribus Mariano Madriana, Episcopo Lingayensi-Dagupanensi et Aemilio Cinense, Episcopo Sancti Ferdinandi, atque a venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus petito consilio qui Sacrae Congregationi Consistoriali praesunt, haec statuimus atque iubemus. A dioecesibus Lingayensi-Dagupanensi et Sancti Ferdinandi territorium separamus quod civilem provinciam vulgo Nueva Ecija cognominatala complectitur, novamque ex eo dioecesim constituimus, ab urbe principe Cabanatuan *Cabanatuanensem* appellandam. In ea autem civitate Episcopus domicilium suum collocabit tamquam in capite dioecesis, cathedra in templo S. Nicolai a Tolentino posita, quod ad gradum templi cathedralis tollimus, cum debitis iuribus et honoribus. Novam hanc circumscriptionem ecclesiasticam Sedi metropolitanae Lingayensi-Dagupanensi suffraganeam subicimus; quam Sedem per alias sub plumbo Litteras hodie datas, ad Ecclesiae metropolitanae dignitatem eveximus. Canonicorum Collegium condatur; quousque tamen id fiat, indulgemus ut Consultores dioecesani eligantur, qui suo Antistiti consilio atque industria assint. Item sacer dioecesis Praesul Seminarium saltem minus condat, pueris excipiendis ad sacerdotium vocatis, ad normas iuris communis et secundum leges Sacrae Congregationis de Seminariis et Studiorum Universitatibus. Cum vero iuvenes ita adoleverint ut philosophicis atque theologicis disciplinis imbui debeant, Romam meliores Episcopus mittat in Pontificium Collegium-Seminarium Philippînum. Mensam episcopalem, quam dicunt, efficient : Curiae emolumenta, fidelium collationes, congrua bonorum pars quae Sedi Cabanatuanensi ob venient ad canonem 1500 C. I. C. Acta denique et documenta quae ad novam Ecclesiam respiciunt, eadem ad eius curiam episcopalem mittantur, ibique religiose custodiantur in rerum sacrarum tabulario. Ad clerum vero quod attinet, haec statuimus ut, his Litteris ad effectum adductis, eo ipso clerici Ecclesiae illi censeantur addicti, in cuius territorio legitime degant. Ceterum volumus ut haec quae mandavimus venerabilis Frater Salvator Siino exsequi studeat, vel per se ipse, vel per alium quem delegare visum fuerit. Re vero acta, documenta exarentur, atque sinceris exemplis ad Sacram Congregationem Consistorialem cito mittantur. Si autem eo tempore alius eidem Nuntiaturae forte praesit, hic iussa Nostra fieri curabit.

Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Consti-

tutionis efficacitate nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur.

Datum Romae, apud S. Petrum, die sexto decimo mensis Februarii, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo tertio, Pontificatus Nostri quinto.

Pro S. R. E. Cancellario
©**IOANNES** H. Card. **CICOGNANI**
a publicis Ecclesiae negotiis

CAROLUS Card. **CONPALONIERI**
S. Congr. Consistorialis a Secretis

Franciscus Tinello
Apostolicam Cancellariam Regens

Caesar Federici, *Proton. Apost.*
Iosephus Rossi, *Proton. Apost.*

Loco © Plumbi

In Ap. Cane, tab., vol. CXII, n. 25.

V

LINGAYENSIS-DAGUPANENSIS ET ALIARUM (TARLACENSIS)

Distractis e dioecesibus Lingayensi - Dagupanensi et Sancti Ferdinandi quibusdam territoriis, nova efficitur dioecesis nomine « Tarlacensis ».

IOANNES EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Clarissimae famae ob locorum situm, ob catholicarumque praesertim rerum felicitatem tellus, Philippinae Insulae, eae profecto sunt quae optimam spem alant esse futurum ut vel maiores in dies, Deo iuvante, Christi regnum in iis proferat fines. Quo nisi iudicio, quandoquidem venerabilis Frater Salvator Siino, Archiepiscopus titulo Pergensis et

in Insulis Philippinis Apostolicus Nuntius, ab Apostolica Sede petiit ut ex dioecesibus Lingayensi-Dagupanensi et Sancti Ferdinandi nova alia excitaretur, de sententia venerabilium Fratrum Nostrorum S. E. E. Cardinalium qui praesunt Sacrae Congregationi Consistoriali atque venerabilium Fratrum Mariani Modriaga, Episcopi Lingayensis-Dagupanensis, et Aemilii Cinense, Episcopi Sancti Ferdinandi, ea quae sequuntur decernimus ac iubemus. A duabus quas diximus dioecesibus integrum territorium separamus, quod in praesens civilem provinciam Tarlac vulgo appellatam constituit, ex eoque dioecesim *Tarlacensem* condimus, quae iisdem finibus cingetur atque provincia civilis e qua facta est. Nova haec Ecclesia sedem habebit in urbe Tarlac, Episcopi vero cathedram in curiali templo, ibidem exstante, Deo sacro in honorem S. Sebastiani Martyris, quod ad cathedralis templi gradum attollimus. Conditae Ecclesiae eiusque sacrorum Antistiti iusta iura damus et privilegia, officiis quoque et obligationibus Episcopo impositis, eidem ex iure communi propriis; quae inter, memorare placet esse eum una cum sua dioecesi iurisdictioni Metropolitae Lingayensis-Dagupanensis obnoxium, cuius Ecclesiam ad gradum Sedis metropolitanae eveximus. Praecipimus autem ut, quoadusque Canonicorum Collegium condatur, Consultores dioecesanos idem Tarlacensis Episcopus deligat, qui eum consilio et ope adiuvent ; ut mensa episcopalis, quae dicitur, ex fidelium sponte oblatis pecuniis fiat, Curiae emolumentis bonorumque parte, quae ex praescripto canonis 1500 C. I. C. novae Ecclesiae obveniet; ut minus saltem Seminarium, ad iuris canonici normas peculiaresque leges Sacrae Congregationis de Seminariis Studiorumque Universitatibus, cum primum potuerit struat, pueris recipiendis qui ad sacerdotium Dei instinctu vocentur, ex quibus selectos iuvenes statuto tempore Romam mittat, ad Pontificium Collegium-Seminarium Philippinum, philosophicis theologicisque disciplinis imbuendos; ut, his Litteris ad effectum deductis, eo ipso sacerdotes et clerici ei Ecclesiae conseantur addicti in qua officium beneficium ve habeant vel ubi legitimo domicilio degant; ut acta denique et documenta quovis modo dioecesim Tarlacensem respicientia, e Curiis Lingayensi-Dagupanensi et Sancti Ferdinandi ad novam ex ipsis constitutam Ecclesiam transferantur, in tabulario custodienda. Ceterum haec quae praescripsimus venerabilis Frater Salvator Siino ad exitum adducenda curet, vel per se ipse vel per alium in ecclesiastica dignitate constitutum virum. Si autem tempore exsecutionis alius in Insulis Philippinis munere Apostolici Nuntii fungatur, hic mandata Nostra faciet. -Qui vero rem perfecerit documenta exarari studeat, quae de more

signata sigilloqne impressa ad Sacram Congregationem Consistorialem quam primum mittat.

Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contrària praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur.

Datum Romae, apud S. Petrum, die sextodecimo mensis Februarii, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo tertio, Pontificatus Nostri quinto.

Pro S. R. E. Cancellario
© **IOANNES** H. Card. **CICOGNANI**
a publicis Ecclesiae negotiis

CAROLUS Card. **CONFALONIEBI**
8. Congr. Consistorialis a Secretis

Franciscus Tinello
Apostolicam Cancellariam Regens

Caesar Federici, *Proton. Apost.*
Iosephus Rossi, *Proton. Apost.*

Loco © Plumbi
In Ap. Conc. tab., vol. OXII, n. 28.

VI
ARUSHAËNSIS

In Tanganyikae territorio nova efficitur dioecesis, « Arushaënsis » nomine.

IOANNES EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Christi mandata Evangelium per orbem terrarum nuntiandi sacrique baptismatis aquis creaturas omnes abluendi (cf. *Mt.* 28, 19), ita sunt incontinenti studio perfecta ut catholicae veritatis frequentiores in

dies numerentur in Ecclesia sectatores. Quod cum ubique terrarum feliciter fiat, est in more Apostolicae Sedis dioeceses dioecesibus cum oporteat addere, eam profecto ob causam ut, multiplicatis Episcopis, tum christianae legis magistrorum tum animorum patrum atque pastorum copia fidelibus suppetat. Censentibus ideo venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus, qui Sacrae Congregationi de Propaganda Fide praesunt, post scilicet auditum venerabilem Fratrem Vidonem Dei Mestri, Archiepiscopum titulo Tuscamiensem et in Africa Orientali Apostolicum Delegatum, esse in Tanganyikae territorio novam dioecesim constituendam, eorum Nos consilium accepimus atque ea quae sequuntur decernimus. E territorio dioecesis Moshiensis districtus civilis provinciae Arushaënsis seiungimus, quibus Arusha et Masai per vulgus appellatio, ex iisque dioecesim condimus *Arushaënsem,* metropolitanae archidioecesis Daressalaamensis suffraganeam, cuius hi erunt fines : ad septemtrionem, Keniae quae dicitur territorium ; ad orientem solem, Moshiensis et Tangaënsis dioeceses; ad meridiem, dioecesis Morogoroensis; ad occidentem denique solem Dodomaensis, Mbuluensis, Shinyangaënsis et Musonensis dioeceses. Fruetur ideo nova haec ecclesiastica circumscriptio iuribus et privilegiis, quae ex iure communi ei competunt. Eius vero sacrorum Antistes praeterquam quod debitam auctoritatem habebit, congruis etiam obstringetur officiis et muneribus, Episcoporum propriis. Qui videlicet sedem suam ea in urbe ponet quam Arusha appellant, magisterii vero cathedram in principe eiusdem urbis templo, quod Spiritui Sancto dicatum est. Quo praeterea dioecesis necessitatibus satius consulat, Consultores dioecesanos ad normam iuris deligat, usque dum Canonicorum Collegium per alias sub plumbo Litteras constituatur. Ad denique sibi concreditae Ecclesiae rebus consulendum, Seminarium saltem minus struendum curet, pueris excipiendis qui ad sacerdotium capessendum Dei instinctu vocentur. Haec quae statuimus ut perficiantur studeat venerabilis Frater Vido Dei Mestri, quem diximus, vel alius delegatus vir, dummodo sacerdotali dignitate praeditus. Si vero alius, tempore exsecutionis, in Africa Orientali Delegatum Apostolicum aget, hic mandata Nostra faciet, documentaque de more signata sigilloque impressa ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide mittet.

Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore

volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur.

Datum Romae, apud S. Petrum, die primo mensis Martii, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo tertio, Pontificatus Nostri quinto.

Pro 8. R. E. Cancellario
© **IOANNES H.** Card. **CICOGNANI**
a publicis Ecclesiae negotiis

GREGORIUS P. Card. **AGAGIANIAN**
8. Congr. de Prop. Fide Praefectus

Franciscus Tinello
Apostolicam Cancellariam Regens

Caesar Federici, *Proton. Apost.*
Iosephus Rossi, *Proton. Apost.*

Loco © Plumbi

In Ap. Cane, tab., vol. CXII, n. 17.

VII

CALABARENSIS

(IKOT-EKPENENSIS)

Detractis e dioecesi Calabarensi quibusdam territoriis, nova dioecesis constituitur, nomine « Ikot-Ekpenensis ».

IOANNES EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Catholicae res ut quam latissime prolatarentur sollicitum, aestimavit Sacrum Consilium Fidei Propagandae esse iri Nigeriae Occidentalis territorio novam dioecesim constituendam, quae nativi cleri curis com-

mitteretur. Optima enim spes est futurum ut, quae sacri Evangelii praecones semina ibi locorum sparserint inque posterum sint sparsuri uberes ferant pastoralium laborum fructus. Quae cum ita sint, de sententia venerabilium Fratrum Sergii Pignedoli, Archiepiscopi titulo Iconiensis atque in Africa Media Occidentali Apostolici Delegati, atque Iacobi Moynagh, Episcopi Calabarensis, qua potestate pollemus haec quae sequuntur decernimus ac iubemus. A dioecesi Calabarensi districtus seiungimus, qui vulgo appellantur Ikot Ekpene et Abak, civilem provinciam de Annang efficientes, ex iisque dioecesim condimus *Ihot-Ekpenensem* ex urbe eiusdem provinciae principe appellandam hisque limitibus terminandam : ad septemtrionem, dioecesi Umuahiaensi ; ad orientem solem atque meridiem, dioecesi Calabarensi; ad occidentem denique solem, dioecesibus Portus Harcurtensis et Umuahiaensi. Novam dioecesim, quae nativi cleri sacerdotibus curis erit, suffraganeam volumus metropolitanae Ecclesiae Onitshaënsi, cuius Archiepiscopo tamquam Metropolitae Episcopus Ikot-Ekpenensis obnoxius erit. Qui etiam curabit ut sedem suam in urbe quae vulgo Ikot Ekpene appellatur ponat, magisterii vero sui cathedram in eiusdem urbis maximo templo collocet; ut praeterea, pro Canonicorum Collegio, Consultores dioecesanos deligat quorum consilio et ope utatur; ut denique minus saltem Seminarium, quam primum poterit, struat, pueris accipiendis efformandisque, qui ad sacerdotium capessendum vocentur. Haec quae iussimus ut ad exitum adducantur venerabilis Frater Sergius Pignedoli, quem diximus, studebit, vel per se ipse vel per alium delegatum virum. Qui autem negotium perfecerit, documenta exarabit ad Sacrumque Fidei Propagandae Consilium, de more signata sigilloque impressa, mittet. Si vero alius, tempore exsecutionis, in Africa Media Occidentali Delegatum Apostolicum aget, hic mandata Nostra faciet.

Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus ; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica digni-

tate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur.

Datum Romae, apud S. Petrum, die primo mensis Martii, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo tertio, Pontificatus Nostri quinto.

Pro 8. R. E. Cancellario
© **IOANNES H.** Card. **CICOGNANI**
a publicis Ecclesiae negotiis

GREGORIUS P. Card. **AGAGIANIAN**
8. Congr. de Prop. Fide Praefectus

Franciscus Tinello
Apostolicam Cancellariam Regens

Franciscus **H.** Ferretti, *Proton. Apost.*
Caesar Federici, *Proton. Apost.*

Loco © Plumbi

In Ap. Cane, tab., vol. CXII, n. 38.

VIII

HVALIENENSIS

In insula Taiwan seu Formosa apostolica praefectura Hvalienensis ad gradum dioecesis evehitur, eodem nomine iisdemque finibus.

IOANNES EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Apostolica praefectura Hvalienensis, anno millesimo nongentesimo quinquagesimo secundo condita ac quasi nata, in arboris similitudinem quae postquam adoleverit, et floribus nitet pulcherrimum et laetissimos edit fructus, talia cepit his temporibus incrementa eaque promisit, ut visum sit eandem ad dioecesis dignitatem evehere. Quod profecto non solum Patribus e Societate Parisiensi Missionum ad exteras gentes testimonio erit voluntatis ac benevolentiae Nostrae in eos, qui omnem industriam suam in regno Christi proferendo collocaverant, sed etiam animum addet, spes est, ad novos labores, coepta, opera christiani nominis

prorogandi gratia. Quae cum ita sint, de consilio venerabilium Fratrum Nostrorum S. E. E. Cardinalium Sacrae Congregationi Fidei Propagandae praepositorum, post venerabilem Fratrem Iosephum Caprio sententiam rogatum, Archiepiscopum titulo Apolloniensem et Apostolicum in Sinis Internuntium, de Nostra suprema auctoritate' ea quae sequuntur decernimus ac iubemus. Apostolicam praefecturam Hvalienensem, quae est in Insula Taiwan seu Formosa sita, in dioecesis formam redigimus *eodem nomine* atque finibus ; quam Sodalibus Societatis Parisiensis, quos memoravimus, regendam concredimus. Novae dioecesis caput Episcopique domicilium in urbe quam vulgo Hwalien cognominant, erit, in qua civitate sacer Praesul cathedra suae auctoritatis ponet, in templo scilicet principe ibi éxstante ; quod ad templi cathedralis dignitatem evehimus, cum iuribus debitis. Ecclesiam, quam condidimus, suffraganeam facimus metropolitanae Sedi Taipehensi, cuius Archiepiscopo Metropolitae Hvalienensis Antistes obnoxius erit. A quo etiam Canonicorum Collegium constituatur ; si vero id ob locorum adiuncta atque tem porum difficultates fieri nequeat, Episcopus Consultores dioecesanos eligat, qui sibi consilio assint ; quique Canonicis constitutis, a suo munere cessabunt. Huius autem Sedis regimen et administrationem interea venerabilis Frater Andreas Ioannes Vérineux ad nutum Sanctae Sedis habebit, in praesens e dioecesi Imcheuvensi ab hostibus religionis expulsus. Ipse enim apostolicae praefecturae Hvalienensi tamquam Administrator Apostolicus egregie praefuit. Has vero Litteras venerabilis Frater Iosephus Caprio ad exitum adducet vel per se ipse, vel per Legatum, factis ad hoc necessariis facultatibus. Ee autem acta, documenta exarari faciet, eademque sinceris exemplis ad Sacram Congregationem Fidei Propagandae cito mittet. Quod si alius eo tempore munere Apostolici Internuntii in Sinis fungatur, hic mandata Nostra omnia exsequetur.

Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica digni-

tate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur.

Datum Romae, apud S. Petrum, die primo mensis Martii, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo tertio, Pontificatus Nostri quinto.

Pro S. R. E. Cancellario
© IOANNES H. Card. CICOGNANI
a publicis Ecclesiae negotiis

GREGORIUS P. Card. AGAGIANIAN
8. Congr. de Prop. Fide Praefectus

Franciscus Tinello
Apostolicam Cancellariam Régens

Caesar Federici, *Proton. Apost.*
Iosephus Rossi, *Proton. Apost.*

Loco P& Plumbi

In Ap, Cane, tab., vol. CXII, n. 20.

IX

VANKIENSIS

Praefectura apostolica Vankiensis, in Rhodesia Australi, ad dioecesis gradum attollitur.

IOANNES EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Mirum Ecclesiae toto orbe terrarum incrementum eiusque in dies latior, Evangelii praeconum ope, propagatio clara perspicuitate patent si ad res catholicas animadvertatur praefecturae apostolicae Vankiensis, quae est in Rhodesia australi. Ibi enim locorum tot sunt pastoralium laborum fructus Deo iuvante hucusque collecti, ut minime dubitemus quin vel uberiores sint in posterum laturi Sodales Instituti Hispanici Sancti Francisci Xaverii pro Missionibus Exteris, quibus eadem praefectura ad hunc usque diem concredita est. Quae omnia cum animo Nostro considerantes volentesque sodalibus iisdem gratam voluntatem Nostram significare, censuimus eam praefecturam apostolicam ad dioecesis dignitatem evehere. Auditis ideo venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus, qui praesunt Sacrae Congregationi Christiano Nomini Propagando, venerabilique Fratre Iosepho McGeough, Archiepiscopo titulo Hemeseno atque in Africa Australi Apostolico Delegato, de summa et apostolica auctoritate praefecturam apostolicam Vankien-

sem ad gradum et dignitatem ducimus dioecesis, *eodem nomine* iisdemque servatis finibus. Nova quam constituimus Ecclesia iis omnibus fruetur iuribus quibus aliae dioeceses. Episcopus autem, praeterquam quod sui gradus privilegia habebit, congruis etiam obstringetur officiis et obligationibus quae Codex Iuris Canonici imponit. Volumus praeterea ut condita dioecesis eiusque sacer Praesul metropolitano iuri Archiepiscopi Salisburiensi subdantur ; ut Vankiensis Episcopus sedem suam in urbe. quam vulgus Wankie appellant, ponat magisteriique cathedram in principe eiusdem urbis templo ; ut denique pro Canonicorum, Consultorum Collegium ex curionibus deligatur, Episcopum consilio et ope qui iuvent. Haec omnia quae decrevimus ut perficiantur curet venerabilis Prater Iosephus McGeough quem diximus, vel per se vel per alium virum in ecclesiastica dignitate constitutum. Si autem tempore exsecutionis alius in Africa Australi Delegatus Apostolicus erit, hic mandata nostra faciat. **QuivVero** negotium exsecutus fuerit, documenta actae rei ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide quam primum mittat, suo nomine subscripto sigilloque impresso.

Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis eflicacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic' haberetur, si ostenderetur.

Datum Romae, apud S. Petrum, die primo mensis Martii, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo tertio, Pontificatus Nostri quinto.

Pro S. R. E. Cancellario

œ **IOANNES** H. Card. **CICOGNANI**
a publicis Ecclesiae negotiis

GREGORIUS P. Card. **AGAGIANIAN**
S. Congr. de Prop. Fide Praefectus

Franciscus Tinello
Apostolicam Cancellariam Regens

Caesar Federici, *Proton. Apost.*
Iosephus Rossi, *Proton. Apost.*

Loco £B Plumbi

In Ap. Cane, tab., vol. CXII, n. 1J¡:

X

DE VIENTIANE
(LUANGPRABANGENSIS)

Nonnullis territoriis detractis a vicariatu apostolico de Vientiane, novus quidam vicariatus conditur « Luangprabangensis » nomine.

IOANNES EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ex quo Christus, divinus hominum Redemptor, ea verba Apostolis fecit : « Euntes ergo in mundum universum, praedicate Evangelium omni creaturae » *(Me,* 16, 15), ex eo sane tempore Ecclesia sancta, mater populorum, quos Christo parit, nihil habuit umquam sollemnius, nihil sanctius quam ut nomen, doctrinam, praecepta christiana in gentes dissiparet, ex omnibusque nationibus, quotquot in orbe terrarum exstar rent, populum faceret singularem, gentem videlicet sanctam, regale sacerdotium (cfr. *II Pt.* 2, 9) lucisque veritatisque sequacem. Quoniam ergo religionis dilatándae atque intendendae,causa huic Apostolicae Sedi propositum est ut novus in Indosina vicariatus apostolicus excitaretur, Nos, re bene reputata, precibus admotis concedendum esse indicavimus. Quae cum ita sint, consilio petito a venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus Sacrae Congregationi Fidei Propagandae praepositis, de sententia dilecti Filii Francisci De Nittis, interim curam agentis negotiorum Sanctae Sedis in Delegatione Apostolica Indosinensi, de Nostra auctoritate haec quae sequuntur decernimus et iubemus. Ab apostolico vicariatu de Vientiane territoria detrahimus, quae civiles districtus, uti vocantur, constituunt qui vulgari lingua Luang Prabang, Phong Saly, Houa Khong et Saya Boury cognominantur. Quibus omnibus terris novum vicariatum apostolicum condimus, *Luangprabangensem* appellandum, a Patribusque Congregationis Missionariorum Oblatorum Beatae Mariae Virginis Immaculatae regendum. Quos vehementer hortamur ut, uno Christi amore moti, nulli pareant labori ut quam latissime Christi regnum prorogent. Ceterum has Litteras Nostras idem dilectus Filius Franciscus De Nittis exsequi curabit, vel quem ille delegaverit, factis ad id necessariis potestatibus. Re vero acta, docu-

menta exarentur, eademque sinceris exemplis ad Sacram Congregationem Christiano Nomini Propagando cito mittantur. Quod si alius eo tempore negotia gerat Apostolicae Sedis in ea Natione, hic mandata Nostra faciat.

Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et iore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur.

Datum Romae, apud S. Petrum, die primo mensis Martii, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo tertio, Pontificatus Nòstri quinto.

Pro S. B. E. Cancellario
© **IOANNES** H. Card. **CICOGNANI**
a publicis Ecclesiae negotiis

GREGORIUS P. Card. **AGAGIANIAN**
S. Congr. de Prop. Fide Praefectus

Franciscus Tinello
Apostolicam Cancellariam Regens

Caesar Federici, *Protón. Apost.*
Iosephus Rossi, *Proton. Aposi.*

Loco £8 **Plumbi**

In Ap. Cane, tab., vol. CXII, n. 19.

v

LITTERAE APOSTOLICAE

I

Sanctus Gabriel Archangelus omnium cum auctoritate Legatorum Reipublicae Argentinae praecipuus Patronus eligitur.

IOANNES PP. XXIII

Ad perpetuam rei memoriam. — Munerum officiorumque similitudo illud saepius efficere solet, ut certis civium ordinibus, ex innúmera Sanctorum Caelitum multitudine electi, praefiniantur Patroni. Quod si ita est, opportunum profecto est iudicandum Sanctum Gabrielem eorum renuntiari Patronum, qui legationes, rei publicae causa, gerant. Nemo est enim quin videat quandam iis Viris rationem cum Summi Dei Archangelo intercedere. Nobilissimum quippe legatorum officium, etsi in publicis inter Civitates rebus pertractandis atque in earum gerendis negotiis consistit, ita ut nihil aliud nisi humanum in se habere videatur, virtutes tamen et animi vires, honestatem in primis ac prudentiam, requirit, cum ad summa populorum bona, pacem videlicet et iustitiam, servanda ac tuenda pertineat. Sed qui fingi potest praestantior et clarior Gabriele Archangelo orator? Qui quidem, Deum inter et homines tamquam medius, Danieli prophetae mirabilem visum revelando aperuit Christique venturi oraculum edidit; qui Zachariae sacerdoti novum filii ortum praedixit; qui denique, Mariam Virginem ((mysterium a saeculis absconditum » dum docet, universae terrae Deum humanam suscepisse carnem nuntiavit. Aeternae sane pacis interpres atque sapientissimi consilii nuntius est praedicandus, absolutissimumque perfecti exemplar legati a publicis habeatur ministris necesse est. Tali enim Patrono putamus insigne legationis munus ad altiorem evehi ordinem, ubi fides, spes et caritas, quae sunt Christianae propria religionis, adsunt. Idcirco Dilectus Filius Illustris et Honorabilis Vir, qui in Argentinorum Republica cum exteris gentibus negotia moderatur, a Nobis petiit ut Gabrielem, caelestem nuntium, omnium suae Civitatis Legatorum cum auctoritate eligere dignaremur. Nos autem, huiusmodi postulationi esse libenti animo concedendum rati, ex Sacrae Rituum Congregationis consulto, omnibus attente perpensis, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum Sanctum Gabrielem Archangelum Legatorum omnium cum auctoritate Reipublicae Argentinae praecipuum apud

Deum *Patronum* constituimus ac declaramus, omnibus adiectis honoribus ac privilegiis liturgicis, quae praecipuis coetuum Patronis rite competunt. Contrariis quibusvis nihil obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes has Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere ;-illisque ad quos spectant, seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari ; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXIX mensis Ianuarii, anno MCMLXII, Pontificatus Nostri quarto.

B HAMLETUS I. Card. CICOGNANI
a publicis Ecclesiae negotiis

II

Titulo ac privilegiis Basilicae Minoris honestatur ecclesia B. Mariae Virginis a Salute, in oppido « Vailankanni », dioecesis Taniorensis.

IOANNES PP. XXIII

Ad perpetuam rei memoriam. — Salutem supplicibus dilargiens praevalida deprecatione sua, Augusta Virgo Maria in nobili ecclesia, quae in Indico oppido ((Vailankanni», intra fines Taniorensis dioecesis, esse cognoscitur, impensis, ut accepimus, obsequiis colitur. Ingens enim multitudo hominum, e dissitis etiam partibus, eo accedere consuevit et sacra ibi participare, praesertim cum novendialis supplicatio ante .festum Nativitatis Deiparae eiusdem agitur, ita ut hoc Sanctuarium « Lapurdum orientale» non immerito appelletur. Quod singulare religionis marialis studium a satis antiqua repetitur aetate, siquidem, ut est memoriae proditum, saeculo xvn navigatores Lusitani, ex hórrida tempestate ac naufragio clementissimae Matris auxilio erepti, eo loco, quo appulerant, ad oppidum nempe « Vailankanni », parvam aedem sospitatricis suae honori exstruxerunt et postmodum sacris imaginibus Sinënsium arte fahre factis ornarunt. Ex quo tempore haec pietatis sedes immensum inclaruit. Ante xxx fere annos mariale templum, quod nunc conspicitur, opere egregio est aedificatum, in quo vetus effigies Opiferae Virginis Mariae, quae prodigiali etiam modo flagitantium preces fertur audivisse, pie asservatur. Idem praeterea tam alacris pietatis

domicilium marmore vario renidet iisque rebus est affatim praeditum, quibus ritibus divinis decus accrescat. Quae reputans cum animo, Venerabilis Frater Rajarethinam Arokiaswami Sundaram, Taniorensis Episcopus, Nos rogavit, ut templum, tot tantisque populi concursibus celebratum, Basilicae Minoris nomine ac iure donaremus. Quibus precibus libenti benignoque animo admissis, Nos, e Sacrae Rituum Congregationis consulto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum ecclesiam Deo in honorem Beatae Mariae Virginis a Salute consecratam et in oppido « Vailankanni », intra Taniorensis dioecesis fines, positam, ad honorem ac dignitatem *Basilicae Minoris* evehimus, omnibus adiectis iuribus ac privilegiis, quae templis eodem nomine insignibus rite competunt. Contrariis quibusvis non obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere ; illisque, ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari ; sicque rite iudicandum esse ac definiendum ; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die III mensis Novembris, anno MCMLXII, Pontificatus Nostri quinto.

86 HAMLETUS I. Card. CICOGNANI
a publicis Ecclesiae negotiis

III

Beata Maria Virgo « Dei Valle » caelestis Patrona principalis, S. Ioseph, eiusdem Deiparae Sponsus, et S. Franciscus Solano Conf. caelestes Patroni secundarii pro tota Anatuyanensi dioecesi declarantur.

IOANNES PP. XXIII

Ad perpetuam rei memoriam. — Quam mirum pietatis incrementum, in dioecesibus praesertim novissime conditis, ex superno oriatur patrocinio probe noscentibus, periucunda Nobis pervenit supplicatio qua Venerabilis Frater Georgius Gottau, Anatuyanensis Episcopus, a Nobis efflagitat, ut sua dioecesis, per Nosmet Ipsos in Republica Argentina nuper rite constituta, peculiari caelesti tutela obtegatur. Rettulit enim Praesul ipse Beatam Virginem Mariam « Dei Valle » nuncupatam atque

Sanctos Ioseph, eiusdem Deiparae Sponsum, et Franciscum Solanum a fidelibus pastorali suae curae commissis tanta veneratione excoli, ut eos tamquam Patronos iam sibi elegisse videantur. Ut vero huiusmodi fidelium pietas Apostolica firmetur auctoritate, memoratus Episcopus, nomine quoque utriusque Cleri omniumque civium, enixis Nos adit precibus, ut liberum hoc publicumque religionis testimonium supremo Nostro roboretur praesidio. Nos autem, de spirituali populi bono solliciti, huiusmodi precibus annuendum perlibenter censemus. Quapropter, ex Sacrae Rituum Congregationis consulto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum, totius Anatuyanensis dioecesis Beatam Mariam Virginem, vulgo « Dei Valle » nuncupatam, *principalem* apud Deum *Patronam,* Sanctum vero Ioseph, eiusdem Deiparae Sponsum, et Sanctum Franciscum Solanum, ex Ordine Fratrum Minorum Sacerdotem et Confessorem, caelestes *Patronos secundarios,* omnibus et singulis honoribus ac privilegiis liturgicis adiectis, locorum Patronis rite competentibus, confirmamus seu denuo declaramus et constituimus. Contrariis quibusvis minime obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere ; illisque ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc et in posterum, plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum ; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter contigerit attentari.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die ix mensis Novembris anno MCMLXII, Pontificatus Nostri quinto.

© **HAMLETUS** I. Card. **CICOGNANI**
a publicis Ecclesiae negotiis

IV

Titulus ac privilegia Basilicae Minoris tribuuntur collegiali ecclesiae Sanctae Mariae Novae in urbe « Abbiategrasso », archidioecesis Mediolanensis.

IOANNES PP. XXIII

Ad perpetuam rei memoriam. — Spectabile pietatis monumentum artisque opus singulare perhibetur esse templum collegiale nascenti Deiparae sacrum, cui vulgatum est inditum nomen Sancta Maria Nova quoque urbs « Abbiategrasso)), in finibus archidioecesis Mediolanensis

sita, maxime nobilitatur. Id enim anno MCCCLXV coeptum est exstrui studio sodalitatis seu « Scholae » Beatae Mariae Virginis a Misericordia, caritatis officiis tunc temporis memorabili cum industria deditae. Ad quam ecclesiam, e conditorum voluntate non modica magnificentia et « opere plurimum sumptuoso » aedificandam, cives libéralissime stipem contulerunt. Structurae vero genus, initio Gothicum-Longobardicumv quemadmodum appellatur, per subsequentes hominum aetates, novis; inductis formis, praesertim cum Franciscus Croce architectus interiorem partem reiecit, mutatum est quidem, templum vero imaginum, signorum ornamentorumque copia auctum. Summam autem laudem habere dicitur pronaos, qui a Donato Bramante, mirabilis ingenii artifice,, ut ferunt, erectus est. In tam augusta aula Dei sacra digne celebrari consueverunt, siquidem a Sancto Carolo Borromaeo, Mediolanensium Archiepiscopo, canonicorum collegium ibi est institutum, quo maior divinis ritibus decor accrescerei. Est etiam commemorandum de sacello Beatae Mariae Virginis Perdolentis, quod in porticu ecclesiae continenti positum, fideles plurimos, peregrinantium etiam more accedentes, ad se convertit. Tot igitur laudibus insignis templi dignitatem adaugere cupiens, dilectus filius Antonius Tosi, collegialis eiusdem ecclesiae Praepositus, Nos submisse rogavit, ut huic Basilicae Minoris nomen et ius pro Nostra benignitate tribueremus. Quibus precibus, Dilecti Filii Nostri Ioannis Baptistae Sanctae Romanae Ecclesiae Presbyteri Cardinalis Montini, Mediolanensis Archiepiscopi, amplissima commendatione suffultis, libenti animo concedere statuimus. Quae cum ita sint, Nos, e Sacrae Rituum Congregationis consulto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum collegialem ecclesiam Sanctae Mariae Novae, quae est in urbe « Abbiategrasso » vulgo nuncupata, ad dignitatem et honorem *Basilicae Minoris* evehimus, omnibus adiectis iuribus et privilegiis, quae sacris aedibus hoc nomine insignitis rite competunt. Contrariis quibusvis non obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere ; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere ; iisque, ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari ; sicque rite iudicandum esse ac definiendum ; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XIII mensis Novembris, anno MCMLXII, Pontificatus Nostri quinto.

SB **HAMLETUS** I. Card. **CICOGNANI**
a publicis Ecclesiae negotiis

V

Titulus ac privilegia Basilicae Minoris conferuntur ecclesiae vulgo appellatae « do Senhor Born Jesus de Iguape », dioecesis Santosensis.

IOANNES PP. XXIII

Ad perpetuam rei memoriam. — Pietatis veluti palaestra ac domicilium praeclarissimum merito habetur vetus sanctuarium, quod, vulgari sermone « do Senhor Born Jesus de Iguape)) appellatum, finibus dioecesis Santosensis continetur. Hoc enim templum, religiosis sodalibus Societatis Verbi Divini creditum, maximis celebratur concursibus populi, non solum é finitimis sed e longinquis etiam regionibus eo adventantis, ut Christi Domini Imaginem, anno MDCXLVII advectam, in«ensis excolat obsequiis ac praesertim salutaribus Ecclesiae subsidiis animos suos expiet ac divino roboret pabulo. Quod praecipue fieri contingit quotannis mense Augusto ineunte, quo summae caerimoniae religionis eo loco agi consueverunt. Tam alacri plebis christianae studio permota, Apostolica haec Sedes eximium munus de thesauro Ecclesiae depromptum, Indulgentiam dicimus plenariam, sacrae peregrinationis causa eo accedentibus et illud a tribus saeculis veneratum Simulacrum pie visentibus concessit atque indulsit, ut a die xxvin mensis Iulii ad diem VII Augusti praecepto singulis annis admissa rite confitendi et Eucharisticam mensam participandi satisfieret. Ad has autem, quae maximi faciendae sunt, laudes accedit, ut ecclesia molis amplitudine, egregio structurae genere, quod a coloniis nomen accepit, pretiosa supellectile aliisque commendetur lautitiis. Cupiens autem insignem hanc sedem cultus Divini Redemptoris, nostri causa probra et cruciatus perpessi, amplissimo honore augere, Venerabilis Frater Idilius Iosephus Soares, Santosensis Episcopus, Nos rogavit, ut ei Basilicae Minoris nomen atque ius benigne tribueremus. Quibus precibus libenter admissis, Nos, e Sacrae Rituum Congregationis consulto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum ecclesiam vulgo appellatam ((do Senhor Born Jesus de Iguape », in ipsa urbe ((Iguape » ac dioecesi Santosensi positam, ad dignitatem *Basilicae Minoris* evehimus, omnibus adiectis iuribus ac privilegiis, quae templis eodem nomine insignibus rite competunt. Contrariis quibusvis non obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas

atque efficaces iugiter exstare ac permanere ; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; iisque, ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari ; sicque rite iudicandum esse ac definiendum ; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die ixxix mensis Novembris, anno MCMLXII, Pontificatus Nostri quinto.

© **HAMLETUS I.** Card. **CICOGNANI**
a publicis Ecclesiae negotiis

VI

Titulo ac privilegiis Basilicae Minoris ecclesia Sancti Francisci a Iesu, in urbe Lima exstans, decoratur.

IOANNES PP. XXIII

Ad perpetuam rei memoriam. — Tot inter ac perpulchra templa, quae urbem Limam, orae immensi maris Pacifici lumen, Venustiorem efficiunt, illa merito numeratur ecclesia Sancti Francisci a Iesu, quae, 'magnae quidem continens domui Fratrum Franciscanum, multam sui movet admirationem tum ob ortus antiquitatem eximiumque architectandi genus, tum ob rei divinae diligentiam sacraque cultus fervorem. Iam inde enim a deductae coloniae temporibus religiosa est condita provincia, quae, Duodecim Apostolorum nomine distincta, latissime patuit terrasque multas in coenobiali tenuit dicione. Sodales autem, tam bene de Peruviana natione meriti quod ad Evangelii attinet disseminationem, prope maximum — ut appellaverunt — coenobium aedem exstruendam curaverunt, elatam sane tribusque assurgentem alis. Quae prior ecclesia, cum terrae concussione disiecta esset, amplior splendidior resurrexit, lata etiam adnexa area ac prope aedicula Beatae Mariae Virgini a Miraculis dedicata. Verum hisce commemoratis, quae ad aedificium tantum spectant, ea est laudibus celebranda religionis alacritas, cuius praeclara testimonia quasi quadam sacra ab arce prodierunt continenter. Ibi suas fuderunt preces — quod sane templo vertit in honorem — viri insignes sanctimonia, ut Turibius Alfonsus de Mogrovejo, alter Limanus Antistes, atque Franciscus Solano, qui magnus

fidei praeco, cum extremum vitae tempus in coenobio egisset, sacro hoc loco conditus est. Hodieque quod diximus studium, nihil intermissum, uberes edit fructus fidemque christiani populi ostendit aperte. Alitur ibidem pietas erga augustum Christi Sacramentum; alitur pietas erga almam Christi Matrem, neque desunt sodalitates, quarum sit proprium sive cultus officia sive opera exsequi caritatis. His omnibus expensis, dilectus filius provinciae Franciscali a Duodecim Apostolis Praepositus, datis ad Nos litteris, demisse petiit ut templum, tot laudibus praestans, pro Nostra auctoritate ad gradum Basilicae Minoris eveheremus. Quod votum, amplissima commendatione Dilecti Filii Nostri Ioannis S. R. E. Presbyteri Cardinalis Landázuri Ricketts, Archiepiscopi Limani, suffultum, nec non Venerabilis Fratris Romuli Carboni, Archiepiscopi tit. Sidoniensis Nostrique in Peruviana Republica Apostolici Nuntii, atque Procuratoris Generalis Ordinis Fratrum Minorum, benigno animo statuimus explere. Quapropter, ex Sacrae Rituum Congregationis consulto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra, deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum, Limanam ecclesiam, Deo in honorem Sancti Francisci a Iesu consecratam, titulo ac dignitate *Basilicae Minoris* condecoramus atque augemus, omnibus adiectis iuribus ac privilegiis, quae templis eodem nomine insignibus rite competunt. Contrariis quibusvis nihil obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque, ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xi mensis Ianuarii, anno MCMLXIII, Pontificatus Nostri quinto.

© **HAMLETUS** I. Card. **CICOGNANI**
a publicis Ecclesiae negotiis

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

I

BELLOHORIZONTINAE - MARIANENSIS - OLIVEIRENSIS - SEPTEMLACUNENSIS - DIVINOPOLITANAE - LUCEATINAE

DECRETUM

De mutatione finium dioecesium

Concrediti gregis spirituali bono apprime studentes, Excmi PP. DD. Ioannes Rezende Costa, Archiepiscopus tit. Martiropolitanus, Coadiutor cum iure successionis et Administrator Apostolicus archidioecesis Bellohorizontinae, Anscharius de Oliveira, Archiepiscopus Marianensis, Iosephus de Medeiros Leite, Episcopus Oliveirensis, Iosephus de Almeida Batista Pereira, Episcopus Septemlacunensis, Christianus Portela de Araujo Pena, Episcopus Divinopolitanus et Belchior Ioaquim da Silva Neto, Episcopus tit. Cremnensis, Coadiutor cum iure successionis et Administrator Apostolicus dioecesis Luceatinae, ab Apostolica Sede enixe expostulaverunt ut suarum dioecesium fines aliquantulum immutarentur et ita aptius disponerentur.

Sacra Congregatio Consistorialis, praehabito favorabili voto Excmi P.D. Armandi Lombardi, Archiepiscopi tit. Caesariensis Philippi et in Brasilia Apostolici Nuntii, vigore specialium facultatum sibi a Ssmo Domino Nostro Paulo, Divina Providentia Pp. VI, tributarum, oblatis precibus annuere dignata est.

Quapropter, suppleto, quatenus opus sit, eorum interesse habentium vel habere praesumentium consensu, praesenti Consistoriali Decreto :

1 - Ab archidioecesi Bellohorizontina separat :

a) parvum quoddam territorium vulgo dictum « Povoado dos Lopes », ad municipium vulgo « Candeias » appellatum pertinens, illudque tribuit dioecesi Oliveirensi, ita ut integrum territorium praefati municipii « Candeias », prouti in praesens per legem civilem circumscribitur, sub iurisdictione Episcopi Oliveirensis maneat;

ö) identidem parvum territorium municipii « Bom Despacho »,

quod vulgo nuncupatur « Cápela dos Alves », et dioecesi Luceatinae perpetuo adscribit;

c) territoria cappellarum vulgo nuncupatarum « **Sao** José do Felipe» et ((Santo Antonio do Morro Vermelho », quae etiam vocatur « Teixeiras », ad paroeciam « Taquaraçu de Minas » pertinentia, et dioecesi Septemlacunensi adnectit, ita ut integrum territorium municipii « Jaboticatubas » sub iurisdictione Episcopi Septemlacunensis maneat ;

d) territoria cappellarum vulgo « Nossa Senhora da Conceiçâo » in « Conceiçâo do Rio Acima » et « Santo Antonio de Vigario da Vara », ad paroeciam « Caeté » pertinentia, et archidioecesi Marianensi adnectit, ita ut integrum territorium municipii « Santa Barbara » sub iurisdictione Archiepiscopi Marianensis maneat ;

e) territoria cappellarum vulgo « Säo Geraldo de Jacaranda », et ((Xossa Senhora das Graças de Sesmaria », quae exstant intra fines paroeciae « Belo Vale », et archidioecesi Marianensi tribuit, ita ut integrum territorium municipii « Jaceaba », prouti in praesens per legem civilem terminatur, sit sub iurisdictione Archiepiscopi Marianensis.

2 - Vicissim, ab archidioecesi Marianensi distrahit:

a) integrum territorium paroeciae vulgo appellatae « Säo José do Paraopeba », ad municipium « Brumadinho » pertinens, illudque archidioecesi Bellohorizontinae tribuit, ita ut integrum territorium municipii ((Brumadinho » iurisdictioni Archiepiscopi Bellohorizontini subiciatur ;

o) identidem, territoria cappellarum vulgo <(Nossa Senhora da Conceiçâo de Arrojado Lisboa » et « Nossa Senhora do Parto de Chacrinha », intra limites paroeciae « Jeceaba » exstantia, illaque archidioecesi Bellohorizontinae adnectit, ita ut integrum territorium, prouti nunc civili lege terminatur, municipii « Belo Vale » sub iurisdictione Archiepiscopi Bellohorizontini maneat.

3 - Tandem a dioecesi Septemlacunensi separat territoria cappellarum quae vulgato nomine cognominantur « Sant'Ana de Cachoeirinha » et « Nossa Senhora da Conceiçâo de Urucuia », ad paroeciam « Fortuna de Minas » pertinentia, illaque perpetuo adscribit archidioecesi Bellohorizontinae, ita ut integrum municipium « Esmeraldas », prouti in praesens civili lege circumscribitur, sub iurisdictione Archiepiscopi Bellohorizontini sit.

Sacra Congregatio Consistorialis, sic immutatis praedictarum archidioecesium et dioecesium finibus, mandat ut documenta et singula acta illa territoria respicientia a Curia *a qua* sunt distracta ad Curiam dioe-

ceseos cui noviter sunt aggregata, tradantur; ad clerum quod attinet, decernit ut, simul ac praesens Decretum ad effectum deductum fuerit, eo ipso sacerdotes Ecclesiae illi censeantur adscripti in cuius territorio beneficium aut officium ecclesiasticum legitime detinent; ceteri autem sacerdotes, clerici, seminariique tirones dioecesi illi incardinati maneant vel incardinentur in cuius territorio legitimum habeant domicilium.

Ad haec omnia exsecutioni mandanda eadem Sacra Congregatio Consistorialis memoratum Excmum P. D. Armandum Lombardi deputat, necessarias et opportunas eidem tribuens facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad eamdem Sacram Congregationem, quam primum, authenticum exemplar actus peractae exsecutionis remittendi.

Quibus super rebus praesens edit Consistoriali Decretum perinde valiturum ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis Consistorialis, die 11 mensis Novembris anno 1963.

CAROLUS Card. **CONPALONIBRI**, *a Secretis*

L. © S.

f Franciscus Carpino, Archiep. Sèrdicen., *Adsessor*

n

BELEMENSIS DE PARA - XINGUENSIS - MARAJENSIS

DECRETUM

De mutatione finium

Cum territoria municipiorum quae vulgo nuncupantur Portel et Melgaço, ob erectam praelaturam *nullius* Petrosi Culminis, seiuncta manserint a territorio archidioecesis Belemensis dg Para, cui adscripta sunt, ad earum animarum bono consulendum, Excmi PP. DD. Albertus Gaudentius Ramos, Archiepiscopus Belemensis de Para, et Gregorius Alonso Aparicio, Episcopus tit. Poglensis et Praelatus *nullius* Marajensis, praehabito favorabili voto Excmi P. D. Armandi Lombardi, Archiepiscopi tit. Caesariensis Philippi et in Brasilia Apostolici Nuntii, ab Apostolica Sede enixe expostulaverant ut territoria praefatorum mu-

nicipiorum Portel et Melgaço ab archidioecesi Belemensi de Para distraherentur et praelaturae *nullius* Marajensi adnecteretur.

Haec Sacra Congregatio Consistorialis, rata huiusmodi immutationem bono animarum profuturam, vigore specialium facultatum sibi a Ssmo Domino Nostro Paulo, Divina Providentia Pp. VI, tributarum, porrectis precibus annuere dignata est.

Quapropter, suppleto, quatenus opus sit, eorum interesse habentium vel habere praesumentium consensu, praesenti Decreto separat ab archidioecesi Belemensi de Para memorata territoria municipiorum Portel et Melgaço illaque tribuit praelaturae *nullius* Marajensi; distrahit praeterea a praelatura *nullius* Xinguensi illam parvam partem territorii municipii Melgaço, ad ipsam pertinentem, illamque adnectit praelaturae *nullius* Marajensi, ita ut integra territoria municipiorum Portel et Melgaço, prouti in praesens per legem civilem terminantur, sub iurisdictione Praelati *nullius* Mara jen sis sint.

Omnia acta et documenta praefata territoria respicientia a tabulariis Curiarum Belemensis de Para et Xinguensis ad tabularium Curiae Marajensis, quam primum, transmittantur; ad clerum vero quod attinet, haec Sacra Congregatio decernit ut, simul ac praesens Decretum ad effectum deductum fuerit, sacerdotes in memoratis territoriis beneficium aut officium ecclesiasticum legitime detinentes, clerici seminariique tirones legitimum domicilium habentes, praelaturae *nullius* Marajensi incardinati maneant.

Ad haec omnia perficienda, haec Sacra Congregatio memoratum Excmum P. D. Armandum Lombardi deputat, necessarias et opportunas facultates eidem tribuens etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad eandem Sacram Congregationem Consistorialem authenticum exemplar actus peractae exsecutionis remittendi.

Quibus super rebus praesens edit Consistoriale Decretum perinde valiturum ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent.

Datum Romae, ex Aedibus S.O. Consistorialis, die 18 mensis Novembris anno 1963.

CAROLUS Card. **CONPALONIERI,** *a Secretis*

L. $ S,

f Franciscus Carpino, Archiep. Serdicen., *Adsessor*

(

III

BOSNENSIS ET SYRMIENSIS (DIACOVENSIS)

DECRETUM

De mutatione nominis

Per Apostolicas Litteras sa. me. Leonis Papae XIII « Ex hac augusta » diei 5 Iulii 1881 instituta in Bosniae et Herzegovinae provinciis episcopali Hierarchia atque dismembrato, hanc ob causam, territorio dioecesis Bosnensis, cui, a fel. rec. Clemente XIV, Apostolicis Litteris « Universi orbis Ecclesiis » die 9 Iulii 1773 datis, finitima Ecclesia Sirmiensis aeque principaliter et in perpetuum fuit unita, nomen dioecesis non amplius constitutis finibus congruit ; praeterea, ob peculiaria rerum adiuncta, superioribus saeculis, episcopalis sedes Bosnensis in urbem vulgo « Djakovo » translata fuerat ibique adhuc exstat.

His spectatis, Excmus P. D. Stephanus Bäuerlein, Episcopus Bosnensis et Syrmiensis, nuper ab Apostolica Sede expostulavit ut, yetere retento nomine, memorata Ecclesia Bosnensis eiusque pro tempore Antistes a civitate episcopali « Diacovensis » appellaretur.

Porro Ssmus Dominus Noster Paulus, Divina Providentia Pp. VI, re mature perpensa, de consilio infrascripti Cardinalis Sacrae Congregationis Consistorialis a Secretis, porrectis precibus benigne annuendum censuit.

Quapropter, suppleto, quatenus opus sit, eorum interesse habentium vel habere praesumentium consensu, praesenti Consistoriali Decreto, perinde valituro ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent, statuit ac decrevit ut in posterum, vetere quoque titulo retento, dioeceses Bosnensis et Sirmiensis eorumque pro tempore Antistes « Diacovensis seu Bosnensis et Sirmiensis » nuncupentur.

Contrariis quibusvis minime obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis Consistorialis, die 18 Novembris 1963.

CAROLUS Card. CONFALONIERI, *a Secretis*

L. © S.

t Franciscus Carpino, Archiep. tit. Serdicen., *Adsessor*

IV

PARANENSIS

DECRETUM

De Capituli metropolitani mutatione

Ad maiorem divini cultus splendorem promovendum, Excmus P. D. Adulfus Servandus Tortolo, Archiepiscopus Paranensis, supplices Apostolicae Sedi porrexit preces ut Paranense Capitulum, per Apostolicas sub plumbo Litteras « Vel a primis . . . » diei 13 mensis Iunii anno 1859 erectum, et metropolitica dignitate die 20 mensis Aprilis anno 1934 decoratum, nova constitueretur ratione.

Sacra Congregatio Consistorialis, praehabito favorabili voto Excmi P. D. Hümberti Mozzoni, Archiepiscopi titularis Sidetani et in Republica Argentina Apostolici Nuntii, precibus annuendum censuit.

Quapropter, vigore specialium facultatum sibi a Ssmo Domino Nostro Paulo, Divina Providentia PP. VI, tributarum, suppleto, quatenus opus sit, eorum interesse habentium vel habere praesumentium consensu, praesenti Consistoriali Decreto, perinde valituro ac si Apostolicae Litterae datae forent, in Paranensi Capitulo quattuor novos canonicatus instituit, cum omnibus iuribus, honoribus et muneribus quae canonicis eiusdem Capituli ex iure communi, ex capitularibus constitutionibus atque peculiaribus privilegiis competunt.

Paranense itaque Capitulum constabit deinceps duobus dignitatibus, decano videlicet, archidecano et octo canonicis.

Ad haec omnia perficienda eadem Sacra Congregatio Consistorialis memoratum Ëxcmum P. D. Ilumbertum Mozzoni deputat, necessarias et opportunas eidem tribuens facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad eandem Sacram Congregationem, cum primum fas erit, authenticuni exemplar actus peractae exsecutionis remittendi.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis Consistorialis, die 5 mensis Decembris anno 1963.

CAROLUS Card. **CONPALONIBRI,** *a Secretis*

L. © S.

f Franciscus Carpino, Archiep. tit. Serdicen,. ***Adsessor***

V

FABRIANENSIS ET MATHELICENSIS

DECRETUM

De erectione dignitatum Decanatus et Archidiaconatus in Capitulo Cathedrali Fabrianensi.

Cum Excmus P. D. Macarius Tinti, Episcopus Fabrianensis et Mathelicensis, ad augendum decus et ornamentum Capituli Cathedralis Fabrianensis nuper porrexerit preces, ut in eodem Capitulo Cathedrali Fabrianensi, in quo una tantum in praesens exstat *Prioratus* dignitas, duae novae erigerentur dignitates, nomine *Decani* et *Archidiaconi* appellandae, Sacra Congregatio Consistorialis, vigore specialium facultatum sibi a Summo Pontifice Paulo Divina Providentia Pp. VI tributarum, oblatis precibus annuendum censuit.

Quapropter suppleto, quatenus opus sit, eorum interesse habentium vel habere praesumentium consensu, praesenti Consistoriali Decreto, in Capitulo Cathedrali Fabrianensi dignitates Decanatus et Archidiaconatus perpetuo erigit atque constituit.

Dignitatum autem hic erit ordo : *Prioratus* prima, *Decanatus* altera, et *Archidiaconatus* tertia.

Ita constitutae dignitates omnibus iuribus et privilegiis cohonestabuntur, quibus capitulares dignitates iure communi fruuntur et gaudent : earumdem vero collatio ad normam sacrorum canonum Apostolicae Sedi reservatur.

Sacra Congregatio Consistorialis tamen, hoc Decreto, Decanatus dignitatem R. P. D. Petro Ragni et dignitatem Archidiaconatus R. P. D. Dario Mei, eiusdem Capituli Cathedralis Fabrianensis canonicis, pro hac vice confert.

Ad haec omnia perficienda eadem Sacra Congregatio Consistorialis deputat memoratum Excmum P. D. Macarium Tinti, eique necessarias et opportunas tribuens facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad Sacram Congregationem Consistorialem quam primum remittendi authenticum exemplar actus peractae exsecutionis.

Quibus super rebus hoc edit Consistoriale Decretum perinde valiturum ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent.

Contrariis quibusvis minime obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis Consistorialis, die 6 mensis Decembris anno 1963.

CAROLUS Card. **CONPALONIBRI,** *a Secretis*

L. $ S.

f Franciscus Carpino, Archiep. Serdicen., *Adsessor*

VI

NOMINATIO

Decreto die 9 Novembris a. 1963 dato, Sacra Congregatio Consistorialis Excmum P. D. Iosephum N. de Almeida Batista, Archiepiscopum Brasiliapolitanum, *Vicarium Castrensem* Brasilianae Reipublicae nominavit ac constituit.

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA ROMANA ROTA

Citationes edictales

I

BOSTONIEN.

Nullitatis matrimonii (Reino - Mannion)

Cum ignoretur locus actualis commorationis domini Ioannis Mannion, conventi in causa, eumdem citamus ad comparendum coram Sacra Romana Rota (Piazza delia Cancellería, 1 - Roma), aut per se aut per procuratorem legitime constitutum, in diem 4 Maii 1964, hora undecima, pro concordatione vel subsignatione dubii quod sequitur :

An constet de nullitate matrimonii, in casu.

Ordinarii locorum, parochi, et fideles quicumque notitiam habentes actualis commorationis praedicti domini Ioannis Mannion, curare debent ut ipse de hac edictali citatione rite moneatur. *

Gerardus M. Rogers, *Ponens*

Ex Cancellaria Tribunalis S. R. Rotae, die 5 Februarii a. 1964.

Marius F. Pompedda, *Notarius*

* Etant inconnu le lieu de la demeure actuelle de M. Jean Mannion, défendeur en cette cause, nous le citons à comparaître, par propre personne ou par un procureur légitimement constitué, au siège du Tribunal de la **S.** Rote Romaine (Roma, Palazzo della Cancelleria) le 4 mai 1964, à 11 heures, pour concorder ou souscrire le doute ci-dessous rapporté :

Conste-t-il de la nullité du mariage, dans le cas?

Les Ordinaires des lieux, les curés, les prêtres, les fidèles ayant connaissance du lieu de la résidence dudit M. Jean Mannion, devront, dans la mesure du possible, l'avertir de la présente citation.

II

NORTHANTONIEN.

Nullitatis matrimonii (Fisher - Harrison)

Cum ignoretur locus actualis commorationis dominae Ioannae Harrison, seu Joan Harrop, in causa de qua supra conventae, eamdem citamus ad comparendum, aut per se aut per procuratorem legitime constitutum, coram Sacra Romana Rota (Piazza della Cancelleria, 1 - Roma), in diem 1 Iunii 1964, hora undecima, pro concordatione vel subsignatione dubii quod sequitur :

An constet de nullitate matrimonii, in casu.

Ordinarii locorum, parochi, fideles quicumque notitiam habentes actualis commorationis praedictae dominae Ioannae Harrison seu Joan Harrop, curare debent ut ipsa de hac edictali citatione rite moneatur. *

Petrus Mattioli, *Ponens*

Ex Cancellaria Tribunalis S. R. Rotae, die 10 Februarii a. 1964.

Marius F. Pompedda, *Notarius*

* Etant inconnu le lieu de la demeure actuelle de M.me Jeanne Harrison dite Joan Harrop, défenderesse en cette cause, nous la citons à comparaître, par propre personne ou par un procureur légitimement constitué, au siège du Tribunal de la S. Rote Romaine (Roma, Palazzo della Cancelleria) le 1 juin 1964, à 11 heures, pour concorder ou souscrire le doute ci-dessous rapporté:

Conste-t-il de la nullité du mariage, dans le cas?

Les Ordinaires des lieux, les curés, les prêtres, les fidèles ayant connaissance du lieu de la résidence de ladite Jeanne Harrison dite Jean Harrop, devront, dans la mesure du possible, l'avertir de la présente citation.

III

AURELIANEN.

Nullitatis matrimonii (Sevin - Alpennikoff)

Cum ignoretur locus actualis commorationis dominae Nadiae Annae Ioannae Alpennikoff, in causa conventae, eamdem citamus ad comparen dum, vel per se vel per procuratorem legitime constitutum, coram Tribunali Sacrae Romanae Rotae (Piazza della Cancelleria, 1 - Roma), pro hora duodecima diei 30 Maii 1964, ad concordandum dubium, vel ad infrascriptum dubium subscribendum :

An constet de matrimonii nullitate, in casu.

Ordinarii locorum, parochi aliique notitiam habentes commorationis praedictae dominae Nadiae Annae Ioannae Alpennikoff, curare debent ut ipsa de hac edictali citatione rite moneatur. *

Carolus Lefebvre, *Ponens*

Ex Cancellaria Tribunalis S.R. Rotae, die 9 Martii a. 1964.

Marius P. Pompedda, *Notarius*

* Etant inconnu le lieu de la demeure actuelle de M.me Nadia Anne Jeanne Alpennikoff, défenderesse en cette cause, nous la citons à comparaître, par propre personne ou par un procureur légitimercen t constitué, au siège du Tribunal de la S. Rote Romaine (Roma, Palazzo della Cancelleria) le 30 mai 1964, à 12 heures, pour concorder ou souscrire le doute ci-dessous rapporté:

Gonste-t-il de la nullité du mariage, dans le cas?

Les Ordinaires des lieux, les curés, les prêtres, les fidèles ayant connaissance du lieu de la résidence de ladite Nadia Anne Jeanne Alpennikoff, devront, dans la mesure du possible, l'avertir de la présente citation.

TRIBUNAL VICARIATUS URBIS

Citatio edictalis

ROMANA

Nullitatis matrimonii (Marcucci - Nicola)

Cum ignoretur locus actualis commorationis domini Nicolai Marcucci, in causa de qua supra conventi, eumdem citamus ad comparendum coram Tribunali Primae Instantiae Vicariatus Urbis (Piazza S. Callisto, 16 - Roma), aut per se aut per procuratorem legitime constitutum, in diem 1 Iulii 1964, hora nona, pro concordatione sequentis dubii :

An constet de nullitate matrimonii, in casu.

Ordinarii locorum, parochi, fideles quicumque notitiam habentes actualis commorationis praedictae partis conventae, domini Marcucci Nicolai, curare debent ut ipse de hac edictali citatione rite moneatur. *

Dominicus Semproni, *Iudex Instructor*

Ex aedibus Tribunalis Vicariatus Urbis, die 29 Februarii a. 1964.

V. Frazzano, *Cancellarius*

* Etant inconnu le lieu de la demeure actuelle de M. Nicolas Marcucci, défendeur en cette cause, nous le citons à comparaître, par propre personne ou par un procureur légitimement constitué, au siège du Tribunal du Vicariat de Rome (Roma, Piazza S. Callisto, 16) le 1 juillet 1964, à 9 heures, pour concorder le doute ci-dessous rapporté:

Conste-t-il de la nullité du mariage, dans le cas?

Les Ordinaires des lieux, les curés, les prêtres, les fidèles ayant connaissance du lieu de la résidence dudit M. Nicolas Marcucci, devront, dans la mesure du possible, l'avertir de la présente citation.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

SACRA CONGREGAZIONE DEI RITI

Martedì, 21 gennaio 1964, nel palazzo delle Congregazioni si è adunata la S. Congregazione dei Riti, sotto la presidenza dell'Emo Signor Cardinale Fernando Cento, Ponente o Relatore della Causa del Servo di Dio Teotimo Weraegen, Vicario Apostolico di Hupé, nella Cina Occiduo-Meridionale, e 116 compagni uccisi in odio alla fede. Nella stessa Congregazione i Revmi Prelati Officiali e i Revmi Consultori teologi hanno discusso sul martirio dei predetti Servi di Dio.

Martedì, 28 gennaio 1964, nel Palazzo Apostolico Vaticano, alla augusta presenza del Santo Padre si è adunata la S. Congregazione dei Riti *generale,* nella quale gli Emi e Revmi Signori Cardinali, i Revíñi Prelati Officiali e i Revmi Consultori teologi hanno dato il proprio voto sulla eroicità delle virtù dei Servi di Dio :

1. Ludovico da Casoria, sacerdote professo dell'Ordine dei Frati Minori, fondatore della Congregazione dei Frati della Carità, detti « Frati Bigi » ;
2. Maria del Divin Cuore (Droste zu Vischering), della Congregazione del Buon Pastore.

Martedì, 18 febbraio 1964, nel palazzo delle Congregazioni si è adunata la S. Congregazione dei Riti *ordinaria,* nella quale gli Emi e Revmi Signori Cardinali e i Revmi Prelati Officiali hanno discusso sulla introduzione di Causa dei Servi di Dio :

1. Luigi Scrosoppi, sacerdote, fondatore della Congregazione delle Suore della Provvidenza ;
2. Benedetto Menni, sacerdote professo dell'Ordine degli Ospedalieri di S. Giovanni di Dio « Fatebenefrateili », fondatore delle Suore ospedaliere del Ssmo Cuore di Gesù.

Sono state esaminate inoltre le relazioni dei censori teologi sugli scritti dei Servi di Dio :

1. Antonio Augusto Intrecciargli, dell'Ordine dei Carmelitani Scalzi, Arcivescovo di Monreale ;
2. Dorotea da Montau, vedova reclusa.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Biglietti della Segreteria di Stato sono stati nominati dal Santo Padre :

Prelati Domestici di Sua Santità:

7 giugno 1955. Monsig. Didier Maurizio (Cayenne).
2 maggio 1956. Monsig. Rojek Adalberto A. (Przemyál dei Latini).
18 marzo 1960. Monsig. Cerda Leal Giuseppe (Mazatlán).
» » » Monsig. García Franco Giuseppe (Mazatlán).
» » » Monsig. González Emilio (Mazatlán).
18 agosto 1962. Monsig. Connolly Giovanni P. (Oakland).
» » » Monsig. Oullen Roberto (Oakland).
» » » Monsig. O'Brien Michele (Oakland).
» » » Monsig. Rohan Giacomo (Oakland).
» » » Monsig. Wagner Alvino (Oakland j.
1 settembre » Monsig. Alf es Giorgio (Köln).
» » » Monsig. Weisskichel Ferdinando (Köln).
2G » » Monsig. Beerhalter Michele (Miami).
» » » Monsig. Reilly Pietro (Miami).
10 novembre » Monsig. Kötting Bernardo (Münster).
» » » Monsig. Kühle Enrico (Hildesheim).
8 dicembre » Monsig. Orozco Madrigal Antonio (Ouliacán).
» » » Monsig. Orozco Madrigal Emanuele (Ouliacán).
» » » Monsig. Hofmann Giovanni (Sankt Pölten).
20 » » Monsig. Artese Leonardo (Buenos Aires).
» » » Monsig. Di Falco Giovanni (Buenos Aires).
» ' » » Monsig. Moser Carlo (Wien).
» » » Monsig. Steiner Francesco (Wien).
» » » Monsig. Taschner Ottone (Wien).
» » » Monsig. de Toth Giovanni B. (Roma).
» » » Monsig. Eichhorn Francesco S. (Bamberg).
19 gennaio 1963. Monsig. Christoph Leone (Osnabrück).
» » » Monsig. Beigel Edoardo (Hildesheim).
26 » » Monsig. Ribeiro Viana Giuseppe (Sorocaba).
9 febbraio » Monsig. Erhardsberger Giuseppe (Regensburg).
» » » Monsig. Grötsch Ermanno G. (Regensburg).
» » » Monsig. Kraus Giuseppe (Regensburg).
» » » Monsig. Heindl Giuseppe (Eichstätt).
» » » Monsig. Kürzinger Giuseppe (Eichstätt).
» » » Monsig. Ott Lodovico (Eichstätt).
» » » Monsig. Kreuzberg Ernesto (Köln).
» » » Monsig. Firmenich Pietro (Aachen).
» » » Monsig. Wäckers Antonio G. (Aachen).
y> » » Monsig. Bitterlich Adalberto (Limburg).

16	febbraio	1963.	Monsig. da Mota Valença Adelmar (Garanhuns).
24	»	»	Monsig. Mager Ermanno (Rottenburg).
»	»	»	Monsig. D'Cruz Bernardo (Quilón).
	»	»	Monsig. Fernández M. Valeriano (Quilón).
3	marzo	»	Monsig. dos Santos Edoardo A. (TJberlandia).
»		»	Monsig. Carrion Valverde Gioacchino (Cartagena).
»	»	»	Monsig. Tena Mateo Vincenzo (Zaragoza).
9	»	»	Monsig. Keppeler Ottone (Köln).
17	»	»	Monsig. Baran Giuseppe L. (Allentown).
»	»	»	Monsig. Burns Giovanni G. (Allentown).
»	»	»	Monsig. Donnelly Francesco (Allentown).
	»	»	Monsig. Doyle Tommaso G., (Allentown).
»			Monsig. Huesman Enrico G. (Allentown).
»	»	»	Monsig. King Francesco L. (Allentown).
	»	»	Monsig. Thompson Davide B. (Allentown).
»	»	»	Monsig. Dubinskas Antonio G. (Baltimore).
»	»	»	Monsig. Dunn Guglielmo K. (Baltimore).
»	»	»	Monsig. Griffith Giovanni C. (Baltimore).
»	»	»	Monsig. Healy Agostino L. (Baltimore).
»	»	»	Monsig. Kelly Raimondo P. (Baltimore).
»	»	»	Monsig. Mardaga Tommaso (Baltimore).
»	»	»	Monsig. Murphy Giovanni G. (Baltimore).
»	»	»	Monsig. O'Dwyer C. Giovanni (Baltimore).
»	»	»	Monsig. Quinn Giovanni A. (Baltimore).
	»	»	Monsig. Slade Arturo C. (Baltimore).
»	»	»	Monsig. Whelan Tommaso A. (Baltimore).
22		»	Monsig. Jacquard Roberto (Bourges).
23	»		Monsig. McSweeney Giacomo E. (Raleigh).
»	»	»	Monsig. Falke Giuseppe (Köln).
30	»		Monsig. O'Connell Michele T. (Victoria).
5	aprile	»	Monsig. Comte Ruggero (Rodez).
»	»	»	Monsig. Barry Patrizio A. (Burlington).
»		»	Monsig. Charland Walter F. (Burlington).
»		»	Monsig. Corrigan Giovanni F. (Toronto).
»		»	Monsig. Leveque Arturo (Chicoutimi).
»		»	Monsig. Salini Carlo G. (Sault Sainte Marie).
	»	»	Monsig. Vaillancourt Augusto (Sault Sainte Marie)
»	»	»	Monsig. Didier Giovanni (Nancy).
»		»	Monsig. Fruhauff Andrea (Nancy).
	»	»	Monsig. Hartmann Roberto (Nancy).
»		»	Monsig. Lefèvre Andrea (Nancy).
		»	Monsig. Pourel Edmondo (Nancy).
»	»	»	Monsig. Zaepfel Marco (Nancy).
16	»	»	Monsig. Martínez Gallardo Giuseppe di Gesù (León).
20	»	»	Monsig. Schmelzer Francesco (Köln).
»	»	»	Monsig. Teixeira de Vasconcelos Cicerone (Maceió).
»	»	»	Monsig. Wanderley Giovanni B. (Maceió).
»	»	»	Monsig. Enciso Emilio (Vitoria).
»	»		Monsig. Bernardi Simone D. (Peoria).

20	aprile	1963.	Monsig. Blecke Francesco P. (Peoría).
»	»	»	Monsig. Garrahan Giacomo F. (Peoria).
»	»		Monsig. Haas M. Vincenzo (Peoria).
»	»	»	Monsig. Hettinger Olarenzio G. (Peoria).
»			Monsig. Middleton Tommaso G. (Peoria).
»		»	Monsig. O'Rourke Edoardo G. (Peoria).
		»	Monsig. Peters Roberto G. (Peoria).
	»	»	Monsig. Whelan Giovanni M. (Peoria).
»	»		Monsig. Wissing Leone G. (Peoria).
»	»		Monsig. Lemire Arturo G. (Grookston).
»		»	Monsig. Molloy Martino B. (Austin).
27	»	»	Monsig. Heid Carlo (Scranton).
»	»		Monsig. Jeffrey Giorgio A. (Scranton).
»		»	Monsig. Larkin Raimondo (Scranton).
	»	»	Monsig. Cosma Giorgio (Gran Varadino).
»	»		Monsig. Me Garry Giovanni (Sacramento).
»	»		Monsig. Padula Domenico C. (Rapid City).
	»	»	Monsig. González Gutiérrez Emanuele (Tepic).
4	<maggio	»	Monsig. Lennon Patrizio (Kildare and Leighlin).
	»	»	Monsig. Coimbra de Albuquerque Gioacchino, Taumaturgo (Campos).
10		»	Monsig. Pick Martino (Trier).
»	»	»	Monsig. Droste Giuseppe (Paderborn).
		»	Monsig. Wilhelm Giuseppe (Hamilton).
			Monsig. Mac Lean Duncan (Argyll and The Isles).
»	»		Monsig. Wilkinson Ernesto (Hexham-Newcastle).
14	»		Monsig. Lalande Bernardo (Paris).
22		»	Monsig. de Aguinaga López Portillo Francesco (Guada-lajara).
25	»		Monsig. Wendel Adolfo (Köln).
			Monsig. Merzi Quirino (Guastalla).
»			Monsig. Gómez Giovanni (Conakry).
	»	»	Monsig. Corgiolu Beniamino (Ogliastra).
»		»	Monsig. Rolf es Giuseppe E. (Cincinnati).
30		»	Monsig. Bresciani Angelo (Roma).
31	»	»	Monsig. Adams Clemente G. (Sault Sainte Marie).
1	giugno	»	Monsig. Jacquin Roberto (Paris).
6	luglio	»	Monsig. Pereira de Andrade Alberto (Madras and Myla-pore).
13	»	»	Monsig. Brennan Geremia (New York).
»		»	Monsig. Collins Raimondo (New York).
	»		Monsig. Costello Francesco (New York).
»	»	»	Monsig. Doherty Giovanni (New York).
»	»		Monsig. Dwyer Michele (New York).
»	»		Monsig. Far ley Leone (New York).
»	»		Monsig. Flynn Timoteo (New York).
»	»	»	Monsig. Frawley Patrizio (New York).
»	»		Monsig. Nugent Arturo (New York).

13	**luglio**	**1963.**	**Monsig. Potocek Cirillo (New York).**
»	»		**Monsig. Wolff Harry (New York).**
»	»		**Monsig. McManus Carlo (New York).**
20	»		**Monsig. Clavel Alfredo (Annecy).**
»	»		**Monsig. Klein Giorgio (Metz).**
23	»		**Monsig. Moretti Angelo (Lucca).**
27			**Monsig. Baviera Salvatore (Bologna).**
»	»		**Monsig. Gherardi Luciano (Bologna).**
»			**Monsig. Galli Enea (Urbino).**
	»		**Monsig. Campus Antonio (Oristano).**
	»	»	**Monsig. Marras Giuseppe (Oristano).**
»	»	»	**Monsig. Zoncbello Angelo (Oristano).**
1	**agosto**		**Monsig. Graveiii Giovanni (Penne-Pescara).**
»	»		**Monsig. Innocenti Antonio (Fiesole).**
»	»	»	**Monsig. Zacchi Cesare (Arezzo).**
10	»	»	**Monsig. Bravin Leo (Concordia).**
»	»		**Monsig. Camacho Flores Felixberto (Guam)**
»	»		**Monsig. Pilato Biagio (Caltanissetta).**
»	»	»	**Monsig. Fermi Alfonso (Piacenza).**
24			**Monsig. Candidi Angelo (Tivoli).**
	»		**Monsig. Chiavelli Vincenzo (Tivoli).**
»	»		**Monsig. Jacovelli Mario (Tivoli).**
»			**Monsig. Durante Mario (L'Aquila).**
»	»	*i)*	**Monsig. Quaianni Giuseppe (L'Aquila).**
»	»	»	**Monsig. Duranti Antonio (Nepi).**
4	**settembre**	»	**Monsig. Chiavazza Carlo (Torino).**
»	»	»	**Monsig. Assi Enrico (Milano).**
»	»		**Monsig. Bergna Pier Luigi (Milano).**
»	»	»	**Monsig. Borella Pietro (Milano).**
»	»	»	**Monsig. Cazzulani Pietro (Milano).**
		»	**Monsig. Citterio Bernardo (Milano).**
	»	»	**Monsig. Corbella Renato (Milano).**
»			**Monsig. Ghetti Andrea (Milano).**
»	»	»	**Monsig. Maglia vacca Luciano (Milano).**
»	»		**Monsig. Oggioni Giulio (Milano).**
»		»	**Monsig. Pagani Cesare (Milano).**
»	»	»	**Monsig. Ronchi Ugo (Milano).**
»	»		**Monsig. Rovera Virginio (Milano).**
»	»		**Monsig. Spreafico Paolino (Milano).**
»	»	»	**Monsig. Vismara Vincenzo (Milano).**
21			**Monsig. Poggiaspalla Firmino (Urbino).**
»	»	»	**Monsig. Cavallo Angelo (Bari).**
»		»	**Monsig. Saponaro Raffaele (Bari).**
»	»	»	**Monsig. Schino Cesare (Bari).**
»	»	»	**Monsig. Sgambetterra Ferdinando (Bari).**
28		»	**Monsig. Giovene Barione (Moffetta).**
»	»	»	**Monsig. Sardone Filippo (Giovinazzo).**
»	»		**Monsig. Nedungatt Matteo (Tiruvalla).**
»	»	»	**Monsig. Nardelli Giovanni (Castellaneta).**

28	settembre	1963.	Monsig. Lo velli Arturo (Roma).
»	»	»	Monsig. Curatola Giuseppe (Roma).
»	»	»	Monsig. Rapisarda Rocco Enrico (Catania).
»	»	»	Monsig. Vota Carlo (Catania).
»	»	»	Monsig. Tazzari Luigi (Porto e S. Rufina).
1	ottobre	»	Monsig. Sacchetti Giuseppe (Bari).
5	»	»	Monsig. Willebrands Giovanni (Haarlem).
»	»	»	Monsig. Antonini Leopoldo (Pistoia).
»	»	»	Monsig. Panchetti Cesare (Firenze).
11	»	»	Monsig. Ruberti Giuseppe (Nardo).
»	»	»	Monsig. Evangelisti Emilio (Palestrina).
»	»	»	Monsig. Musella Francesco (Gaeta).
»	»	»	Monsig. Sieff Costante (Trieste e Capodistria).
»	»	»	Monsig. Federici Adelelmo (Urbino).
12	»	»	Monsig. Restrepo Uribe Eugenio (Medellin).
26	»	»	Monsig. Freschi Abramo (Udine).

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Paolo VI, felicemente regnante, si è degnato di nominare:

Camerieri segreti soprannumerari di Sua Santità:

6	luglio	1963.	Monsig. Giussani Tommaso (Tarquinia e Civitavecchia).
»	»	»	Monsig. Blust Raimondo (New York).
»	»	»	Monsig. Byrne Giacomo (New York).
»	»	»	Monsig. Hanlon Giacomo (New York).
»	»	»	Monsig. Richard Eugenio (New York).
»	»	»	Monsig. Sullivan Giovanni P. (New York).
»	»	»	Monsig. Wolf Gaspare (New York).
»	»	»	Monsig. De Souza Giuseppe E. (Madras and Mylapore).
»	»	»	Monsig. D'Souza Giuseppe P. (Madras and Mylapore).
»	»	»	Monsig. Lourdes G. Barione (Madras and Mylapore).
»	»	»	Monsig. Neduparambil Saverio (Madras and Mylapore).
»	»	»	Monsig. Rayappa Antonio (Madras and Mylapore).
»	»	»	Monsig. Peronti Ascanio (Roma).
»	»	»	Monsig. Volpetti Alfredo (Roma).
»	»	»	Monsig. Caselgrandi Romeo (Carpi).
" »	»	»	Monsig. Grandi Alvarez (Carpi).
»	»	»	Monsig. Soncini Renato (Carpi).
»	»	»	Monsig. Tassi Giuseppe (Carpi).
8	»	»	Monsig. Puente Paolo (Santander).
»•	»	»	Monsig. Zur Giorgio (Eresiavia).
»	»	»	Monsig. Woods Tommaso (Meath).
»	»	»	Monsig. Tabet Paolo (Baalbek).
»	»	. »	Monsig. Pinto Pietro (Madras and Mylapore).
»	»	»	Monsig. Rapisarda Alfio (Catania).
»	»	»	Monsig. Martino Renato Raffaele (Salerno).
20	»	»	Monsig. Gagliardi Francesco (Bari).
»	»	»	Monsig. Milano Nicola (Bari).

27	luglio	1963.	**Monsig. Muzi Giovanni (Città della Pieve).**
»	»	»	**Monsig. Sciurpa Oreste (Città della Pieve).**
»	»	»	**Monsig. Bello Bruno (Padova).**
»	»	»	**Monsig. Di Fazio Giuseppe (Gaeta).**
1	agosto	»	**Monsig. Mullor García Giusto (Almería).**
»	»	»	**Monsig. Federici Mario (Roma).**
3	»	»	**Monsig. Dattero Felice (Muro Lucano).**
»	»	»	**Monsig. Gallucci Luigi (Muro Lucano).**
»	»	»	**Monsig. Ferrerò Carlo (Casale Monferrato).**
»	»	»	**Monsig. Holleran J. Warren (San Francisco).**
»	»	»	**Monsig. Catarozzolo Sante Pompilio (Lecce).**
»	»	))	**Monsig. Pulii Benedetto (Lecce).**
»	»	»	**Monsig. Neri Domenico (Nocera Umbra e Gualdo Tadino).**
10	»	»	**Monsig. Motta Giovanni (Caltanissetta).**
»	»	»	**Monsig. Pelaschiar Libero (Trieste e Capodistria).**
»	»	»	**Monsig. Guerrero Giuseppe A. (Guam).**
21	»	»	**Monsig. Scalenghe Carlo (San Miniato).**
»	»	»	**Monsig. Coletto Pietro (Bobbio).**
30	»	»	**Monsig. Amadio Maurizio (Concordia).**
»	»	»	**Monsig. Corelli Domenico (Concordia).**
»	»	»	**Monsig. Dalla Pozza Giuseppe (Concordia).**
»	»	»	**Monsig. De Carli Angelo (Concordia).**
»	»	»	**Monsig. Pagnucco Aldo (Concordia).**
»	»	»	**Monsig. Pivetta Giuseppe (Concordia).**
»	»	»	**Monsig. Zaccarin Antonio (Concordia).**
4	settembre	»	**Monsig. Bertagna Pietro (Milano).**
»	»	»	**Monsig. Boga Ranieri (Milano).**
o	»	»	**Monsig. Borgonovo Bonino (Milano).**
»	»	»	**Monsig. Bramati Achille (Milano).**
i»	»	»	**Monsig. Chierichetti Giovanni (Milano).**
»	»	»	**Monsig. Ciceri Angelo (Milano).**
»	»	»	**Monsig. Crespi Attilio (Milano).**
»	»	»	**Monsig. Della Valle Enrico (Milano).**
»	»	»	**Monsig. Falcetti Felice (Milano).**
»	»	»	**Monsig. Grametti Edoardo (Milano).**
»	»	»	**Monsig. Ossola Cesare (Milano).**
»	»	»	**Monsig. Pellegatta Carlo (Milano).**
»	»	»	**Monsig. Reina Gaetano (Milano).**
7	»	»	**Monsig. Persichetti Alessandro (Roma).**
»	»	»	**Monsig. Regis Domenico (Vercelli).**
14	»	»	**Monsig. Ferrerò Enrico (Fribourg).**
»	»	»	**Monsig. Gargaloni Pietro (Montepulciano).**
»	»	»	**Monsig. Rota Leandro (Casale Monferrato).**
»	»	»	**Monsig. Sabatini Mario (Urbania).**
»	»	».	**Monsig. Spugnini Gaetano (Urbania).**
28	»	»	**Monsig. Bianchi Celestino (Montalcino).**
»	»	»	**Monsig. Crociani Ottavio (Montalcino).**
»	»	»	**Monsig. Franci Gino (Montalcino).**
»	»	»	**Monsig. Naldi Gino (Montalcino).**

28	settembre	1963.	Monsig. Tiberi Nello (Montalcino).
»	»	»	Monsig. Bellia Santo (Catania).
»	»	»	Monsig. Rapicavoli Lncio (Catania).
		»	Monsig. Belluomo Salvatore (Mcotera e Tropea).
»	»	»	Monsig. De Vita Domenico (Mcotera e Tropea).
»	»	»	Monsig. Miceli Francesco (Mcotera e Tropea).
			Monsig. Mottola Francesco (Mcotera e Tropea).
»			Monsig. Sergiacomi Giuseppe (Ascoli Piceno).
»	»	»	Monsig. Neves Marques Agenore (Tubarâo).
»	»	»	Monsig. Martis Gesuino (Cagliari).
		»	Monsig. Paoletti Giulio (Volterra).
»		»	Monsig. Maliardo Ugo (Avellino).
5	ottobre	»	Monsig. Cignitti Benedetto (Subiaco).
»	»	»	Monsig. Vadassery Tommaso (Tiruvalla).
»		»	Monsig. Lewenetz Michele (Esarcato per gli Ucraini di rito bizantino in Francia).
			Monsig. Wasylyk Michele (Esarcato per gli Ucraini di rito bizantino in Francia).
»		»	Monsig. Celada Domenico (Tivoli).
11		»	Monsig. Marsano Aniceto (Nardo).
»	»		Monsig. De Belardini Giuseppe (Palestrina).
25	»	»	Monsig. Spada Pietro (Milano).
7	novembre		Monsig. Rivetti Angelo (Susa).

Cappellano segreto d'onore di Sua Santità:

7 settembre 1963. Monsig. Guidi Alf eo (Cesena).

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Paolo VI, felicemente regnante, si è degnato di confermare :

Camerieri segreti soprannumerari di Sua Santità:

11	luglio	1963.	Monsig. Bazzoli Bruno (Forlì).
	»	»	Monsig. Berardi Gino (Forlì).
»	»	»	Monsig. Maioli Leonida (Forlì).
' »	»	»	Monsig. Strocchi Giuseppe (Forlì).
13		»	Monsig. Palazzuoli Giuseppe (Colle di Val d'Elsa).
»	»	»	Monsig. Pacini Ostelio (Colle di Val d'Elsa).
»	»	»	Monsig. Caciagli Gino (Colle di Val d'Elsa).
»	»	»	Monsig. Paggetti Carlo (Colle di Val d'Elsa).
»	»	»	Monsig. Smorti Emilio (Colle di Val d'Elsa).
	»	»	Monsig. Caputo Pasquale (Nicastro).
»	»	»	Monsig. Gatti Saverio (Nicastro).
»		»	Monsig. Scichilone Rocco (Piazza Armerina).
»	»	»	Monsig. La Verde Giuseppe (Piazza Armerina).
»	»		Monsig. Velardita Filippo (Piazza Armerina).
»	»	»	Monsig. Caraci Vincenzo (Piazza Armerina).

13	luglio	1963.	Monsig. Marino Calogero (Piazza Armerina).
15	»	»	Monsig. Amici Decio (Tivoli).
»	»	»	Monsig. Candidi Angelo (Tivoli).
	»	»	Monsig. Cicinelli Luigi (Tivoli).
»	»	»	Monsig. Chiavelli Vincenzo (Tivoli).
			Monsig. D'Anversa Evaristo (Tivoli).
»		»	Monsig. Parmegiani Amato (Tivoli).
	»	»	Monsig. Pandozy Giacinto (Tivoli).
»	»	»	Monsig. Rusconi Francesco (Tivoli).
	»		Monsig. Sargenti Mario (Tivoli).
18		»	Monsig. Boll Giuseppe (Aachen).
	»	»	Monsig. Brosch Ermanno Giuseppe (Aachen).
»	»	»	Monsig. Marschang Giovanni (Aachen).
»	»		Monsig. Nolte Giovanni (Aachen).
19	»	»	Monsig. Ali Saverio (Caltagirone).
»	»	»	Monsig. Jatrini Francesco (Caltagirone).
»	»	»	Monsig. Zimbone Vincenzo (Caltagirone).
»	»	»	Monsig. Milici Salvatore (Nicosia).
»	»	»	Monsig. Martinengo Enrico (Vercelli).
20	»	»	Monsig. Di Maggio Francesco (Bari).
»		»	Monsig. Natale Giuseppe (Bari).
»	»	»	Monsig. Schiralli Michele (Bari).
	»	»	Monsig. D'Alba Michele (Bari).
»	»	»	Monsig. Sportelli Domenico (Bari).
	»	»	Monsig. Giuliani Gianmatteo (Bari).
	»		Monsig. Arcozzi Masino Vincenzo (Torino).
»	»		Monsig. Barberis Adolfo (Torino).
»			Monsig. Bosso Giovanni Battista (Torino).
»	»	»	Monsig. Burzio Bartolomeo (Torino).
»	»		Monsig. Cravosio Aleramo (Torino).
»	»	»	Monsig. Enriore Michele (Torino).
»		»	Monsig. Fasano Agostino (Torino).
»	»	»	Monsig. Fechino Benedetto (Torino).,
»	»	»	Monsig. Ferrerò Alfredo (Torino).
	»	»	Monsig. Grosso Michele (Torino).
»		»	Monsig. Murzone Silvio (Torino).
»	»	»	Monsig. Passera Agostino (Torino).
»	»	»	Monsig. Pautasso Giuseppe (Torino).
»		»	Monsig. Rolla Vincenzo (Torino).
	»	»	Monsig. Rossino Giuseppe (Torino).
»	»	»	Monsig. Salassa Angelo (Torino).
»	»	»	Monsig. Solero Silvio (Torino).
»	»	»	Monsig. Sona Giuseppe (Torino).
	»	»	Monsig. Schierano Baldassarre (Torino).
»	»	»	Monsig. Vacha Emilio (Torino).
24	»	»	Monsig. Angeli Antonio (Vittorio Veneto).
»	»	»	Monsig. Chiavalon Giuseppe (Vittorio Veneto).
27	»		Monsig. Cenciarelli Monaldo (Albano).
»	»	»	Monsig. Massaccesi Valerio (Albano).

27	luglio	1963.	Monsig. Lovazzano Luigi (Albano).
»	»	»	Monsig. Lovrovich Giovanni (Albano).
	»	»	Monsig. Bagnoli Leo (Cesena).
»		»	Monsig. Magalotti Aldo (Cesena).
»	»		Monsig. Mancini Lino (Cesena).
»	»	»	Monsig. Tonti Alessandro (Cesena).
»	»	»	Monsig. Galli Arturo (Como).
»		»	Monsig. Gini Pietro (Como).
	»		Monsig. Maiocchi Giuseppe (Como).
	»	»	Monsig. Pellegrini Bartolomeo (Como).
»	»	»	Monsig. Tesolin Lorenzo (Concordia).
»	»		Monsig. Della Valentina Pio (Concordia).
	»		Monsig. Cadelli Umberto (Concordia).
»		»	Monsig. Indri Fiora vante (Concordia).
	»	»	Monsig. Brovedani Alfonso (Concordia).
	»		Monsig. Della Valentina Giuseppe (Concordia)
»	»	»	Monsig. Mauro Vittorio (Concordia).
	»	»	Monsig. Forte Mario (Gaeta).
		»	Monsig. Buonomo Salvatore (Gaeta).
		»	Monsig. Musella Francesco (Gaeta).
»	»	»	Monsig. D'Alessandro Aristide (Lucera).
»		»	Monsig. Panzano Giambattista (Lucera).
»	»	»	Monsig. D'Antini Antonio (Lucera).
	»	»	Monsig. Beccia Vincenzo (Lucera).
		»	Monsig. Benedetti Ernesto (Norcia).
»		»	Monsig. Dellegrotti Augusto (Norcia).
»		»	Monsig. Falcucci Guido (Norcia).
		»	Monsig. Fiorelli Rodrigo (Norcia).
			Monsig. Massenzi Luigi (Norcia).
»	»	»	Monsig. Monaldi Luigi (Norcia).
»		»	Monsig. Petrelli Graziano (Norcia).
»	»	»	Monsig. Pichiorri Giovanni (Norcia).
»	»	»	Monsig. Bonanni Domenico (Norcia).
		»	Monsig. Chiesa Carlo (Tortona).
		»	Monsig. Ghezzi Alessandro (Tortona).
	»	»	Monsig. Goggi Pietro (Tortona).
»		»	Monsig. Leidi Camillo (Tortona).
»		»	Monsig. Milanese Carlo (Tortona).
	»	»	Monsig. Sarogni Cesare (Tortona).
»	»		Monsig. Sommo Epifanio Lorenzo (Tortona).
»	»		Monsig. Carenzio Domenico (Tortona).
	»	»	Monsig. Mongiardini Pietro (Tortona).
»		»	Monsig. Coda Enrico (Tortona).
»	»		Monsig. Ferreri Giuseppe (Tortona).
29	»		Monsig. Arendt Paolo (Rottenburg).
»		»	Monsig. Dieterich Ernesto (Rottenburg).
	»	»	Monsig. Dolp Edoardo (Rottenburg).
»	»		Monsig. Pf äff Giorgio (Rottenburg).
»	»	»	Monsig. Bendi Ruperto (Rottenburg).

29 luglio 1963. Monsig. Sauter Ermanno (Kottenburg).
» » » Monsig. Schupp Giuseppe (Rottenburg).
» » » Monsig. Anker Carlo (Rottenburg).
» » » Monsig. Haertel Alfonso (Rottenburg).
» Monsig. Sauter Alfonso (Rottenburg).
» » » Monsig. Grossmann Antonio (Rottenburg).
» » Monsig. Semle Eugenio (Rottenburg).
» Monsig. Herre Antonio (Rottenburg).
» » Monsig. Collings Giuseppe (Westminster).
» » Monsig. Collingwood Cutberto (Westminster).
» Monsig. Coonan Giovanni Lorenzo (Westminster).
» » Monsig. Dunderdale Edoardo Galloway (Westminster).
» » » Monsig. Goulder Giorgio Lorenzo (Westminster).
» . » » Monsig. Row Federico Giovanni (Westminster).
» » Monsig. Sutton Edoardo Stanley (Westminster).
» » » Monsig. Tomlinson Giorgio Arturo (Westminster).
30 » » Monsig. Rigotti Giovanni B. (Campinas).
» » Monsig. Lopes de Almeida Giovanni (Campinas).
» » » Monsig. Roldan Raffaele (Campiñas).
» » » Monsig. Quercia Pasquale (Campinas).
» » » Monsig. Colturato Agostino (Campinas).
» » Monsig. Fernandes de Abreu Luigi (Campinas).
» » Monsig. Mutscheie Lazzaro (Campinas).
» » Monsig. Nardin Bruno (Campinas).
» Monsig. Magi Nazzareno (Campinas).
» » » Monsig. Pelice Licio Thiers (Campiñas).
» » » Monsig. De Camargo Antonio Mariano (Campinas).
» » Monsig. Cruz Francesco (Campinas).
» » » Monsig. Simón Ovidio (Campos).
» » » Monsig. Von Leto Giorgio (Campos).
» » Monsig. Gonzales Emanuele (Marília).
» » » Monsig. Milaré Sobrinho Giuseppe (Marília).
» » » Monsig. Tortoriello Francesco (Säo Joäo del Rei).
» » » Monsig. De Rezende Aquino Almir (Säo Joäo del Rei).
» » » Monsig. Brandstätter Lorenzo (Seckau).
» » » Monsig. Gratzer Giuseppe (Seckau).
» » Monsig. Gschiel Roberto (Seckau).
» » » Monsig. Lind Carlo (Seckau).
» » Monsig. Marcher Alberto (Seckau).
» » Monsig. Pock Giovanni (Seckau).
» Monsig. Reinisch Giovanni (Seckau).
» » Monsig. Schellauf Francesco (Seckau).
» Monsig. Schiestl Ludovico (Seckau).
» » Monsig. Seifried Giovanni (Seckau).
» Monsig. Stradner Francesco (Seckau).
» » » Monsig. Vollmann Francesco (Seckau).
» » Monsig. Zottler Giovanni (Seckau).
» » » Monsig. Awalt Guglielmo (Washington).
» Monsig. Christopher Martino (Washington).

30	luglio	1963.	Monsig. Coady Leone (Washington).
»	»	»	Monsig. Corbett Giuseppe (Washington).
»	»	»	Monsig. Hartman Giuseppe (Washington).
»	»	»	Monsig. Lyons Tommaso (Washington).
»	»	»	Monsig. Coyne Giuseppe (Washington).
»	»	»	Monsig. Herrmann Edoardo (Washington).

Camerieri segreti soprannumerari di Spada e Cappa di Sua Santità:

3	agosto	1963.	II sig. Halecki Oscar (New York).
21	ottobre		II sig. Catalano dei Signori del Mercato di Melilli Anto nino (Catania).
28	»		II sig. Garth-Grüner Gunnar Leone (Köbenhavn).
31		»	II sig. Doria Lamba dei Marchesi Lodovico (Genova).
»	»	»	II sig. Foroni Lo Faro Anselmo (Genova).
		»	II Marchese Gavotti Giulio (Genova).
	»	»	II Conte Ottone Giorgio (Genova).
	»	»	II Marchese Eappini Giorgio Edoardo (Genova).
»	»	»	II Conte Ra vano Agostino (Genova).
	»	»	II sig. Reggio dei Marchesi Vincenzo (Genova).
11	novembre	»	II Marchese de Bideran de Beraud Giacomo (Agen).
	»	»	II sig. Giansanti Coluzzi Antonio (Lausanne).
18	»	»	II sig. Malvezzi Campeggi Lucio (Roma).

Camerieri d'onore soprannumerari di Spada e Cappa di Sua Santità :

19	settembre	1963.	II sig. Benziger Rodolfo (Sankt Gallen).
7	ottobre	»	II sig. Pérez de Ayala Mariano (Sevilla).
30		»	II sig. Ranaldi Carlo (Roma).
31	»	»	II sig. Gatti Giuseppe (Roma).
7	novembre	»	II sig. Majchrzycki Boleslao (Poznan).
13		»	II sig. Daverio Francesco (Milano).

NECROLOGIO

5	marzo	1964.	Monsig. Splett Cari Maria, Vescovo di Gdansk.
19	»	»	Monsig. Gercke Daniel James, Arcivescovo tit. di Cotieo.
24	»	»	Monsig. Ujcié Josip, Arcivescovo di Beograd.
2	aprile	»	Monsig. Gutiérrez Diez Tomás, Vescovo di Cádiz e Ceuta.
8	»	»	Monsig. Russo Salvatore, Vescovo di Acireale.
10	»	»	Monsig. Freusberg Joseph, Vescovo tit. di Adrianopoli di Epiro, Ausiliare di Fulda.
11	»	»	Monsig. Sembel Guillaume, Vescovo di Dijon.
12	»	»	Monsig. Lauzurica y Torralba Francisco Javier, Arcivescovo di Oviedo.

An. et vol. LVI 4 Maii 1964 (Ser. HI, v. VI) - N. 5

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico — Città del Vaticano — *Administratio:* Libreria Editrice Vaticana

ACTA PAULI PP. VI

LITTERAE APOSTOLICAE MOTU PROPRIO DATAE

Constituitur Pontificium Consilium instrumentis communicationis socialis praepositum.

PAULUS **PP. VI**

IN FRUCTIBUS MULTIS, quos, non sine benignissima Dei ope et auxilio, e Concilio Oecumenico Vaticano **II** Christi percepit Ecclesia, aequum esse numerare censemus Decretum de instrumentis, quae appellant, communicationis socialis, quod, in publica sessione die iv mensis Decembris superiore anno habita, Oecumenica Synodus rite probavit, Nosque promulgavimus.

Haec enim subsidia — in quibus profecto scripta typis edita, telehorama, radiophonicum inventum et cinematographeum magni aestimanda sunt — ob artas rationes, quibus inter se cohaerent, nostris hisce temporibus tanti ponderis afferunt quaestiones, ut non solum populorum cultum et humanitatem, atque publicos mores, sed religionem ipsam attingere videantur; ob eamque causam hodie eadem praeterquam a sacrorum Antistitibus assiduas curas et a singulis christifide-

libus sollicitam industriam, ab universis etiam cordatis hominibus alacrem postulent operam.

In quibus instrumentis quantum esse momentum Ipsi opinemur ad catholicam rem quod attinet, ex verbis cogi facile potest, quae sollemni eadem opportunitate fecimus: *Alter fructus, isque non parvi ponderis, Concilii nostri est Decretum de instrumentis, quae vocant, communicationis socialis; quod aperte testabitur facultate Ecclesiam pollere, cum vita interna iungendi externam, cum contemplatione actionem, cum precibus apostolatum. Hac etiam re Synodus nostra efficiet, ut recte dirigantur ac provehantur plurimae agendi rationes ac formae, quae, sive ut instrumenta sive ut documenta, tum perfunctioni muneris pastoralis, tum universae catholicorum alacritati in orbe terrarum iam subserviunt.*[1]

Has ob causas vehementer optamus ut, non secus atque ceterae normae a Concilio Oecumenico Vaticano II, afflante Spiritu Sancto, probatae, ita Decretum hoc diligenter fideliterque efficiatur. Ad quod valde prodesse putamus, si sine mora peculiare condiderimus Consilium, cui tota sit res huiusmodi demandata.

Iam Decessor Noster fel. rec. Ioannes XXIII, sui Pontificatus fere initio, Litteris Apostolicis motu proprio datis, a verbis *Boni Pastoris* incipientibus,[2] Pontificium Consilium, firmum ac stabile, novo constituit ordine, cui erat propositum, *ut varias de re cinematographica, radiophonica ac televisifica quaestiones examinaret, suo foveret adiumento ac dirigeret secundum mandata normasque, Encyclicis Litteris, quibus a verbis « Miranda prorsus » initium, proposita et secundum alia Sedis Apostolicae praescripta in posterum edenda*[3]

Idemque Consilium, ex illo tempore Officio publicis Eccle-

[1] Ex *Allocutione ad Patres Conciliares,* habita die iv mensis Decembris, anno MDCCOCLXIII: *A. A. S.* LVI, 1964, p. 35.

[2] *A. A. S.,* LI, 1959, pp. 183-187.

[3] Cfr. *ibid.,* p. 185.

siae negotiis accurandis aggregatum,[4] tam alacriter tamque enixe muneribus praefuit suis, ut in communem venerit existimationem.

Porro Patres Concilii Oecumenici Vaticani II opus esse animadverterunt, ut hoc Consilium, viris rei peritis ex variis nationibus atque etiam ex ordine laicorum ascitis, industriae suae fines ad omnia communicationis socialis instrumenta proferret, scriptis scilicet typis editis non neglectis.[5]

Itaque, quoniam cum tam gravi Venerabilium Patrum Concilii opinione Nostra congruit sententia, Nos, commemorati Consilii mutato nomine et munerum provincia amplificata, motu proprio, certa scientia ac matura deliberatione Nostra, harum Litterarum vi perpetuumque in modum constituimus *Pontificium Consilium instrumentis communicationis socialis praepositum;* cuius curae, si causa perpendatur catholicae religionis, demandamus res cinematographicas, radiophonicas et televisificas, atque scripta typis vel cotidie vel per intervalla edita. Ad huius autem generis scripta quod spectat, operam Consilium conferet, ut ea incepta suscipiantur, quae Apostolica haec Sedes in re tanti momenti opportuna duxerit.

Praeter officii partes, quae ex commemoratis Litteris Apostolicis *Boni Pastoris* huic Consilio attributae sunt, ipsius erit principia et normas exsequi Decreti, a Concilio Oecumenico Vaticano II dati, de instrumentis communicationis socialis, itemque, iuxta eiusdem Decreti art. 23, *Instructionem Pastoralem,* quam vocant, scriptis mandare ad Nostrumque iudicium deferre.

Quemadmodum patet, praecipua Consilii sollicitudo in eo versabitur, ut, ad sententiam Decreti Conciliaris, locorum Ordinarios auxilio iuvet, in Pastoralium munerum suorum exercitatione, quae ad hanc rerum regionem attineant.[6]

[4] Cfr. *ibid.*, p. 187.

[5] Cfr. *Decretum de instrumentis communicationis socialis,* art. 19: *A. A. 8.* LVI, 1964, p. 152.

[6] Cfr. *ibid.,* artt. 20 et 21.

Quae vero rationes Consilio intercedunt cum Sacris Romanae Curiae Congregationibus — quarum potestates facultatesque nullo modo mutare hisce Litteris Apostolicis mens est — normis regen tur, Litteris Apostolicis *Boni Pastoris* statutis.[7]

Ut autem novis gravibusque muneribus suis satisfacere possit, Consilium opportunis ad agendum subsidiis instruetur, atque adiutrice opera fruetur virorum ad usum instrumentorum communicationis socialis peritorum, quorum congruens numerus ab Apostolica Sede in Consilium ipsum asciscetur.

Ita profecto fiet, ut Pontificium hoc Consilium, pro officio suo, ratione servata, cum doctrina Ecclesiae cumque nostri temporis necessitatibus consentanea, magno usui vulgandae veritati sit, adeoque populorum concordiae conciliandae; quoniam, ut Decessor Noster fel. rec. Ioannes XXIII monuit, *si veritati opera tribuatur, hominibus fraterno amore coniungendis ea simul impendetur.*[8]

Quaecumque vero a Nobis hisce Litteris motu proprio datis decreta et statuta sunt, ea omnia firma et rata esse iubemus, contrariis quibuslibet nihil obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die **II** mensis Aprilis, anno MDCCCCLXIV, Pontificatus Nostri primo.

PAULUS PP. VI

[7] **Cfr. *A. A. S.*, LI, 1959, pp. 185-186.**

[8] **Cfr. *Allocutio ad sodales e Societate, quam « Association de la Presse étrangère en Italie » vocant,* habita die xxiv mensis Octobris anno 1961; *A. A. S.* LUI, 1961, p. 723.**

LITTERAE APOSTOLICAE

I

Sancta Rosa Limana, Virgo, praecipua caelestis Patrona pro tota dioecesi Sanctae Rosae in California declaratur.

PAULUS PP. VI

Ad perpetuam rei memoriam. — Memoratu digna pietate et in Deum cultu praeclara illa regio, California nempe in Foederatis Septemtrionalis Americae Civitatibus, quippe cum quam plurimae in ea sitae urbes, vel etiam maiores, alicuius caelicolae, cui dicatae fuerunt, nomine glorientur. Haud aliter accidit urbi, quae a Sancta Rosa nuncupatur quaeque ad Episcopalis Cathedrae dignitatem a proximo Decessore Nostro, fel. rec, Ioanne Pp. XXIII, anno MCMLXII, fuit evecta. Nunc vero Venerabilis Frater Leo T. Maher, Episcopus Sanctae Rosae in California, populi sibi commissi in eandem Caelitem pietatem fovere desiderans, a Nobis enixe postulat ut Nos Sanctam Rosam Limanam urbis ac dioecesis eiusdem nominis caelestem Patronam benigne confirmare dignemur. Nos autem, attentis expositis, huiusmodi precibus annuendum libenter censemus. Quapropter, ex Sacrae Rituum Congregationis consulto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum Sanctam Rosam a Sancta Maria, Virginem Limanam, totius Sanctae Rosae in California dioeceseos praecipuam apud Deum *Patronam* constituimus ac declaramus, omnibus adiectis honoribus ac privilegiis liturgicis quae principalibus dioecesium Patronis rite competunt. Contrariis quibusvis minime obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque, ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc et in posterum, plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter contigerit attentari.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xxv mensis Iunii, anno MCMLXIII, Pontificatus Nostri primo.

SB HAMLETUS I. Card. CICOGNANI
a publicis Ecclesiae negotiis

II

Beata Maria Virgo « Annuntiata » praecipua caelestis Patrona pro tota Stocktoniensi dioecesi eligitur.

PAULUS PP. VI

Ad perpetuam rei memoriam. — Angelica salutatio et Incarnationis Dominicae humanaeque Redemptionis fuit initium et Beatae Mariae Virginis excelsa patefecit privilegia, adeo ut « beatam » illam dicerent « omnes generationes ». Multiplices quidem inter appellationes, Deiparae Virgini hominumque Matri ab Ecclesia datas, illa, quae ad Annuntiationis mysterium pertinet, eminet ac peculiare inter fideles obtinet obsequium. Haud aliter accidit in novissima Stocktoniensi dioecesi, a Ioanne Pp. XXIII, Decessore Nostro, fel. rec, superiore anno canonice erecta, quae in tutelam Beatae Mariae Virginis ab Angelo salutatae se tradidit. Quo magis vero consilium hoc Apostolica Nostra auctoritate firmaretur fideliumque augeretur marialis pietas, Venerabilis Frater Hugo Aloisius Donohoe, Episcopus Stocktoniensis, proprio nomine nec non Cleri populique sui, a Nobis efflagitavit ut Deiparam Virginem, praeclaro eodem nomine or natam, totius suae dioecesis caelestem Patronam benigne renuntiare dignaremur. Nos autem, omnibus bene sciteque perpensis atque congruens tantae mariali pietati tribuere volentes praemium, huiusmodi preces excipiendas perlibenter censemus. Quapropter, ex Sacrae Rituum Congregationis consulto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum Beatissimam Virginem Mariam ab Angelo salutatam, seu sub titulo « Annuntiationis », totius Stocktoniensis dioecesis praecipuam apud Deum *Patronam* confirmamus seu denuo constituimus, declaramus ac r enuntiamus, omnibus adiectis iuribus ac privilegiis liturgicis, quae principalibus locorum Patronis rite competunt. Contrariis quibusvis nihil obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere ; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere ; illisque ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc et in posterum, plenissime suffragari ; sicque rite iudicandum esse ac definiendum ; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter contigerit attentari.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die ix mensis Augusti, anno MCMLXIII, Pontificatus Nostri primo.

ffî HAMLETUS I. Card. CICOGNANI
a publicis Ecclesiae negotiis

III

Sanctus Petrus Claver caelestis Patronus eligitur Barrancabermeiensis dioecesis, in Columbia.

PAULUS PP. VI

Ad perpetuam rei memoriam. — Qui fuit Columbianae terrae Apostolus isque Mgritarum illuc adductorum parens, S. Petrus Claver dignus in primis videtur esse, ut novae dioecesis iisdem in finibus conditae patronus et custos eligatur. Is enim « quadraginta annorum caritate ac laboribus — verba proferimus Leonis Pp. XIII, Decessoris Nostri, qui eius nomen memoriamque supremis honoribus consecravit — effecit, ut innumerabiles homines Christum agnoscerent, et in adoptionem ac hereditatem filiorum Dei reciperentur » ; quocirca indefatigatam tanti viri sollertiam, sua quasi virtute, impulsuram esse putamus Barrancabermeiensis dioecesis sacros administros ad salutaria incepta alacriter aggredienda, ceterosque pariter fideles ad christianum maiorum suorum morem integra cum constantia tenendum. Haud aliis quidem de causis Venerabilis Frater Bernardus Arango Henao, novae quam diximus iurisdictionis Episcopus idemque Ignatianae familiae filius, ut olim S. Petrus Claver, Nos rogavit, ut in gregis sibi commissi bonum profectumque eiusdem Caelitis patrocinium ediceremus. Quibus precibus benevolo animo admissis, Nos, ex Sacrae Rituum Congregationis consulto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum, Sanctum Petrum Claver, Confessorem, praecipuum apud Deum totius Barrancabermeiensis dioecesis caelestem *Patronum* confirmamus, seu constituimus ac declaramus, omnibus adiectis honoribus ac privilegiis liturgicis, quae principalibus dioeceseon Patronis rite competunt. Contrariis quibusvis nihil obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque, ad quos spectant, seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari ; sicque rite iudicandum esse ac definiendum ; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xrx mensis Augusti, anno MCMLXIII, Pontificatus Nostri primo.

© HAMLETUS I. Card. CICOGNANI
a publicis Ecclesiae negotiis

IV

Titulus ac privilegia Basilicae Minoris conferuntur ecclesiae cathedrali vicariatus apostolici Sancti Georgii, Domino Nostro Iesu Christo vulgo « Señor de los Milagros » dicata, in oppido « San Benito Abad ».

PAULUS PP. VI

provinciae sen Departamento Francisco Morazán cognominato ; ad meridiem autem civili provinciae seu Departamento Valle cognominatae et Reipublicae Salvatorianae ; ad occidentem denique solem civilibus provinciis seu Departamentos Intibucá et Santa Barbara. Novae circumscriptionis sedem Episcopus in urbe ponet cui nomen Comayagua, cathedram vero in templo curiali ibidem exstante B. M. V. nulla labe conceptae sacro, quod ad dignitatem cathedralis templi evehimus, cum iuribus et honoribus. Etiam sacer Antistes, ut aequum, iis omnibus iuribus utetur et privilegiis quibus residentes Episcopi per orbem terrarum fruuntur, oneribusque congruis obligabitur. Sive dioecesis Comayaguensis praeterea sive eius Praesul Sedi metropolitanae Tegucigalpensi subicientur tamquam suffraganei. Volumus etiam Canonicorum collegium condatur, ad normas per alias sub plumbo litteras edendas, quod tamen antequam fiat permittimus Consultores dioecesani deligantur, qui Episcopo consilio assint. Mensam episcopalem, quam vocant, sive Curiae emolumenta constituent, sive liberae fidelium collationes bonorumque pars quae ex praescripto canonis 1500 C. I. C. novae Ecclesiae obvenient. Decernimus autem ut in nova dioecesi minus saltem Seminarium exstruatur pueris excipiendis qui ad sacerdotium Dei gratia invitentur ; quod ad normas iuris communis fiat atque secundum regulas Sacrae Congregationis de Seminariis et Studiorum Universitatibus. Cum vero iuvenes eo adoleverint ut philosophiae atque sacrae Theologiae operam dare debeant, tunc qui meliores fuerint Romam mittantur Collegio Piano Latino Americano excipiendi. De clero autem haec decernimus : ut videlicet sacerdotes Ecclesiae illi accenseantur in qua beneficium aut officium, post has litteras ad effectum adductas, habeant ; ceteri vero clerici seminariique tirones in qua legitimum habeant domicilium. Regimen dioecesis, administratio, electio Vicarii Capitularis, sede vacante, cetera eiusmodi iure canonico temperentur. Documenta denique et acta quae ad novam dioecesim respiciant statim ad eius Curiam mittantur, in tabulario rerum religiosarum magna cura custodienda. Ceterum quae per has Litteras mandavimus exsequenda curabit venerabilis Frater Sanctes Portalupi, quem diximus, vel per se ipse vel per alium, factis ad id necessariis facultatibus. Re autem peracta idem documenta exarari iubebit, eademque sinceris exemplis ad Sacram Congregationem Consistorialem cito mittet. Quod si alius eo tempore Apostolicae in Republica Honduria Nuntiaturae praeerit, hic quae iussimus faciet.

Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res

est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo buius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur.

Datum Romae, apud **S.** Petrum, die tertio decimo mensis Martii, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo tertio, Pontificatus Nostri quinto.

Pro S. R. E. Cancellario
& HAMLETUS I. Card. CICOGNANI
a publicis Ecclesiae negotiis

CAROLUS Card. GONFALONIERI
8. Congr. Consistorialis a Secretis

Franciscus Tinello
Apostolicam Cancellariam Regens

Iosephus Rossi, Ep. tit. Palmyrenus, *Proton. Apost.*
Ioannes Calieri, *Proton. Apost.*

Loco >g Plumbi

In Ap. Cane, tab., vol. CXII, n. SJf.

II

COTONUENSIS
(ABOMEIENSIS)

Divisa archidioecesi Cotonuensi, nova quaedam dioecesis constituitur « Abomeiensis » appellanda.

IOANNES EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Christi iussum, quod sanctissimis Apostolis dedit caelos ascensurus, ut mundum universum peragrati cunctis gentibus Evangelium salutis praedicarent, cum ipsis Apostolis tum etiam eorum successoribus Romanis Pontificibus ita sollemne et sanctum semper fuit ut ad idem mandatum et verba et facta sua omnia referrent : nihil est enim in Eccle-

sia, Christi sponsa fidelissima, tam pretiosum quam christiani nominis propagatio, ex qua scilicet, tamquam ex capite et fonte, gloria Dei summa promanat. Quae sane causa est cur Nos, qui vices Christi gerimus apud homines, aequo animo novas dioeceses constitui curemus, id certum habentes fore ut auctis Episcopis christianae religioni prosperius cedere possit. Quae cum ita sint, cum Sacrae Congregationi de Propaganda Fide visum sit novam in Ee publica Dahomey dioecesim condere, Nos de sententia venerabilium Fratrum Ioannis Baptistae Maury, Archiepiscopi titulo Laodicensis in Phrygia atque Apostolici in Africa Occidentali Delegati, et Bernardini Gantin, Archiepiscopi Cotonuensis, re bene reputata, haec quae sequuntur, decernimus et iubemus. Ab archidioecesi Cotonuensi totum territorium distrahimus quod subpraefecturas civiles comprehendit nomine Abomey, Savalou, Savé, Dassa et Zagnanado; quibus terris novam dioecesim constituimus *Abomeiensem* cognominandam et clero in eadem terra nato concredendam. Quo vero aptius fines novae dioecesis definirentur, scilicet audito venerabili Fratre Natali Boucheix, sacro Portus Novi Praesule, eam partem subpraefecturae civilis quam per vulgus Zagnanado dicunt quaeque ad dioecesim Portus Novi pertinet, ab hac dividimus, atque Abomeiensi dioecesi attribuimus. Novam circumscriptionem Sedi metropolitanae Cotonuensi suffraganeam constituimus, eaque iurisdictioni Sacrae Congregationis de Propaganda Fide obnoxia manebit. Eius praeterea sedes episcopalis in urbe Abomey erit, cathedra vero in templo SS. Petri et Pauli, in eadem civitate, quod videlicet ad cathedralis dignitatem attollimus, cum debitis iuribus. Canonicorum collegium condatur; quod si pro locorum difficultatibus fiat impossibile, Episcopus Consultores dioecesanos eligat, qui consilio et ope ei assint. Cetera omnia ad iuris Canonici normam temperentur. Condita vero per harum litterarum effectionem dioecesi, documenta et acta quae ad novam Ecclesiam quoquo modo respiciant, ad eius Curiam episcopalem mittantur, religiose in tabulario custodienda. Ceterum haec quae iussimus, venerabilis Frater Ioannes Baptista Maury ad exitum adducet, vel quem ipse delegaverit. Re autem acta, ipse documenta exarari faciet, quorum sincera exempla ad Sacram Congregationem Fidei Propagandae cito mittet.

Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta oflS.-cere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini prae-

terea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur.

Datum Romae, apud S. Petrum, die quinto mensis Aprilis, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo tertio, Pontificatus Nostri quinto.

IACOBUS A. Card. COPELLO
8. R. E. Cancellarius

GREGORIUS P. Card. AGAGIANIAN
8. Congr. de Prop. Fide Praefectus

Franciscus Tinello
Apostolicam Cancellariam Regens

Iosephus Rossi, Ep. tit. Palmyrenus, *Proton. Apost.*
Ioannes Calieri, *Proton. Apost.*

Loco £8 Plumbi

In Ap. Cane, tab., vol. CXII, n. 76.

III

CHICLAYENSIS
(CHOTENSIS)

E dioecesi Chiclayensi quaedam territoria detrahuntur, quibus nova praelatura *nullius* conditur, nomine « Chotensis » appellanda.

IOANNES EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Pontificale munus, quo ut fideliter fungeremur (cf. *Mt.* **16,17** ss.) Dei consilio et voluntate Vocati sumus, quodque iuxta sanctissimum Christi Evangelium (cf. *Io.* 21, 15-**17)** Patrumque sententiam (cf. Aug. *In Io.,* ad cap. 21,15-17) tamquam « officium amoris)) semper duximus, profecto id efficit ut cogitationes Nostras omnes eo intendamus ut, videlicet, Christi gregi, qui in frequentissimis orbis terrarum oris consistit curisque Episcoporum commissus est, opportune consulamus, facta nempe maxima facultate fidem suam christianam in pectoribus alendi, ad cuius imperium et praescripta iidem omnia peragant. Quoniam ergo

venerabilis Frater Romulus Carboni/ Archiepiscopus titulo Sidoniensis et in Republica Peruviana Apostolicus Nuntius, ab Apostolica Sede expostulavit ut, quibusdam separatis territoriis a dioecesi Chiclayensi, nova in ea Republica praelatura « nullius » constitueretur, Nos id reputantes christianae religioni ibi loci valde favere posse, re bene considerata sententiamque rogato venerabili Fratre Daniele Figueroa Villón, Episcopo Chiclayensi, de Nostra summa auctoritate haec, quae sequuntur, decernimus et statuimus. A dioecesi Chiclayensi territorium civilium provinciarum separamus, quas vulgo Chota et Cutervo cognominant ; quo novam praelaturam « nullius)) condimus *Chotensem* appellandam, cuius hi erunt fines : ad septemtrionem, dioecesis Piurensis et praefectura apostolica S. Francisci Xaverii; ad orientem, dioecesis Chachapoyasensis ; ad meridiem, dioeceses Caiamarcensis et Chiclayensis; ad solis occasum, denique, dioecesis Chiclayensis. Caput novae circumscriptionis urbs Chota erit, in eaque Episcopus domicilium suum statuet, cathedra doctrinae docendae in templo paroeciali collocata, Sanctis omnibus dicato, cui omnia iura facimus talibus debita aedibus, praelaturam Chotensem Truxillensi Sedi suffraganeam constituimus, cuius sacro Praesuli Praelatum Ordinarium subicimus ad normam iuris. Qui praeterea minus saltem Seminarium condat, pueris ad sacerdotium vocatis excipiendis; quod ad praescripta iuris communis et secundum regulas Sacrae Congregationis de Seminariis et Studiorum Universitatibus faciat. Cum vero iuvenes eo pervenerint ut philosophiae et theologiae incumbere debeant, tunc optimos Romam mittet in Collegium Pontificium Pianum Latinum Americanum sacris disciplinis recte imbuendos. Mensam praelaticiam constituent : dos a civili potestate danda, fidelium collationes, Curiae proventus, et pars bonorum congrua quae novae Ecclesiae obtinget, iuxta canonem 1500 C. I. C. Ad clerum quod attinet, censemus ut his litteris ad effectum adductis sacerdotes qui in nova Sede vel beneficium vel officium habeant, eidem ascribantur ; ceteri vero clerici Seminariique tirones, ei in qua legitime degant. Censemus postremo ut documenta et acta quae ad novam praelaturam respiciant, vel ad eius cives, cito ad eius Curiam mittantur, ibique in tabulario rerum religiosarum serventur. Ceterum haec omnia venerabilis Frater Romulus Carboni exsequi studebit vel quem ipse delegaverit, factis ad rem necessariis potestatibus. Re vero acta, idem documenta exarari iubebit, quorum sincera exempla ad Sacram Congregationem Consistorialem quam primum mittet. Quod si alius eo tempore Nuntiaturae Apostolicae praesit, hic mandata Nostra haec faciet.

Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur.

Datum Romae, apud S. Petrum, die septimo mensis Aprilis, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo tertio, Pontificatus Nostri quinto.

Pro 8. R. E. Cancellario
ffi HAMLETUS I. Card. CICOGNANI CAROLUS Card. CONFALONIERI
a publicis Ecclesiae negotiis ***8. Congr. Consistorialis a Secretis***

Franciscus Tinello
Apostolicam Cancellariam Regens

Franciscus H. Ferretti, *Proton. Apost.*
Ioannes Calieri, *Proton. Apost.*

Loco © Plumbi

In Ap. Cane, tab., vol. CXII, n. J¡9.

IV

OTTAVIENSIS
(HULLENSIS)

Detracto territorio ab archidioecesi Ottaviensi, nova dioecesis conditur « Hullensis » appellanda.

IOANNES EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Quia dioecesim condere non modo est territorium ab alia Ecclesia, quasi ramum ex arbore, decerpere, certisque finibus constitutis in propriam formam redigere, verum etiam proprio Episcopo instruere, qui omnes et labores, et curas, et industrias in eo collocet ut christianum

populum quem gubernandum suscepit quam sapientissime regat tamquam si diligentissimus pater filiis praesit, idcirco Nos, quos Deus voluit arcano decreto in tanto fastigio collocare, quam aequissime novas dioeceses condi curamus id scilicet bona spe existimantes ut, multiplicatis pastoribus, gregis etiam commoda et utilitates feliciter augeantur. Cum ergo venerabilis Frater Sebastianus Baggio, Archiepiscopus titulo Ephesinus et in Canadia Apostolicus Delegatus, ab hac Apostolica Sede petierit ut ibi loci nova dioecesis constitueretur, libenti animo huic postulationi concedimus, sententiamque rogatis cum venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus Sacrae Congregationi Consistoriali praepositis, tum etiam venerabili Fratre Maria Iosepho Lemieux, sacro Ottaviensi Praesule, haec quae sequuntur decernimus et iubemus. Ab archidioecesi Ottaviensi territorium separamus civilis provinciae Quebecensis, eoque dioecesim condimus, quae ab urbe Hull, *Hullensis* cognominabitur, cuiusque hi erunt fines : ad occasum, communes limites comitatuum, qui dicuntur, Gatineau et Pontiac, qui sunt fines orientales archidioecesis Sherbrookensis ; ad septemtriones, termini septentrionales plagarum vulgo appellatarum Aylwin et Hinks, quae sunt in comitatu Gatineau, Browman, Villeneuve, Lathbury, Hartwick, Suffollk et Ponsonby, in comitatu Papineau, usque ad meridionales fines dioecesis Montis Laurei; ad orientem solem, communes fines comitatuum vulgari appellatione Papineau et Argenteuil dictorum, qui simul sunt limites occidentales dioecesis S. Hieronymi; ad meridiem, denique, flumen Ottawa, quod inter archidioecesim Ottaviensem et novam dioecesim interfluit. Dioecesis caput urbs Hull erit, in eaque Episcopus cathedram ponet suae auctoritatis, in templo scilicet Iesu Christo Redemptori dicato, quod ad cathedralis aedis honorem tollimus. Nova Sedes Ottaviensi metropolitanae Ecclesiae suffraganea erit, iuxta normas iuris communis. Eius autem mensam episcopalem constituent : Curiae emolumenta, fidelium collationes, bonorum congrua pars quae eidem obvenient divisis bonis archidioecesis Ottaviensis ad normam canonis 1500 C. I. C. Canonicorum collegium praeterea condatur; interim autem Consultores dioecesani deligantur, qui Episcopo auxilio, consilio assint. Constituta vero dioecesi, eo ipso Sacerdotes qui beneficium seu officium in eius territorio habeant, eidem sint ascripti tamquam proprius clerus, ceteri vero clerici Seminariique tirones ei Ecclesiae addicantur, in qua legitime degant. Documenta postremo et acta ad novam circumscriptionem respicientia cito ad eius Curiam episcopalem mittantur, in tabulario religiose custodienda. Ceterum haec quae iussimus venera-

bilis Frater Sebastianus Baggio effici curabit vel quem. ipse delegábit, factis ad rem facultatibus; re vero acta, documenta exarari iubebit, quorum sincera exempla ad Sacram Congregationem Consistorialem magna cura mittet.

Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus ; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur.

Datum Romae, apud S. Petrum, die septimo et vicesimo mensis Aprilis, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo tertio, Pontificatus Nostri quinto.

IACOBUS A. Card. COPELLO
8. R. E. Cancellarius

CAROLUS Card. CONFALONIERI
8. Congr. Consistorialis a Secretis

Franciscus Tinello
Apostolicam Cancellariam Regens

Iosephus Rossi, Ep. tit. Palmyrenus, *Proton. Apost.*
Ioannes Calieri, *Proton. Apost.*

Loco £8 **Plumbi**

In Ap. Cane, tab., vol. CXII, n. 10.

•*Y*

SIDEROPOLITANAE

In cathedrali templo dioecesis Sideropolitanae Canonicorum collegium constituitur.

IOANNES EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Solet Catholica Ecclesia, exempli gnara Conditoris, qui Apostolorum collegium sibi ascivit per quos in hominibus verbum Dei diffunderetur, Ecclesiarum rectoribus, Episcopis nempe, virorum coetum,

quasi sacrum senatum, adiungere (cfr. *Ignat.*, Trall. 2, **1),** qui sua prudentia ac pietate, Praesule duce, fidelium bono allaborent, divinique cultus gloriam splendoremque adaugeant. Qua re, cum venerabilis Frater Stephanus Laszlo, Episcopus Sideropolitanus, petierit ut in sua cathedrali aede, Deo in honorem S. Martini Turonensis dicata, Canonicorum collegium conderetur, idque Sacra Congregatio Consistorialis, post auditum venerabilem Fratrem Opilium Rossi, Archiepiscopum titulo Ancyranum et in Austria Apostolicum Nuntium, factis olim a Nobis facultatibus, faciendum decreverit, Nos acta Sacrae Congregationis probantes, consensuque eorum suppleto qui hac super re aliquod ius vel habeant vel se putent habere, haec iubemus. In cathedrali templo dioecesis Sideropolitanae *Canonicorum collegium* constituimus, quod ad normam art. 4 Conventionis inter Sanctam Sedem et Moderatores Reipublicae Austriacae, die xxui mensis Iunii anno MCMLX initae duabus Dignitatibus efficietur, Praeposito nempe et Custode, atque Canonicis, quorum unus erit Theologus, alter Poenitentiarius. Dignitatum assignatio penes Apostolicam Sedem erit ; Canonicatuum vero ab Episcopo fiet, ad normam iuris canonici; tamen indulgemus ut, quoad congruis bonis iidem instruantur, possint etiam iis attribui sacerdotibus qui alio beneficio fruantur, etsi cum animorum curatione coniuncto. Parochus autem eiusdem ecclesiae cathedralis e Canonicorum collegio eligatur, ad iuris normam, sit tamen amovibilis. Ad sacra facienda quod attinet, ad precesque proprias canonicorum censemus ut semel in mense fiant, die scilicet quo suetus habetur conventus canonicorum, ceterisque praeterea diebus sollemnioribus qui per capitulares constitutiones, quam primum condendas, edicentur ; resque absolvetur unius horae psalmodia missaeque celebratione. Cum autem deceat eos qui in Episcopi consilium et senatum asciscuntur singularibus insignibus condecorari, sinimus ut Dignitates et Canonici in suae dioecesis finibus habitum quem vocant ((pianum » adhibeant, nempe caligas et collare violacei coloris, vestem talarem nigram cum ore textibus orbiculis et ocellis violaceis, sericam zonam violaceam cum laciniis pariter sericis et violaceis. In choro autem induant rochetum cum reflexu in manicis rubini coloris opere reticulato exornato, mozetam laneam violaceam absque caputio et, iuxta temporum opportunitatem, cappam cum pellibus albi coloris atque biretum violaceum. Concedimus etiam Canonicis privilegium gestandi catenam cum parva cruce, Dignitatibus insuper anulum, Praeposito demum collegii privilegium sacra sub infula celebrandi. Ad cetera respicientes, officia nempe, munera, iura et privilegia Canonicorum,

alia eiusmodi, iubemus ut normae serventur iuris communis. Itaque, collegio Canonicorum condito, eo ipso Consultores dioecesani a suo munere cessabunt. Ceterum ad haec omnia perficienda venerabilem Fratrem Opilium Rossi legamus, vel quem ipse delegaverit ad exitum adducet, factis necessariis potestatibus. Idem, re acta, documenta exarari curabit, eademque sinceris exemplis ad Sacram Congregationem Consistorialem cito mittet. Quod si alius eo tempore apostolicae in Austria Nuntiaturae praesit, hic mandata Nostra omnia faciet.

Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis eûicacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta oificere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur.

Datum Romae, apud S. Petrum, die primo mensis Maii, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo tertio, Pontificatus Nostri quinto.

Pro S. B. E. Cancellario
© HAMLETUS I. Card. CICOGNANI — CAROLUS Card. CONFALONIERI
a publicis Ecclesiae negotiis — ***8. Congr. Consistorialis a Secretis***

Franciscus Tinello
Apostolicam Cancellariam Begens

Franciscus H. Ferretti, *Proton. Apost.*
Ioannes Calieri, *Proton. Apost.*

Loco © Plumbi

In Ap. Cane, tab., vol. CXII, n. 52.

YI

PORTUS MONTT

Sedes cathedralis Portus Montt ad metropolitanae gradum evehitur novae cuiusdam provinciae ecclesiasticae.

IOANNES EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Apostolicae Sedis mos est et" consuetudo ecclesiasticarum circumscriptionum territorium aptius quandoque disponere, ea quidem de causa ut christifidelium bono melius consulatur. Cum ideo venerabilis Prater Caietanus Alibrandi, Archiepiscopus titulo Bindaeus et in Republica Chilensi Apostolicus Nuntius, opportunum esse duxerit ut cathedralis Ecclesia Portus Montt ad metropolitanae Sedis dignitatem eveheretur simulque nova ecclesiastica provincia in regione australi Chilensis Ditionis constitueretur, idque ut fieret a Nobis petierit, sententiam, uti par erat, sive dilectum Filium a Secretis Sacrae Congregationis Consistorialis rogavimus, sive locorum Ordinarios quorum id ipsum pertineret, atque suprema et apostolica Nostra auctoritate sequentia decernimus ac iubemus. A metropolitano iure archiepiscopalis Ecclesiae Ss. Conceptionis eximimus cathedrales Sedes Portus Montt, Osornensem, S. Caroli Ancudiae et De Punta Arenas; item earum dioecesium sacrorum Antistites a iure absolvimus Archiepiscopi Ss. Conceptionis, tamquam ipsorum Metropolitae, atque ex ita distractis Ecclesiis, quibus vicariatum apostolicum Ayensem addendum decernimus, provinciam ecclesiasticam condimus, *Portus Montt* appellandam iisdemque finibus terminandam ac dioeceses et vicariatus apostolicus, quos diximus, circumscribuntur. Portus Montt episcopalem sedem ad gradum et dignitatem Ecclesiae metropolitanae evehimus, cum iuribus, privilegiis et praerogativis, .quibus ceterae archiepiscopales metropolitanae sedes ad iuris communis normam fruuntur. Quae ideo archidioecesis tamquam suffraganeas dioeceses habebit Osornensem, S. Caroli Ancudiae, De Punta Arenas et vicariatum apostolicum Aysensem. Sacros Portus Montt Praesules archiepiscopali dignitate perpetuo insignimus iidemque Metropolitarum iuribus fruentur, sic ut sacri canones describunt. Quorum Praesulum primus erit venerabilis Frater Robertus Rencoret Donoso, hactenus dioecesis Portus Montt Episcopus,

cuius metropolitano iuri quas memoravimus Ecclesiarum Antistites subicimus. Omnia quae decrevimus ad effectum adducet venerabilis Prater Caietanus Alibrandi, quem diximus, vel per se ipse vel per alium delegatum virum, dummodo sit in ecclesiastica dignitate constitutus. Quod si tempore exsecutionis alius in Cbilensi Republica Apostolicus Nuntius erit, hic mandata Nostra faciet. Re autem perfecta, negotii documenta rite signata ac sigillo impressa, ad Sacram Congregationem Consistorialem quam primum mittantur.

Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur,; si ostenderetur.

Datum Romae, apud S. Petrum, die decimo mensis Maii, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo tertio, Pontificatus Nostri quinto.

IACOBUS A. Card. COPELLO
S. B. E. Cancellarius

CAROLUS Card. CONFALONIERI
8. Congr. Consistorialis a Secretis

Franciscus Tinello
Apostolicam Cancellariam Begens

Iosephus Rossi, Ep. tit. Palmyrenus, *Proton. Apost.*
Ioannes Calieri, *Proton. Apost.*

Loco £ß Plumbi

In Ap. Cane, tab., vol CXII, n. 80.

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

PROVISIO ECCLESIARUM

Sanctissimus Dominus Noster Paulus Divina Providentia Pp. VI, successivis decretis Sacrae Congregationis Consistorialis, singulas quae sequuntur Ecclesias de novo Pastore dignatus est providere, nimirum :

die 29 Ianuarii 196%. — Metropolitanae Ecclesiae Liverpolitanae praefecit Exc. P. D. Georgium Andream Beck, hactenus Episcopum Salfordensem.

— Metropolitanae Ecclesiae Glasguensi Exc. P. D. Iacobum Donaldum Scanlan, hactenus Episcopum Matrisfontis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Theudalensi R. P. D. Villelmum Gordonium Wheeler, Antistitem Urbanum, administratorem paroeciae Pretiosissimi Sanguinis D. N. Iesu Christi ad cathedrale templum archidioecesis Vestmonasteriensis, quem constituit Coadiutorem cum iure successionis Excmi P. D. Georgii Brunner, Episcopi Medioburgensis.

die 7 Februarii. — Metropolitanae Ecclesiae Burgensi Exc. P. D. Secundum García de Sierra et Méndez, hactenus Archiepiscopum titularem Parianum.

— Cathedrali Ecclesiae Gerundensi Exc. P. D. Narcissum Jubany Arnau, hactenus Episcopum titularem Orthosiensem in Phoenicia.

— Cathedrali Ecclesiae Seguntinae-Guadalajarensi Exc. P. D. Laureanum Castán Lacoma, hactenus Episcopum titularem Dalisandenum in Isauria.

die U Februarii. — Cathedrali Ecclesiae Villavincentiensi, noviter erectae, Exc. P. D. Franciscum Iosephum Bruls, hactenus Episcopum titularem Paraetoniensem.

die 13 Februarii. — Titulari archiepiscopali Ecclesiae Leontopolitanae in Pamphylia Exc. P. D. Iosephum D'Avack, hactenus Archiepiscopum Camerinensem.

die lit Februarii. — Archiepiscopali Ecclesiae Camerinensi R. P. D. Brunonem Frattegiani, Antistitem Urbanum, Canonicum Capituli cathedralis Perusini, Praesidem tribunalis ecclesiastici regionis Umbrae.

die 17 Februarii. — Cathedrali Ecclesiae Londonensi Exc. P. D. Geraldum Emmett Carter, hactenus Episcopum titularem Altihuritanum.

die 18 Februarii. — Cathedrali Ecclesiae Telsensi Exc. P. D. Petrum Mazelis, hactenus Episcopum titularem Celenderitanum.

— Praelaturae *nullius* Klaipedensi Exc. P. D. Petrum Mazelis, Episcopum Telsensem.

die 22 Februarii. — Titulari episcopali Ecclesiae Ombitanae E. D. Antonium de Castro Xavier Monteiro, pro-rectorem Seminarii Maioris archidioecesis Bracharensis, quem deputavit Auxiliarem Excmi P. D. Antonii Valente da Fonseca, Episcopi Villaregalensis.

die 28 Februarii. — Cathedrali Ecclesiae Ogdensburgensi E. P. D. Thomam Andream Donnellan, moderatorem Seminarii Maioris archidioecesis Neo-Eboracensis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Arsacalitanae R. P. D. Vincentium Martinum Leonard, parochum S. Patricii Ep. et Conf., e dioecesi Pittsburgensi Latinorum, quem deputavit Auxiliarem Excmi P. D. Ioannis Iosephi Wright, Episcopi Pittsburgensis Latinorum.

die 2 Martii. — Archiepiscopali Ecclesiae Labacensi Exc. P. D. Iosephum Pogacnik, hactenus Episcopum titularem Irenopolitanum in Isauria.

die 7 Martii. — Cathedrali Ecclesiae Gedanensi Exc. P. D. Edmundum Nowicki, hactenus Episcopum titularem Thuggensem.

— Titulari episcopali Ecclesiae Victorianensi R. P. D. Carolum Colombo, ex archidioecesi Mediolanensi, Antistitem Urbanum, Praesidem Instituti vulgo « Giuseppe Toniolo per gli Studi Superiori ».

die 11 Martii. — Titulari archiepiscopali Ecclesiae Seleuciensi in Isauria Exc. P. D. Gulielmum Marcum Düke, hactenus Archiepiscopum Vancuveriensem.

SACRA CONGREGATIO RITUUM

i
NEAPOLITANA

Beatificationis et canonizationis Venerabilis Servi Dei Ludovici a Casauria, sacerdotis professi Ordinis Fratrum Minorum, fundatoris Congregationum Fratrum a Caritate, vulgo « Bigi », et Sororum a S. Elisabeth, vulgo « Bigie », Tertii Ordinis S. Francisci.

SUPER DUBIO

An constet dé virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate cum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine earumque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

Caritas Christi, qua Paulus Apostolus se urgeri profitebatur, vehementer in pectore Famuli Dei Ludovici a Casauria exarsit eademque eximiis operibus fulgens apparuit.

Is Casauriae, quod est prope Neapolim amoenissimum oppidum, ortum duxit die 11 mensis Martii anno 1814 e piis honestisque parentibus, atque postridie salutaribus ablutus est undis, Archangeli recepto nomine.

Pietate et ingenio inde a puero enitens, duodeviginti annos natus Franciscanum Institutum, quod ante instauratam unitatem Reformatorum vocabatur, ingressus est, assumpto nomine Ludovici, atque tandem die 4 Iunii a. 1837 sacerdotio fuit auctus. Magistri munere decem fere annos perfunctus, Superiorum suffragio Tertii Franciscalis Ordinis Commissarius electus est, atque ad pristinam eiusdem Ordinis gloriam instaurandam eumdemque propagandum et ascriptorum vitam ad Evangelii semitam perducendam multum adlaboravit, plures ex eodem assumens homines operibus caritatis dicandos. In Conventu dein ad Palmam, novo nosocomio pro Neapolitanae provinciae consodalibus ceterisque sacerdotibus indigentibus constituto, quibus medicamenta ab ipso parata praestabat, ferventiores quosdam Tertii Ordinis consodales sibi sociavit. Quorum quibusdam vitam in communi instaurare cupientibus, Famulus Dei novum fundavit Institutum a Caritate nuncupatum, data sodalibus cinerei coloris veste : inde Cinereorum Fratrum nomen. Collegium quoque pro Nigritis pueris instituit ad omnem virtutem

efformandis utque ex iisdem Evangelii praecones mitterentur Africam per Afros ad christianam fidem con ver suri. Novum quoque opus pro Afris puellis constituit, quod deinde Sororibus Congregationis Tertii Ordinis a S. Elisabeth, vulgo « Bigie », ab ipso fundatae, concredidit.

Longa Famulus Dei itinera aggressus, immanes exantlavit labores, innumeras devicit difficultates et, omnibus omnia factus, valetudinaria excitavit, collegia condidit, hospitia comparavit variasque domos aperuit pueris puellisque, parentibus orbatis, nautis senio confectis, surdis, mutis caecisque excipiendis et alendis ; aliaque id genus multa iniit, ita ut asseri possit nullum ferme esse calamitatum et morborum genus, cui ille mederi non studuerit, nullumque misericordiae munus quo ipse non fuerit perfunctus, ut facilius veritatis lumine mentes illustraret, errantes in salutis viam reduceret, atraque sui temporis mala depelleret. Quo factum est, ut omnium in se admirationem converterit, et vel ipsos Ecclesiae osores laborum suorum laudatores nactus sit.

Difficultates autem, quae in tot talibusque operibus exstruendis supervenerunt, sereno pertulit animo, non secus ac gravem morbum, qui plures eum annos divexavit.

Tandem die 30 Martii a. 1885, Ecclesiae sacramentis refectus, placide obdormivit in Domino.

Praeclara atque late diffusa sanctitatis fama, qua Dei Famulus vivens honestabatur, post eius obitum non deferbuit, atque caelestibus signis confirmari visa est. Quapropter de beatorum Caelitum honoribus eidem decernendis agi coeptum est. Post igitur ordinarios, quos dicunt, processus in ecclesiasticis Curiis Neapolitana et Salernitana instructos atque edito, die 7 Septembris a. 1903, decreto super scriptis eidem Servo Dei tributis, S. Pius X Commissionem introductionis Causae die 13 Martii a. 1907 obsignavit. Apostolici postmodum adornati sunt in Neapolitana Curia processus super virtutibus in specie, de quorum iuridica vi decretum est latum die 21 Aprilis a. 1931.

Servatis itaque omnibus de iure servandis, quaestio agitata est apud Sacram Rituum Congregationem super virtutibus theologalibus et cardinalibus eiusdem Servi Dei, et quidem primum, die 21 Novembris a. 1944, in antepraeparatorio coetu, deinde in praeparatoria die 9 Decembris a. 1952, et denuo in nova praeparatoria Congregatione die 24 Februarii a. 1959. Quibus denique generalia, quae dicuntur, successere Sacrae eiusdem Congregationis comitia, die 28 mensis Ianuarii a. 1964, coram Ssmo Domino nostro Paulo Papa VI, in quibus Revmus Cardinalis Clemens Micara, Episcopus Veliternus ipsiusque Causae Ponens seu Relator, sequens dubium disceptandum proposuit : *An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate cum in Deum. tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine,*

earumque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur. Omnes antem qni aderant, tam Cardinales, sacris tuendis ritibus praepositi, quam Officiales Praelati Patresque Consultores unanimi consensu affirmative responderunt. Beatissimus vero Pater mentem aperire Suam in tanti momenti negotio de more distulit, ut interim maiorem superni luminis copiam impetraret.

Hoc denique die, Eucharistico Sacrificio piissime litato, Sanctitas Sua infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationis Praefectum atque Revmum Cardinalem Clementem Micara, Causae Relatorem, necnon R. P. Ferdinandum Antonelli O. F. M., Fidei Promotorem Generalem, meque a Secretis ad Se accivit, iisque adstantibus, sollemni Decreto edixit : *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate cum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine earumque adnexis Venerabilis Servi Dei Ludovici a Casauria, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem Decretum rite promulgari et in Acta Sacrae Rituum Congregationis referri mandavit.

Datum Romae, die 13 Februarii anno Domini 1964.

ARCADIUS M. Card. **LARRAONA,** *Praefectus*

L. © S.

f Henricus Dante, Archiep. Carpasien., *a Secretis*

II

PORTUG ALLEN. **SEU** MONASTERIEN.

Beatificationis et canonizationis Venerabilis Servae Dei Mariae a Divino Corde, (Droste zu Vischering), Instituti Sororum a Bono Pastore.

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate cum in Deum tum in proximum, nec non de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia, Fortitudine earumque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

Investigabiles divitias Cordis sui humani generis Redemptor famulae suae Margaritae Mariae Alacoque in intimo Visitationis receptáculo revelare benignissime dignatus est, et ex tunc erga Divinum Cor religio

ac devotio per universum orbem dilatatae sunt, omniumque animos vivido repleverunt amore, ope praesertim sacerdotum apostolico zelo flagrantium, piarumque mulierum, ardenti in Deum, qui caritas est,.dilectione nitentium. Inter innumeras huius devotionis propagatrices, ad finem saeculo decimonono vergente, adscribi debet et Famula Dei Maria Droste zu Vischering, quae « a Divino Corde » in religione voluit appellari.

Praestantissimae huius Servae Dei vitam si quis paulo diligentius studuerit cognoscere, cogetur admirari cum splendorem virtutum, quibus et nobilitatem generis longe superavit, et vilitatem vitae nobilitavi^ tum singularitatem gratiarum quibus benigna Salvatoris manu tacitis omnino, sed arduis viis, ad apicem perfectae caritatis ducta est. Ardentissimo enim cotidiani panis Eucharistici amore accensa, desiderio Redemptoris infinitas divitias universo generi humano aperiendi, Summum Pontificem Leonem XIII litteris impulit ut totum mundum, ineunte saeculo vigesimo, Cordi Iesu solemniter consecraret. Quod revera ipse Pontifex, datis Apostolicis Litteris, perfecit.

Monasterii, in Westfalia, nobilibus piisque parentibus Clemente Comite Droste zu Vischering Erbdrost et Helena Comitissa von Galen die 8 Septembris anno 1863 nata est. Cum in vitae periculo versaretur, statim lustralibus aquis abluta fuit a medico, licet massonicae sectae adscripto, et post triduum sub conditione iterum baptismi aquis fuit lustrata.

Primam aetatem in castro Darfeld transegit, ubi pietatem, praesertim vero devotionem erga Sacratissimum Cor Iesu a parentibus didicit. Undecimo aetatis anno primum ad sacram Synaxim accessit, ac paulo post Confirmationis sacramento linita fuit. Quindecimum dum ageret annum vocationem religiosam advertit, et anno sequente Sororum a S. Corde Iesu prope Riedemburg collegium ingressa est, ubi duobus annis mansit et intimius ad religiosam vitam amplectendam se vocari persensit. Domum reversa, de sua vocatione parentes certiores fecit qui, etsi gaudio affecti, eam ob infirmam valetudinem paternam domum relinquere non posse dixerunt nisi expleto vigesimo primo aetatis anno. Quam ob rem, religiosum institutum ingredi non valens, amore in Christum percita, perpetuae castitatis votum emisit. Vigesimum tertium annum attingens, et adhuc ob infirmam valetudinem cum in monasterium recipi non posset, domi religiosam vitam iniit, nigri coloris habitu induta. Tandem die 21 Novembris anno 1888, aetatis suae vigesimo quinto, assentiente confessario, Institutum a Bono Pastore ingressa est, Mariae a Divino Corde nomine sumpto.

Tirocinio rite peracto, religiosa vota emisit in Monasteriensi domo, in qua magistrae poenitentium officium ei statim concreditum fuit, quod,

donec in Lusitaniam missa est, diligentissime tenuit. Ulissipone per aliquot tempus mansit, et, ineunte anno 1894 antistita domus Portugallensis fuit renunciata. Religiosa haec domus, cum primum Dei Famula eam regendam suscepit, permultis exagitabatur difficultatibus ; at cito, ipsa moderatrice, magna rerum mutatio facta est : poenitentium numerum auxit, easque devotione erga Divinum Gor imbuere et christianae religionis rudimenta edocere curavit. Paucos vero post menses ab eius adventu in Portugallensem domum, Dei Famula in morbum myeliticum incidit et adeo debilis evasit, ut ei loqui, deambulare, scalas ascendere laboriosum atque difficile fuerit. Medentium remediis minime obstantibus, continuo lectum tenére fuit coacta, ex quo concreditam sibi domum assidue gubernabat. Has malae affectae valetudinis conditiones forti hilarique semper animo tulit, et tunc temporis inspirationem habuit impetrandi a Summo Pontifice Leone XIII totius humani generis Sacratissimo Cordi Iesu consecrationem. Cum vero iam omnia peracta erant ut eius vota perficerentur, Dei Famula ad caelum evolavit die 8 Iunii anno 1899, aetatis suae trigesimo tertio, sororibus patientiae, pietatis vividumque orationis exemplum relinquens.

Post mortem eius memoria haud est oblivioni mandata, immo magna sanctitatis fama est efformata, quae et extra monasterii septa late diffusa est. Qua permotus, Episcopus Portugallensis, intra cuius dioecesis fines supremum diem obiit, annis 1921-26 ordinarios, quos vocant, processus instituit, rogatoriales vero in dioecesi Monasteriensi, in qua nata est multosque transegit annos, peracti sunt. Romam delati, rite discussi fuere. Edito vero die 16 Iulii anno 1941 Decreto super scriptis, Summus Pontifex Pius XII, felicis recordationis, Commissionem introductionis Causae propria manu signare benigne dignatus est die 28 Novembris eodem anno. Constare dein de obedientia praestita Decretis Urbani Papae VIII super numquam ei exhibito cultu Sacra Rituum Congregatio die 22 Aprilis anno 1942 decrevit. Apostolici postmodum processus adornati sunt in praefatis Curiis episcopalibus super virtutibus et miraculis in specie Famulae Dei, de quorum vi iuridica die 26 Martii anno 1948 sancitum est.

Quibus omnibus rite absolutis, instante Revmo P. Iosepho Hamon, Congregationis Iesu et Mariae Eudistarum, Causae postulatore legitime constituto, ad disceptationem super virtutibus theologalibus Servae Dei deventum est die 17 Februarii 1953 prius in Antepraeparatorio Coetu, dein in Praeparatorio die 17 Decembris 1957, ac tandem in Generali coram Sanctissimo Domino nostro Paulo Papa VI die 28 Ianuarii mensis anni huius, in quo Revmus Dominus Benedictus Cardinalis Aloisi Masella, Episcopus Praenestinus, ipsius Causae Ponens seu Relator, sequens

dubium discutiendum proposuit : *An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate cum in Deum tum in proximum, nec non et de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine earumque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Et Revmi Cardinales sacris tuendis ritibus praepositi, Praelati Officiales Consultoresque theologi quotquot aderant suum quisque suffragium protulerunt. Beatissimus vero Pater haec vota benigne quidem suscipere dignatus est, mentem vero suam in tanti momenti negotio aperire distulit, et supplicationes ab iisdem effundendas postulavit, ut uberiora superna lumina sibi interim effulgerent.

Hanc tandem selegit diem in qua, ad Se accitis Revmis Cardinalibus Arcadio Maria Larraona, S. Rituum Congregationis Praefecto, et Benedicto Cardinali Aloisi Masella, Causae Ponente seu Relatore, nec non et Revmo P. Ferdinando Antonelli, Ordinis Fratrum Minorum, Fidei Promotore Generali, meque infrascripto a Secretis, sacrosancto Missae sacrificio piissime litato, edixit : *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate cum in Deum tum in proximum, nec non et de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine earumque adnexis, Servae Dei Mariae a Divino Corde, Droste zu Vischering, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem Decretum publici iuris fieri et in Acta Sacrae Rituum Congregationis referri mandavit.

Datum Romae, die 13 Februarii a. D. 1964.

ARCADIUS M. Card. **LARRAONA,** *Praefectus*

L. © S.

f Henricus Dante, Archiep. Carpasien., *a Secretis*

III

URBIS **ET** ORBIS

DECRETUM

De nova formula in sacrae Communionis distributione

Quo actuosius et fructuosius fideles Missae sacrificium participent, et in ipso Communionis actu fidem in sacrosanctum Eucharistiae mysterium profiteantur, quam plurimae preces Beatissimo Patri Paulo Pp. VI exhibitae sunt, ut aptiore formula Corpus Domini nostri Iesu Christi fidelibus distribuatur.

Sanctitas porro Sua, haec vota benigne suscipiens, statuere dignata

est ut in sacrae Communionis distributione, seposita praesenti formula, sacerdos dicat tantum : « Corpus Christi », et fideles respondeant : « Amen », et inde communicentur. Quod quidem servandum erit quoties sacra Communio distribuitur tam in Missa quam extra Missam.

Contrariis quibuslibet, etiam speciali mentione dignis, minime obstantibus.*

Ex Secretaria Sacrae Rituum Congregationis, die 25 Aprilis 1964.

ARCADIUS M. Card. **LARRAONA,** *Praefectus*

L. « S .

f Henricus-Dante, Archiep. Carpasien., *a Secretis*

I V

URBIS ET ORBIS

DECRETUM

De nova pia invocatione in laudem Spiritus Sancti Paracliti

Piae invocationes in Dei, Domini nostri Iesu Christi et Beatissimae Virginis Mariae laudem, primitus in reparationem iniuriarum contra eorum sanctissima nomina exortae, decursu temporis, ob fidelium devotionem, pluribus additis supplicationibus, potius »laudationis naturam induerunt. Quam ob rem, ut in hac obsecratione tota Trinitas suum laudationis et precis elogium obtineret, plures Beatissimo Patri Paulo Pp. VI adhibitae sunt preces, ut peculiaris Spiritus Sancti invocatio illic adderetur.

Sanctitas porro Sua, haec optata benigne excipiens, statuit ut in laudibus in blasphemiarum reparatione, quae incipiunt ab invocatione « Dio sia benedetto », post invocationem « Benedetto Gesù nel santissimo Sacramento dell'altare », octavo loco ponatur : « Benedetto lo Spirito Santo Paraclito ».

Contrariis non obstantibus quibuslibet.

Datum Romae, ex Secretaria Sacrae Rituum Congregationis, die 25 Aprilis 1964.

ARCADIUS M. Card. **LARRAONA,** *Praefectus*

L. ✠ S.

f Henricus-Dante, Archiep. Carpasien., *a Secretis*

*** Ex benigna concessione Summi Pontificis Pauli Pp. VI praesens Decretum statim applicari potest; a Dominica Pentecostes ab omnibus in praxim deduci debet.**

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA ROMANA ROTA

Citatio edictalis

MIAMIEN.

Nullitatis matrimonii (Grappo • Toscani)

Cum ignoretur locus actualis commorationis domini Caietani Toscani, causae superius inscriptae conventi, eumdem citamus ad comparendum, aut per se aut per procuratorem legitime constitutum, coram Sacra Romana Rota (Piazza della Cancelleria, 1 - Roma), in diem 1 Iunii 1964, hora undecima, pro concordatione aut subsignatione dubii quod sequitur :

An constet de nullitate matrimonii, in casu, ex capite vis et metus mulieri incussi.

Ordinarii locorum, parochi et fideles quicumque notitiam habentes actualis commorationis praedicti domini Caietani Toscani, curare debent ut de hac edictali citatione ipse rite moneatur. *

Gerardus M. Rogers, *Ponens*

Ex Cancellaria Tribunalis S. R. Rotae, die 17 Martii a. 1964.

Marius F. Pompedda, *Notarius*

* Etant inconnu le lieu de la demeure actuelle de M. Cajétan Toscani, défendeur en cette cause, nous le citons à comparaître, par propre personne ou par un procureur légitimement constitué, au siège du Tribunal de la S. Rote Romaine (Roma, Palazzo della Cancelleria) le 1 juin 1964, à 11 heures, pour concorder ou souscrire le doute ci-dessous rapporté:

Conste-t-il de la nullité du mariage, dans le cas, du chef de violence et de crainte inspirée à Vépousef

Les Ordinaires des lieux, les curés, les prêtres, les fidèles ayant connaissance du lieu de la résidence dudit Cajétan Toscani, devront, dans la mesure du possible, l'avertir de la présente citation.

TRIBUNAL VICARIATUS URBIS

Citatio edictalis

ROMANA

Nullitatis matrimonii (Gennari - Graziani)

Cum ignoretur locus actualis commorationis domini Aldi Graziani, in causa de qua supra conventi, eundem citamus ad comparendum coram Tribunali Primae Instantiae Vicariatus Urbis (Piazza S. Callisto, 16 - Roma), aut per se aut per procuratorem legitime constitutum, in diem 15 Iulii 1964, hora decima, pro concordatione sequentis dubii:

An constet de nullitate matrimonii, in casu, ex capite conditionis appositae ex parte mulieris et non verificatae.

Ordinarii locorum, parochi, fideles quicumque notitiam habentes actualis commorationis praedicti domini Aldi Graziani, curare debent ut ipse de hac edictali citatione rite moneatur. *

Petrus Santini, *Officialis*

Ex Aedibus Tribunalis Vicariatus Urbis, die 1 Aprilis a. 1964.

V. Frazzano, *Cancellarius*

* Etant inconnu le lieu de la demeure actuelle de M. Aldo Graziani, défendeur en cette cause, nous le citons à comparaître, par propre personne ou par un procureur légitimement constitué, au siège du Tribunal du Vicariat de Rome (Piazza S. Callisto, 16 - Roma), le 15 juillet 1964, à 10 heures, pour concorder le doute ci-dessous rapporté:

Conste-t-il de la nullité du mariage, dans le cas, du chef de la condition mise par l'épouse et qui n'a pas été réalisée?

Les Ordinaires des lieux, le curés, les prêtres, les fidèles ayant connaissance du lieu de la résidence dudit M. Aldo Graziani, devront, dans la mesure du possible, l'avertir de la présente citation.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

SACRA CONGREGAZIONE DEI RITI

Martedì, 3 marzo 1964, nel Palazzo Apostolico Vaticano si è adunata la S. Congregazione dei Riti *preparatoria,* nella quale gli Emi e Revmi Signori Cardinali ed i Revmi Prelati Officiali e Consultori teologi hanno discusso su due miracoli che si asseriscono operati ad intercessione del Venerabile Servo di Dio Luigi Guanella, sacerdote, fondatore dei Servi della Carità e delle Figlie di S. Maria della Provvidenza.

Hanno inoltre trattato della riassunzione di Causa di Canonizzazione del Beato Innocenzo da Berzo, Confessore, dell'Ordine dei Frati Minori Cappuccini, ed hanno esaminato le relazioni dei censori teologi su gli scritti del Servo di Dio Giuseppe Gregorio Hernández Cisneros, dottore in medicina.

Martedì, 10 marzo 1964, nel Palazzo Apostolico Vaticano, alla augusta presenza del Santo Padre si è adunata la S. Congregazione dei Riti *generale,* nella quale gli Emi e Revmi Signori Cardinali ed i Revmi Prelati Officiali, e Consultori teologi hanno dato il loro voto :

1. sul martirio del Servo di Dio Giacomo Berthieu, sacerdote professo della Compagnia di Gesù, ucciso in odio alla fede, come viene asserito, nel 1896, nell'Isola del Madagascar;

2. sulle virtù in grado eroico della Serva di Dio Maria Fortunata Viti, monaca professa dell'Ordine di S. Benedetto del monastero di Veroli.

Martedì, 24 marzo 1964, nel Palazzo Apostolico Vaticano si è adunatala S. Congregazione dei Riti *preparatoria,* nella quale gli Emi e Revmi Signori Cardinali, i Revmi Prelati Officiali e Consultori teologi hanno discusso su due miracoli che si asseriscono operati ad intercessione dei Beati Carlo Lwanga, Mattia Kalemba e Compagni Martiri dell'Uganda.

atque de consilio venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium rebus Consistorialibus praepositorum sequentia decernimus. A territorio Ecclesiae Belemensis de Para integrum territorium separamus municipiorum quae vulgo cognominantur Cachoeira do Arari, Ponta de Pedras, Santa Cruz do Ararí, Muanâ, Sâo Sebastiâo da Boa Vista, Curralinho, quibus omnibus novam praelaturam « nullius » constituimus *Petrosi Culminis* appellandam, atque iisdem terminandam finibus atque municipia quae diximus simul sumpta, ut ad praesens per legem civilem uniuntur. Novae Sedis caput Praelatique domicilium in urbe quam vocant Ponta de Pèdras erit, templumque paroeciale ibidem exstans Deo in honorem B. M. V. vulgo appellatae Nossa Senhora da Conceiçâo dicatum ad gradum et dignitatem templi praelatitii attollimus, datis iuribus et privilegiis. Praelaturae autem eiusque pro tempore sacrorum Antistiti omnia iura et honores concedimus quae eiusmodi Ecclesiis competunt, obligationes etiam imponimus. Inter quas memorare placet esse sacrum Praesulem metropolitanae iurisdictioni archiepiscopi Belemensis de Para obnoxium ; teneri eum^ graviter onerata conscientia, minus saltem Seminarium quam primum erigere pueris excipiendis qui ad sacerdotium vocentur ; quod fiat ad iuris communis normas et iuxta regulas Sacrae Congregationis de Seminariis et Studiorum Universitatibus ; cum vero iuvenes adoleverint, qui meliores fuerint Romam mittantur in Pontificium Collegium Pianum Brasilianum, ut philosophiae sacraeque theologiae studiis dent operam. Mensam praelatitiam, quam vocant, constituent Curiae emolumenta, fidelium collationes atque ea bonorum pars quae ad normam canonis 1500 C. I. C. novae circumscriptioni obvenient. Ad clerum quod attinet censemus ut, his Litteris ad effectum adductis, sacerdotes Ecclesiae illi addicantur in cuius territorio beneficium aut ecclesiasticum officium habeant; ceteri autem sacerdotes, clerici Seminariique tirones Ecclesiae illi in cuius territorio legitime degant. Documenta denique et acta quae novam praelaturam quovis modo respiciant a Curia Belemensi de Para ad Curiam Petrosi Culminis mittantur, ibique in tabulario religiose serventur. Ceterum haec quae mandavimus ad effectum adducet venerabilis Frater Armandus Lombardi, quem diximus, vel quem ille delegaverit, factis ad rem debitis facultatibus, dummodo sit vir in ecclesiastica dignitate constitutus ; quod si eo tempore alius eidem Apostolicae Nuntiaturae in Brasilia praesit, hic mandata Nostra faciet. Qui autem rem perfecerit is documenta exarari curabit, quorum sincera exempla ad Sacram Congregationem Consistorialem cito mittet.

Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus ; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur.

Datum Romae, apud S. Petrum, die quinto et vicesimo mensis Iunii, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo tertio, Pontificatus Nostri primo.

IACOBUS A. Card. COPELLO
S. R. E. Cancellarius

CAROLUS Card. CONFALÓNIERI
S. Congr. Consistorialis a Secretis

Franciscus Tinello
Apostolicam Cancellariam Regens

† Iosephus Rossi, Ep. tit. Palmyrenus, *Proton. Apost.*
Ioannes Calieri, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

In Ap. Canc. tab., vol. CXIII, n. 3~>.

II

SILVAE PORTUENSIS

Civili districtu, quem dicunt, Moxico ab Ecclesia Silvae Portuensis detracto, nova dioecesis constituitur « Lusitaniana » cognominanda.

PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Venerabilis Frater Maximilianus de Furstenberg, Archiepiscopus titulo Pallenus, idemque in Lusitania Apostolicus Nuntius, ut est de Christi religione sollicitus, id huic Apostolicae Sedi proposuit *ut,* nonnullis territoriis ab Ecclesia Silvae Portuensis detractis, nova dioecesis ibi loci in bonum et utilitatem christiani populi excitaretur. Nos autem.

quos, etsi recens ad totius Ecclesiae gubernacula tractanda vocati sumus, incredibilis tamen omnium Ecclesiarum sollicitudo urget (Cf. *II Cor.* 11,. 28), existimantes venerabilis huius Fratris consilia nonnihil conferre ad christianae fidei in ea natione stabilitatem, post quidem venerabilis Fratris Emmanuelis Antonii Pires, sacri Silvae Portuensis Antistitis rogatam sententiam, haec auctoritate Nostra statuimus atque iubemus. Ad sollemnes conventiones inter Sanctam Sedem et Lusitanam Rempublicam die septimo mensis Maii anno MCMXL initas, atque Cal. Iun. eiusdem anni ratas habitas, a dioecesi Silvae Portuensis districtum civilem cognomine Moxico separamus, eoque novam dioecesim condimus *Lusitanianam* appellandam ; cuius quidem sedes episcopalis in urbe Luso collocabitur, cathedra in templo B. M. V. in caelum Assumptae posita, in eadem civitate. Hanc dioecesim Luandensi Sedi suffraganeam constituimus; sacr oque Praesuli, cui gubernanda committetur, onus facimus non solum Canonicorum Collegium condendi iuxta normas per alias Litteras Nostras edendas, vel, si id nequeat, Consultores dioecesanos constituendi, sed etiam Seminarium saltem minus aedificandi,, pueris bonae spei recipiendis, item secundum regulas iuris communis et S. Congregationis de Seminariis et Studiorum Universitatibus. Mensam episcopalem, quam dicunt, efficient sive dos a civili auctoritate assignata, sive christiani populi collationes, sive Curiae proventus, sive denique ea bonorum pars quae ad normam can. 1500 C. I. C. novae dioecesi obveniet. Constituta autem Lusitaniana circumscriptione, sacerdotes qui in eius territorio officium vel beneficium habeant, eidem sint adscripti tamquam proprius clerus; ceteri clerici et Seminarii tirones, ei dioecesi, in qua legitime degant. Documenta denique et acta quae dioecesim modo conditam quovis modo respiciant, ad eius Curiam episcopalem mittantur, ibique religiose custodiantur. Ceterum haec omnia venerabilis Frater Maximilianus de Furstenberg ad exitum deducet, vel quem ille delegaverit, factis necessariis facultatibus. Re autem acta, documenta exarentur, quorum sincera exempla ad sacram Congregationem Consistorialem cito mittantur.

Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus ; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin. immo huius Constitutionis. exemplis et locis, sive typis impressis sive

manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur.

Datum Romae, apud S. Petrum, die primo mensis Iulii, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo tertio, Pontificatus Nostri primo.

IACOBUS A. Card. COPELLO
S. R. E. Cancellarius

CAROLUS Card. CONFALÓN IERI
S. Congr. Consistorialis a Secretis

Franciscus Tinello
Apostolicam Cancellariam Regens

Franciscus Hannibal Ferretti, *Proton. Apost,*
Ioannes Calieri, *Proton. Apost.*

Loco © Plumbi
In Ap. Cane, tab., vol. CXIII, n. 22.

III
KENGENSIS

Apostolica praefectura Kengensis ad gradum et dignitatem dioecesis evehitur, iisdem finibus eodemque nomine.

P A U L U S E P I S C O P U S
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ut oninia in rerum natura nascuntur ac brevis solis vice ac fecunditate adolescunt et florent, ita de omnibus fit Ecclesiis, quotquot in orbe terrarum constituuntur : omnes enim, adorandi Spiritus instinctu et gratia, *per* certamina, difficultates, vicissitudines omne genus, etsi modo natae, cito tamen et augescunt, et crescunt christianorum frequentia, caritate, virtute, « donec occurrant ... in mensuram aetatis plenitudinis Christi » *(Eph.,* 4, 13). Quod profecto etiam de praefectura apostolica Kengensi, in Congo, factum est, adeo ut venerabiles Fratres Nostri S. R. **E.** Cardinales Sacrae Congregationi Fidei Propagandae praepositi censuerint eandem ad gradum et dignitatem dioecesis esse evehendam, petito nempe consilio a venerabili Fratre Vito Roberti, Archiepiscopo titulo Tomitano atque in Congo Apostolico Nuntio. Quae cum ita sint, Nos, haec omnia probantes, de Nostra apostolica auctoritate sequentia statuimus atque iubemus. Praefecturam *Kengensem* in formam dioe-

çesis redigimus, eodem nomine atque finibus. Eadem archidioecesis metropolitanae Leopoldopolitanae suffraganea erit, cuius sacro Praesuli erit Episcopus Kengensis obnoxius. Qui sedem suam in urbe Kenge statuet, cathedra episcopalis potestatis in templo principe ibi exsistente collocata. Idem praeterea Canonicorum Collegium condet, vel, si id sit impossibile, Consultores dioecesanos leget ut in administranda dioecesi ad normam iuris iuvetur. Ad regimen dioecesis quod attinet, ad Seminarium, mensam atque similia, ea omnia Iuris Canonici legibus tem perentur. Postremo, cum hae Litterae Nostrae ad exitum adductae fuerint, documenta et acta quae quovis modo ad novam circumscriptionem ecclesiasticam respiciant, ad eius Curiam episcopalem mittantur, ibique religiosa cura serventur. Ceterum, ea quae mandavimus venerabilis Frater Vitus Roberti, quem memoravimus, efficiat, vel quem ille delegaverit. Qua re acta, idem documenta exarari studebit, quorum exempla sincere scripta ad Sacram Congregationem Fidei Propagandae cito mittet. Quod si alius eo tempore Apostolici Nuntii munere ibidem fungatur, hic mandata Nostra omnia faciet.

Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus ; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur.

Datum Romae, apud S. Petrum, die sexto mensis Iulii, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo tertio, Pontificatus Nostri primo.

IACOBUS A. Card. COPELLO
S. R. E. Cancellarius

GREGORIUS P. Card. AGAGIANIAN
S. Congr. de Prop. Fide Praefectus

Franciscus Tinello
Apostolicam Cancellariam Regens

Franciscus Hannibal Ferretti, *Proton. Apost.*
Ioannes Calieri, *Proton. Apost.*

Loco © Plumbi

In Ap. Cane, tab., vol. CXIII, n. 17.

IV

SIKASSENSIS

Praefectura apostolica Sikassensis, in Republica vulgo Mali cognominata, ad dioecesis gradum evehitur, nomine immutato.

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Praefectura apostolica Sikassensis cum, Deo iuvante, eo in praesens sit ut, ob plurima catholicarum rerum suscepta incrementa, spem optimam foveat iri in ea christianum nomen christianamque legem magis magisque vulgatum, visum fuisse novimus venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus qui praesunt Sacrae Congregationi Fidei Propagandae, audita quidem sententia venerabilis Fratris Ioannis Baptistae Maury, Archiepiscopi titulo Laodicensis in Phrygia et Apostolici in Africa Occidentali Delegati, posse eandem praefecturam ad dioecesis dignitatem evehi. Quod sane non tantum pastoralium operum voluntatem fovere, sed praeclarum etiam esse sodalibus Societatis Missionariorum Africae, ob indefessos iamdiu ibi exanclatos labores, documentum.

Quapropter, ea accipientes quae iidem Venerabiles Fratres Nostri faciendum censuerunt, qua pollemus summa et apostolica Nostra auctoritate sequentia decernimus ac iubemus. Praefecturam apostolicam *8ihassensem* ad gradum et dignitatem dioecesis extollimus, cum iuribus congruis, factis praeterea eius Episcopo, cum concessis iuribus, obligationibus quae eiusdem dignitatis in Ecclesia viris competunt. Quas inter, praecipuas habebit metropolitano iuri Archiepiscopi Bamakoënsis una cum sua dioecesi obsequendi ; suam sedem in urbe Sikasso statuendi, magisterii vero episcopalis cathedram in templo Deo dicato in honorem Nostrae Dominae Lapurdensis, in eadem urbe exstante ; pro Canonicorum collegio, quod per alias sub plumbo Litteras condetur, consultores dioecesanos eligendi, qui eum auxilio consiliove iuvent. Decernimus praeterea ut modo condita dioecesis, quam curis concredimus sodalium Missionariorum Africae Societatis, Sacrae Congregationi de Propaganda Fide pergat esse obnoxia. Ceterum, haec quae iussimus ut ad effectum deducantur curet venerabilis Frater Ioannes Baptista Maury, cuius mentionem fecimus, facta eidem potestate etiam alium delegandi virum, dummodo in ecclesiastica dignitate constitutum. Qui negotium perfe-

cerit documenta de more exarari iubebit, ad Sacrum Fidei Propagandae Consilium quam primum mittenda.

Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus ; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur.

Datum Romae, apud S. Petrum, die sexto mensis Iulii, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo tertio, Pontificatus Nostri primo.

IACOBUS A. Card. COPELLO
S. B. E. Cancellarius

GREGORIUS P. Card. AGAGIANIAN
S. Congr. de Prop. Fide Praefectus

Franciscus Tinello
Apostolicam Cancellariam Regens

t Iosephus Rossi, Ep. tit. Palmyrenus, *Proton. Apost.*
Ioannes Calieri, *Proton. Apost.*

Loco © Plumbi
In Ap. Cane, tab., vol. CXIII, n. 28.

V

PITTSBURGENSIS
(PASSAICENSIS - PITTSBURGENSE)

Diviso territorio exarchatus Pittsburgensis, duae eparchiae constituuntur, quarum altera « Passaicensis » nomine, altera « Pittsburgensis ».

PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Cum homines non habeant hic manentem civitatem, sed tamquam peregrini ad futuram contendant (cf. *Hebr.*, 13, 14), in qua scilicet, solutis huius mortalitatis vinculis et exstinctis doloribus, aeterna pace ac tranquillitate fruantur, Nos, qui Dei consilio universae christianorum

familiae ob hoc rectores constituti sumus ut populos ac gentes sapienti ductu ad superna regeremus, id sane quaerimus omnibusque viribus annitimur ut iisdem ea fiat religiosae rei condicio et status, quae ad asperum hoc iter quam aptissime instruant. Quam propter causam, cum exarchatus apostolicus Pittsburgensis, proximis his temporibus haud minima ceperit incrementa, censuimus bonum esse si nonnulla territoria ab eo separaren tur ex iisque duae conderentur eparchiae in fidelium Ruthenorum e Podocarpatia oriundorum commodum et utilitatem. Sententia ergo audita venerabilis Fratris Aegidii Vagnozzi, Archiepiscopi titulo Myrensis et in Americae Septemtrionalis Civitatibus Foederatis Apostolici Delegati, itemque Apostolici Exarchi Pittsburgensis; consilio praeterea petito a dilecto Filio Nostro Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali a Secretis, Nostra auctoritate haec decernimus. Exarchatus apostolicus Pittsburgensis in duas circumscriptiones dividatur, quae quidem nomen et dignitatem eparchiae obtineant, ac sedem seu domicilium episcopale habeant, altera in urbe Pittsburg, altera in urbe Passaic. Ad fines quod attinet, nova eparchia *Passaicensis* omnes fideles Ruthenos complectetur qui in Civitatibus commorantur Atlantico continentibus, scilicet : Maine, New Hampshire, Vermont, Massachusetts, Rhode Island, Connecticut, New York, New Jersey, Delaware, D. C. (District of Columbia), Maryland, Virginia, North Carolina, South Carolina, Georgia et Florida, quique in orientali parte Civitatis Pennsylvaniae.degunt, ea scilicet parte quae invenitur citra lineam currehtem iuxta fines occidentales regionum quae Tioga, Lycoming, Union, Miniin, Iuniata, et Franklin vulgari lingua appellantur. Reliquum territorium pertinet ad eparchiam *Pittsburgensem.* Templum exarchale Pittsburgense, itemque paroeciale templum Sancti Michaelis in urbe Passaic, ad dignitatem cathedralium tollimus, cum debitis honoribus et privilegiis. Censemus etiam ut Seminarium eparchiae Pittsburgensis pateat etiam alumnis eparchiae Passaicensis, postquam videlicet inter Eparchos ea de re convenerit. Ceterum statuimus ut has Litteras Nostras venerabilis Frater Aegidius Vagnozzi exsequi curet, factis ad rem necessariis facultatibus. Rebus vero actis, documenta exarentur, quorum sincera exempla ad Sacram Congregationem pro Ecclesia Orientali cito mittantur.

Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus ; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec

voluntatis Nostrae documenta veí scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur.

Datum Romae, apud S. Petrum, die sexto mensis Iulii, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo tertio, Pontificatus Nostri primo.

IACOBUS A. Card. COPELLO
S. R. E. Cancellarius

GUSTAVUS Card. TESTA
S. Congr. pro Ecclesia Orientali a Secretis

Francisco Tinello
Apostolicam Cancellariam Regens

Ioannes Calieri, *Proton. Apost.*

Loco £8 Plumbi

In Ap. Cane, tab., vol. CXIII, n. 52.

VI

SANCTI PETRI DE SULA

Vicariatus apostolicus de Sancto Petro Sula, in Honduria, ad dioecesis gradum evehitur.

PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Sedis Apostolicae mos est atque consuetudo eas ecclesiasticas circumscriptiones ad dioecesium dignitatem et gradum quandoque evehendi, in quibus maxima est catholicarum rerum prosperitas fructuumque colligendorum spes. Quod cum feliciter in Honduria etiam evenire noverimus, ad vicariatum scilicet de Sancto Petro Sula quod attinet, visum est Nobis ea accipere et probare quae Sacrum Consilium de Propaganda Fide hoc super negotio statuit. Qua de re, summa et apostolica Nostra auctoritate ea quae sequuntur decernimus ac iubemus. Vicariatum apostolicum de Sancto Petro Sula ad gradum dioecesis attollimus, cui dehinc denominatio erit *Sanctus Petrus de Sula,* omniaque concedimus iura et privilegia quae ceteris in Ecclesia dioecesibus competunt iuxta Iuris Canonici praescripta. Nova condita dioecesis suffraganea erit metropolitanae

Sedi Tegucigalpensi, cuius item sacrorum Antistiti Episcopus Sancti Petri de Sula obnoxius tamquam Metropolitae erit. Statuimus insuper ut novae dioecesis sedes in urbe sit, cui per vulgus nomen est San Pedro Sula, in eiusdemque urbis maximo templo episcopalis magisterii cathedra ponatur. Episcopo insuper curae erit ut, pro Canonicorum collegio, consultores dioecesanos deligat, qui sibi consilio et ope assint. Qui scilicet consultores suo munere cessabunt, Canonicis per alias sub plumbo Litteras constitutis. Haec quae statuimus ut ad exitum adducantur curet venerabilis Prater Sanctes Portalupi, Archiepiscopus titulo Christopolitanus atque in Hondurensi Republica Apostolicus Nuntius, cuius quidem sententia ad negotium perficiendum Sacrum Consilium Fidei Propagandae usum est. Poterit etiam ille alium virum delegare, dummodo virum in ecclesiastica dignitate constitutum. Quodsi tempore exsecutionis alius in Honduria Sedis Apostolicae Nuntius erit, hic mandata Nostra faciet. Qui autem rem perfecerit, congrua documenta exarari iubebit adque Sacram Congregationem de Propaganda Fide, de more signata atque sigillo impressa, quam primum mittenda curabit.

Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus ; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur.

Datum Romae, apud S. Petrum, die sexto mensis Iulii, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo tertio, Pontificatus Nostri primo.

IACOBUS A. Card. COPELLO
¿S. R. E. Cancellarius

GREGORIUS P. Card. AGAGIANIAN
S. Congr. de Prop. Fide Praefectus

Franciscus Tinello
Apostolicam Cancellariam Regens

Franciscus Hannibal Ferretti, *Proton. Apost.*

Ioannes Calieri, *Proton. Apost.*

***hoco* gg Plumbi**

In Ap. Cane, tab., vol. CXIII, n. 17.

YII

KAYENSIS

Praefectura apostolica Kayensis ad gradum et dignitatem dioecesis evehitur, eodem nomine servato.

PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Quod Sacrum Fidei Propagandae Consilium, post sententiam rogatum venerabilem Fratrem Ioannem Baptistam Maury, Archiepiscopum titulo Laodicensem in Phrygia et Apostolicum in Africa Occidentali Delegatum, opportunum fieri censuit, ut nempe apostolica praefectura Kayensis, Societati Missionariorum Africae concredita, in dioecesium ordinem referretur, per hoc enim et fidei praedicatoribus animus addi videtur et stabilius ibi locorum fundari Ecclesia, id Nos accipientes Nostraque auctoritate probantes, de consilio dilecti Filii Nostri S'. R. E. Cardinalis Sacrae Congregationis de Propaganda Fide Praefecti, ea quae sequuntur decernimus et iubemus. Apostolicam praefecturam Kayensein in dioecesis formam redigimus, *servato nomine* et finibus, quam Bamakoènsi metropoli tamquam suffraganeam subicimus, curisque Missionariorum Africae committimus. Huius autem dioecesis caput erit urbs quam vulgari sermone Kayes cognominant, in qua Episcopus domicilium collocabit cathedramque figet, in templo videlicet Immaculatae Conceptioni dicato, quod ad cathedralis honorem tollimus, cum debitis privilegiis. Ecclesiam modo conditam iisdem quibus antea Missionariis Africae regendam committimus, ad Nostrum et Apostolicae Sedis nutum, datis scilicet sive dioecesi sive eius Praesuli iuribus, honoribus, privilegiis, impositis quae congruunt oneribus. Ad Canonicorum autem collegium quod attinet, permittimus ut, ob locorum huiusque temporis adiuncta, Canonicorum loco Consultores dioecesani renuntientur, qui Episcopo consilio et ope assint. Quod autem regimen administrationemque dioecesis respicit, cetera eiusmodi, ea serventur quae Codex Iuris Canonici statuit vel Sacra Congregatio Fidei Propagandae praescripserit. Ceterum haec Nostra decreta ad effectum deducenda curabit venerabilis Frater Ioannes Baptista Maury, quem diximus, vel per se ipse, vel per alium, dummodo in ecclesiastica dignitate constitutum virum. Re-

bus, autem peractis, documenta idem exarari iubebit, quorum sincera exempla ad Sacram Congregationem Fidei Propagandae mitti curabit.

Hanc vero Constitutionem, nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus ; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur.

Datum Romae, apud S. Petrum, die sexto mensis Iulii, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo tertio, Pontificatus Nostri primo.

IACOBUS A. Card. COPELLO
8. R. E. Cancellarius

GREGORIUS P. Card. AGAGIANIAN
S. Congr. de Prop. Fide Praefectus

Franciscus Tinello
Apostolicam Cancellariam Regens

f Iosephus Rossi, Ep. tit. Palmyrenus, *Proton. Apost.*

Ioannes Calieri, *Proton. Apost.*

Loco gß Plumbi

In Ap. Cane, tab., vol. CXIII, n. 26.

VIII

MANAENSIS - PARINTINENSIS

Ab Ecclesiis Manaënsi et Parintinensi quaedam territoria detrahuntur, quibus tres novae praelaturae *nullius* constituuntur, « Borbensis », « Coaritana » et « Itacoatiarensis » appellandam

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ad Christi, divini hominum Magistri, similitudinem, qui in has terras idcirco descendit ut cum hominibus non modo immortalem vitam communicaret, sed abundantius per suam mortem communicaret (cf. *Io.* 10; 10}j et Nos, Quos nuper Deus, quamquam viribus impares omnino

sumus tanto oneri ferendo, ad regendam et administrandam christianam rempublicam secreto consilio vocavit, in hoc industriam Nostram omnem ponimus ut, bene rebus in omnibus Ecclesiis dispositis, non solum populi aeternae vitae adipiscendae copiam habeant, sed abundantius, quantum in Nobis, habeant. Qua de causa, cum venerabilis Frater Armandus Lombardi, Archiepiscopus titulo Caesariensis Philippi et in Brasilia Apostolicus Nuntius, ante locorum Ordinariis sententiam rogatis, id proposuerit ut nonnulla territoria ab Ecclesiis Manaënsi et Parintinensi separata in formam praelaturae ((nullius» redigeremus, Nos consilio expetito a venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus Sacrae Congregationi Consistoriali praepositis, apostolica Nostra auctoritate, haec quae sequuntur decernimus et iubemus. Ab archidioecesi Manaënsi sequentia municipia, ut sunt per civilem legem terminata, detrahimus, nempe : Autazes, Axini, Borba, Canûma, Miriti, Nova Olinda do Norte, Novo Aripuana, Prainha ; a praelatura vero « nullius » Parintinensi municipia Mundurucús et Paraconi separamus, item lege civili finita; quibus territoriis novam praelaturam constituimus *Borbensem* nomine, cuius erit urbs Borba caput et Episcopi domicilium, templo S. Antonii Patavini ibidem exstante, quod populus « Santuario do Santo Antonio de Borba » vocat, ad praelaticii dignitatem evecto. Item ab archidioecesi Manaënsi territoria municipiorum Aiapuá, Anania, Anori, Beruri, Cámara, Coarí, Codajás, Manacapuru, Piorini dividimus, novamque ex iis praelaturam condimus, *Goaritanam* appellandam. Erit huius novae circumscriptionis sedes urbs Coari, templum vero praelaticium id erit, quod est S. Annae dicatum. Tandem ab eadem archidioecesi municipia distrahimus: Eva, Itacoatiara, Itapeassu, Itapiranga, Säo Sebastiäo, Silves, Urucará, Urucurituba ; ex quibus tertiam praelaturam fundamus, *Itacoatiarensem* cognominandam, id statuentes ut Praelatus sedem suam in civitate Itacoatiara ponat," cathedram autem in templo B. M. V. a SS. Rosario (Nossa Senhora do Rosario), quod scilicet ad gradum templi praelaticii extollimus. Omnes autem Ecclesias quas excitavimus subiectas esse tamquam suffraganeas archidioecesi Manaënsi decernimus. Curent sacri Praesules, quibus hae praelaturae regendae commutentur, idque grave onus habeant, ut Seminarium saltem minus in unaquaque struant, pueris bonae spei excipiendis, qui ad sacerdotium Dei benignitate excitentur; cum vero iuvenes theologiae atque philosophiae studere debeant, qui fuerint optimi Romam mittantur, in Pontificium Collegium Pianum Brasilianum. Mensas, quae di-

cuntur, praelaticias efficient : dos ab auctoritate civili statuta, fidelium collationes, bona quae iuxta canonem 1500 C. I. C. novis Ecclesiis provenient. Ad clerum quod attinet, statuimus ut sacerdotes qui, his Litteris ad affectum adductis, in novarum praelaturarum territorio beneficium vel officium habeant, iisdem ascribantur ; ceteri clerici, Seminariique tirones ei, in qua legitime degant. Monemus praeterea ut documenta et acta quae ad novas circumscriptiones respiciant, cito ad earum Curias mittantur, ibique religiose serventur. Ceterum, volumus ut has Litteras Nostras venerabilis Prater Armandus Lombardi exsequi curet, vel quem ipse delegaverit. Re vero confecta, documenta exarentur, quorum sincera exempla ad Sacram Congregationem Consistorialem quam primum mittantur.

Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus ; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrümpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur.

Datum Romae, apud S. Petrum, die decimo tertio mensis Iulii, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo tertio, Pontificatus Nostri primo.

IACOBUS A. Card. COPELLO
S. R. E. Cancellarius

CAROLUS Card. CONPALONIERI
S. Congr. Consistorialis a Secretis

Franciscus Tinello
Apostolicam Cancellariam Regens

Ioannes Calieri, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

In Ap. Cane, tab., vol. CXIII, n. 50.

IX
HERMOSILLENSIS

Hermosillensis Ecclesia ad gradum Sedis metropolitanae evehitur, cui suffraganeae subiciuntur dioeceses Obregonensis et Tigiuanaënsis.

PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Mexicana natio, cuius fides ((multo pretiosior auro quod per ignem probatur » *(1 Pt.* **1, 7),** Apostolicae huic Sedi tantae usque curae fuit ut saepe, vel proximis annis, dederint Romani Pontifices singularia erga eam suae benevolentiae ac sollicitudinis documenta : agitur enim de nobili Ecclesiae parte, cuius progressus, quos haud mediocres in religione et in civilibus rebus facit, oportet sane pari externa compage fulciri. Quam ob rem, expostulanti venerabili Fratri Aloisio Raimondi, Archiepiscopo titulo Tarsensi et in Ditione Mexicana Apostolico Delegato, ut ibi locorum nova ecclesiastica provincia constitueretur, cuius esset metrópolis Ecclesia Hermosillensis, audito quid sentirent quorum interesset locorum Ordinarii, de sententia venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium rebus Consistorialibus praepositorum atque summa Nostra potestate sequentia decernimus. A provincia ecclesiastica Chihuahuensi *Hermosillensem* Sedem seiungimus, eamque ad gradum et ordinem metropolitanae Sedis evehimus, datis iuribus et honoribus quibus ceterae eiusdem ordinis Ecclesiae lege ecclesiastica fruuntur ; eadem iura Praesulibus facimus, quibus etiam onera imponimus quae iusta sunt. / Venerabilem igitur Fratrem Ioannem Navarrete y Guerrero, Hermosillensem Praesulem, archiepiscopali dignitate honestamus, factis iuribus et honoribus, obligationibus etiam impositis quae Archiepiscopi Metropolitae dignitatem consequuntur. Nova autem provincia ecclesiastica, praeter Hermosillensem metropolim, Sedibus Tigiuanaënsi et Obregonensi constabit, quam quidem a metropolitana circumscriptione Chihuahuensi separamus ; Chihuahuensis vero provincia Ecclesiis Chihuahuensi, Civitatis luarezensis et vicariatu Apostolico Tarahumarensi. Ceterum volumus haec Nostra decreta venerabilis Frater Aloisius Raimondi, quem diximus, ad exitum adducat, vel quem ille delegaverit, factis ad id necessariis facultatibus. Re vero acta documenta exarentur, quorum sincera exempla ad Sacram Congregationem Consistorialem cito mittantur. Quodsi alius eo tempore Apostolicus Delegatus in Ditione Mexicana erit, hic iussa Nostra faciet.

Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore

volumus ; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur.

Datum Romae, apud S. Petrum, die tertiodecimo mensis Iulii, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo tertio, Pontificatus Nostri primo.

IACOBUS A. Card. COPELLO
S, R, E. Cancellarius

CAROLUS Card. CONPALONIERI
S, Congr- Consistorialis a Secretis

Franciscus Tinello
Apostolicam Cancellariam Regens

Franciscus Hannibal Ferretti, *Proton. Apost.*
Caesar» Federici, *Proton. Apost.*

Loco ;33 Plumbi
In Ap. Cane, tab., vol. CXIII, n. 85.

TIGIUANAËNSIS

Vicariatus apostolicus Tigiuanaënsis ad gradum evehitur dioecesis, eodem nomine iisdemque servatis finibus.

PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Pro Apostolico munere, quod Nos christianorum omnium constituit Pastorem,, id accipiendum esse aestima vimus quod, ad maiorem .fidelium utilitatem çpnsequendamj, proposuit venerabilis Frater Aloisius Raimondi, Archiepiscopus titulo Tarsensis atque in Mexicana Dicione Apostolicus Delegatus. Ille enim optime fieri putavit si vicariatus apostolicus Tigiuanaënsis ad dioecesis gradum eveheretur. Exquisita igitur hac super re sententia venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, qui Sacrae Congregationi Consistoriali praesunt, de suprema potestate Nostra, vicariatum apostolicum Tigiuanaënsem ad dioecesis

dignitatem extollinius, *eodem servato nomine* iisdemque quibus antea cingebatur finibus. Statuimus etiam ut templum cathedrale idem sit quod, Deo dicatum in honorem B. M. V. a Guadalupe, in urbe vulgo Tijuana exstat. Quae urbs sedes praeterea Episcopi erit. Congrua iura sive nova dioecesis sive eius sacrorum Antistes habebit, qui etiam iustis obligationibus obstringetur, quibus ceteri in Ecclesia Episcopi. Has inter, sequentes numeramus : esse eum, una cum sua dioecesi, metropolitano iuri Archiepiscopi Hermosillensis obnoxium, cuius Sedetn hoc ipso die Metropolitanam fecimus ; ei esse consultores dioecesanos deligendos, qui, donec Canonicorum collegium per alias sub plumbo Litteras constituatur, sibi auxilio et consilio sint. Mensam episcopalem, quae dicitur, Curiae emolumenta constituent, a fidelibus sponte data pecunia, omnia alia bona ad vicariatum apostolicum Tigiuanaënsem usque nunc pertinentia. Quod denique attinet ad conditae dioecesis regimen, administrationem, Vicarii Capitularis Sede vacante electionem, aliaque id genus, ea serventur quae leges ecclesiasticae praescribunt. Ut haec omnia quae iussimus ad effectum adducantur venerabilis Frater Aloisius Raimondi curet, vel per se ipse vel per alium delegatum virum, dummodo sit ecclesiastica dignitate praeditus. Qui vero negotium perfecerit, documenta exarari faciet, eademque de more ad Sacram Congregationem Consistorialem quam primum mittet.

Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus ; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis eificacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur.

Datum Romae, apud S. Petrum, die tertiodecimo mensis Iulii, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo tertio, Pontificatus Nostri primo.

IACOBUS A. Card. COPELLO
S. R. E. Cancellarius

CAROLUS Card. CONFALONIERI
S. Congr. Consistorialis a Secretis

Franciscus Tinello
Apostolicam Cancellariam Regem

Franciscus Hannibal Ferretti, *Proton. Apost.*

Loco @ Plumbi

Caesar Federici, *Proton. Apost.*

In Ap. Cane, tab., vol. CXIII, n. 78.

XI

NÀMPULENSIS
(CABRALOPOLITANAE)

Detracto ab Ecclesia Narapulensi territorio, nova ex eo conditur dioecesis, « Cabralopolitana » appellanda.

PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Nampulensis dioecesis territorium tam est latitudine patens, tam incolis frequens ut opportunum visum sit reique christianae perutile alteram ex eo, tamquam germen ex germine, Ecclesiam excitare. Quam ob rem, cum venerabilis Frater Maximilianus de Furstenberg, Archiepiscopus titulo Paltenus et in Lusitania Apostolicus Nuntius, iuxta sollemnes conventiones die septimo mensis Maii, anno MCMXL inter Sanctam Sedem et Lusitanam Rempublicam habitas atque kalendis Iuniis eodem anno confirmatas, ab Apostolica Sede expostuiaverit ut nova ex Ecclesiae Nampulensis territorio dioecesis constitueretur, post sententiam rogatum venerabilem Fratrem Emmanuelem de Medeiros Guerreiró, Episcopum Nampulensem, adhibitis precibus libenter concedimus, Nostraque auctoritate sequentia decernimus : e dioecesis Nampulensis territorio integrum seiungimus civilem districtum quem Nyassa vocant, cumque in dioecesis formam redigimus, iisdem circumscribendae finibus ac districtus ille finitur, atque *Cabralopolitame* nomine appellandae, ex urbe principe vulgo Villa Cabrai nuncupata. Novae dioecesis sedes urbs erit Villa Cabrai cognominata, in qua Episcopus suum domicilium ponet, cathedram autem in templo curiali ibidem exstante Deo in honorem S. Iosephi dicato, quod ad tempus, usque dum aliud dignius exstruatur, dignitate cathedralis aedis honestamus, cum iuribus et privilegiis. Sacri Cabralopolitani Antistites omnibus iuribus et honoribus fruentur, obligationibus etiam adstringentur quae sunt Episcoporum residentium propria. Decernimus etiam ut eadem Sedes Cabralopolitana suffraganea sit metropolitanae Ecclesiae de Lourenço Marques, eiusque Episcopus Archiepiscopo tamquam Metropolitae obnoxius. Ad Canonicorum collegium quod attinet, volumus ut, quoadusque constituatur, Consultores dioecesani ad iuris normam renuntientur, qui Episcopo consilio et ope

assint. Mensam episcopalem quam vocant, constituent dos a civili Gubernio danda, Curiae emolumenta, fidelium liberae collationes eaque bonorum pars quae ad normam canonis **1500** C. I. C. novae dioecesi obvenient. De clero autem iubemus ut, simul ac Cabralopolitana dioecesis condita fuerit, ei Ecclesiae sacerdotes censeantur addicti in cuius territorio officium vel ecclesiasticum beneficium habeant; ceteri autem clerici seminariique tirones ei in qua legitimum habeant domicilium. Quod autem ad regimen attinet, ad electionem Vicarii Capitularis Sede vacante, cetera eiusmodi, Iuris Canonici normae omnino serventur. Documenta denique et acta quae ad novam dioecesim respiciant a Curia Nampulensi ad Cabralopolitanam mittantur, in condendo tabulario religiose custodienda. Ceterum has Litteras Nostras exsequendas curabit venerabilis Frater Maximilianus de Furstenberg, vel quem ille delegaverit, factis ad id necessariis facultatibus. Re vero peracta, idem documenta exarari faciat, quorum sincera exempla quam cito ad Sacram Congregationem Consistorialem mittet. Quod si fiat ut eo tempore alius Apostolicae Nuntiaturae in Lusitana Republica praesit, hic mandata Nostra faciet.

Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus ; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur,

Datum Romae, apud S. Petrum, die uno et vicesimo mensis Iulii, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo tertio, Pontificatus Nostri primo.

IACOBUS A, Card. COPELLO
S. R. E. Cancellarius

CAROLUS Card. GONFALONIERI
S. Congr. Consistorialis a Secretis

Rinus Marsiglio
pro Apost. Cane. Regente

Ioannes Calieri, *Proton, Apost.*

Loco © Plumbi

In Ap, Cane, tao., vol. C XIII, n. 57.

XII

ÑACHINGWEAENSIS

Ab abbatia *nullius* Ndandaënsi quaedam territoria detrahuntur, quibus nova dioecesis constituitur, « Nachingweaensis » appellanda.

PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Quotiens datur novam in saeptis Ecclesiae dioecesim constituere, novamque veluti gemmam eandemque immensi pretii eius coronae contexere, magno sane, instar patris, gaudio afficimur, qui filiis familiaeque suae bene consuluit : omnis enim dioecesis quae nascitur non modo certissimum est documentum christianam fidem ibi loci ad Christi votum et iussum (cf. *Mt.* 28, 19) feliciter profecisse, verum etiam haud inanis spei causa est fore ut nostra sacra religio, sine qua nulla salus hominibus, vel maiora in posterum capiat incrementa. Quam ob rem, cum venerabilis Frater Vido Dei Mestri, Archiepiscopus titulo Tuscamiensis idemque in África Orientali Apostolicus Delegatus, id proposuerit ut in Tanganyikae territorio nova dioecesis conderetur, Nos, re bene reputata sententiaque expetita a Sacra Congregatione Christiano Nomini Propagando, de Nostra apostolica auctoritate ea quae sequuntur decernimus atque iubemus. Ab abbatia «nullius)) Ndandaënsi districtus, quos vocant, separamus, qui populari lingua Tunduru et Masasi cognominantur; item eam partem districtus de Nachingwea, quae ad occidentem vergit urbis Mnero; quibus territoriis novam dioecesim condimus, *Nachingweaensem* appellandam, eandemque a Patribus Societatis Divini Salvatoris regendam atque administrandam. Eius autem limites erunt : ad septemtriones, archidioecesis Daressalaamensis ; ad orientem solem, Abbatia ((nullius)) Ndandaënsis ; ad meridiem vero, territorium de Mozambico; ad occidentalem denique plagam, abbatia «nullius)) Peramihoënsis. Nova praeterea Ecclesia archidioecesi metropolitanae Daressalaamensi erit suffraganea, cuius sacro Praesuli Episcopus Nachingweaensis obnoxius erit. Episcopus in urbe quam vulgari sermone Nachingwea dicunt sedem suam collocabit, cathedramque episcopalis auctoritatis in templo principe ibi exstante ponet, cui sane omnia iura et privilegia facimus ad talia templa spectantia. Canonicorum collegium Antistes

Nachingweaensis condat; quod si statim fieri non possit, Consultores dioecesanos eligat, qui consilio atque ope praesto sint. Ad cetera quod attinet, ad regimen, nempe, dioecesis, ad cleri et populi iura, ad electionem Vicarii Capitularis, sede vacante, aliaque huiusmodi, praescripta Iuris Canonici omnino serventur. Ceterum, quae per has Litteras iussimus, venerabilis Frater Vido Dei Mestri exsequatur, cui iura debita ad negotium faciendum damus, sive nempe per se agat, sive per alium. Re vero acta, idem documenta exarari studebit, eademque sinceris exemplis ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide cito mittet.

Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus ; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis -efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur.

Datum ex Arce Gandulfi, prope Romam, die quinto mensis Augusti, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo tertio, Pontificatus Nostri primo.

IACOBUS A. Card. COPELLO
S. R. E. Cancellarius

GREGORIUS P. Card. AGAGIANIAN
S. Congr. de Prop. Fide Praefectus

Petrus Rossano
pro Apost. Cane. Regente

Ioannes Calleri, *Proton. Apost.*

Loco © Plumbi

In Ap. Cane, tab., vol. CXIII, n. Ifi.

XIII

ROSARIENSIS

Rosariensis dioecesis ad gradum et dignitatem metropolitanae Ecclesiae evehitur, cui suffraganeae subiciuntur dioeceses S. Nicolai de Los Arroyos <et Cervi Lusci.

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI ~

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Summorum Pontificum Decessorum Nostrorum vestigia prementes, •quibus, pro suo erga nobilem Argentinam Rempublicam amore, maximae id semper curae fuit ut catholica fides in ea solida atque expressa vigeret, novis ecclesiasticis circumscriptionibus datis, aliis aliter dispositis, libentissima voluntate ea accepimus quae venerabilis Frater Humbertus Mozzoni, Archiepiscopus titulo Sidetanus et in Argentina Republica Apostolicus Nuntius ab Apostolica Sede petiit, ut dioecesis Rosariensis ad metropolitanae Sedis gradum eveheretur novaque simul ecclesiastica provincia constitueretur. Quam ob rem, post auditam sententiam quorum interesset Episcoporum, consensuque suppleto eorum qui aliquod ius in hac re habeant vel se putent habere, summa Nostra potestate sequentia decernimus. Rosariensem Sedem ad gradum et dignitatem ***metropolitanae*** Ecclesiae attollimus, omnia iura et honores dantes quae huiusmodi Ecclesiis iure communi debentur. Item Rosariensem sacrorum Antistitem archiepiscopali decore simulque Metropolitae dignitate honestamus, datis scilicet iuribus, privilegiis, insignibus quae ei competunt, impositis oneribus et obligationibus quae sunt Metropolitarum propria. •Quibus iuribus primus fruetur, ut par est, obligationibusque tenebitur venerabilis Frater Villelmus Bolatti, adhuc Episcopus Rosariensis, quem Archiepiscopum Metropolitam renuntiamus. Novae metropolitanae Ecclesiae suffraganeae erunt dioecesis S. Nicolai de Los Arroyos, quam a provincia ecclesiastica Bonaerensi separamus, atque Cervi Lusci dioecesis, quam hoc ipso die condimus. Quorum Praesules metropolitanae iurisdictioni Rosariensis Archiepiscopi subicientur. Quae autem his Litteris Nostris mandavimus perficienda curabit venerabilis Frater Humbertus Mozzoni, quem memoravimus, cui omnes potestates agendae rei «concedimus, quas poterit, si visum fuerit, cuilibet viro delegare, dummodo in ecclesiastica dignitate constituto. Acto vero negotio, idem documenta exarari iubebit eademque sinceris exemplis ad Sacram Congre-

gationem Consistorialem cito mittet. Quodsi eo tempore quo hae Litterae ad exitum sint deducendae alius Apostolicae in Argentina Republica Nuntiaturae praesit, hic mandata Nostra faciet.

Hanc yero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur.

Datum ex arce Gandulfi, prope Romam, die duodecimo mensis Augusti, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo tertio, Pontificatus Nostri primo.

IACOBUS A. Card. COPELLO
/S. R. E. Cancellarius

CAROLUS Card. CONFALÓN IÈRI
S. Congr. Consistorialis a Secretis

Franciscus Tinello
Apostolicam Cancellariam Regens

f Iosephus Rossi, Ep. tit. Palmyrenus, *Proton. Apost.*
Caesar Federici, *Proton. Apost.*

Loco gß Plumbi

In Ap. Cane, tab., vol. CXIII, n. 91.

XIV

CORDUBENSIS
(CRUCIS AXEATAE)

Ex quibusdam territoriis a Cordubensi archidioecesi separatis nova constituitur cathedralis sedes, nomine « Crucis Axeatae ».

PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ecclesia Christi, omnium parens hominum constituta, nihil prorsus omittit quominus temporum adiunctis fideliumque necessitatibus respondeat, eosdem aptiore usque sollertia fovendo. Nos igitur, qui Dei volun-

tate ipsam regendam suscepimus, probandas accipiendasque esse censuimus preces venerabilis Fratris Humberti Mozzoni, Archiepiscopi titulo Sidetani atque in Republica Argentina Apostolici Nuntii. Petiit enim ille ut ex archidioecesi Cordubensi alia fieret dioecesis ; quod quidem christianorum animis curandis valde profuturum esset. Audita ideo sententia venerabilis Fratris Raymundi Iosephi Castellano, Archiepiscopi Cordubensis, aliorumque omnium suppleto consensu, qui hac in re aliquid iuris habeant vel se praesumant habere, de suprema potestate Nostra, ea quae sequuntur decernimus ac iubemus. Ex archidioecesi Cordubensi territoria separamus civilium provinciarum, vulgo Departamentos appellatarum, quibus nomen San Javier, San Alberto, Pocho, Minas, Cruz del Eje, Ischilin, Sobremonte et Tulumba; item territorii partem civilis provinciae vulgo appellatae Rio Seco, ad occasum sitam fluminis quod Rio Dulce nuncupant, atque paroecias vulgo Capilla del Monte et La Cumbre, intra fines civilis provinciae Punilla exstantes ; ex iisque novam condimus dioecesim, nomine *Crucis Axeatae,* iisdem circumscribendam finibus ac territoria civilia in praesens terminan tur. Ea itaque confinis erit, ad septentrionem, dioecesibus S. Iacobi de Estero et Catamarcensi ; ad orientem solem, archidioecesi Cordubensi et dioecesi Franciscopolitanae ; ad meridiem, item archidioecesi Cordubensi et dioecesi S. Ludovici in Argentina; ad occasum denique solis, dioecesibus Catamarcensi et Riojensi. Constitutam dioecesim suffraganeam facimus, una cum Episcopo, metropolitanae Sedi Cordubensi. Volumus insuper ut sacer Crucis Axeatae Praesul sedem suam ponat in urbe vulgo Cruz del Eje, magisterii autem episcopalis cathedram in curiali templo Deo dicato in honorem B. M. V., cui appellatio per vulgus Nuestra Señora del Valle, in eadem urbe exstante, quod ad cathedralis dignitatem extollimus cum iuribus propriis. Episcopo autem praeterquam quod congrua iura damus, obligationes imponamus dignitati officioque inhaerentes. Quas inter, obligationes sequentes praecipuas habebit : Canonicorum collegium constituendi; usque dum tamen id fiat, consultores dioecesanos deligendi ad normam iuris; Seminarium saltem minus struendi, pueris accipiendis ad sacerdotale munus vocatis, ex quibus eos qui animi ingeniique dotibus praestantes fuerint, Romam mittendi, in Pontificium Collegium Pianum Latinum Americanum, ut philosophicis theologicisque disciplinis imbuantur. Mensam episcopalem, quam dicunt, efficient Curiae emolumenta, pecuniae sponte a fidelibus datae, pars bonorum quae dioecesi Crucis Axeatae obvenient ad praescriptum

canonis 1500 Codicis Iuris Canonici. Ad dioecesis praeterea regimen quod attinet, Vicarii Capitularis, Sede vacante, electionem, fidelium iura et onera aliaque id genus sacrorum canonum praescripta diligenter serventur. Simul ac hae Nostrae sub plumbo Litterae ad effectum sint deductae, sacerdotes illi dioecesi addicti sint in qua beneficium vel officium habeant ; ceteri vero sacerdotes, clerici Seminariique tirones ei, in -qua legitimum habeant domicilium. Ad haec omnia denique perficienda venerabilem Fratrem Humbertum Mozzoni, quem diximus, legamus vel sacerdotem ab eo designatum. Qui vero rem perfecerit congrua documenta exarari curabit ad Sacramque Congregationem Consistorialem -quam primum mitti.

Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, -eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur.

Datum ex arce Gandulfi, prope Romam, die duodecimo mensis Augusti, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo tertio, Pontificatus Nostri primo.

IACOBUS A. Card. COPELLO
S. R. E. Cancellarius

CAROLUS Card. CONFALONIER!
S. Congr. Consistorialis a Secretis

Franciscus Tinello
Apostolicam Cancellariam Regens

f Iosephus Rossi, Ep. tit. Palmyrenus, *Proton. Apost.*

Franciscus Hannibal Ferretti, *Proton. Apost.*

Loco hB Plumbi

In Ap. Cane, tab., vol. CXIII, n. 98.

XV

RESISTENTIAE
(SANCTI ROCHI)

Quibusdam detractis territoriis ex dioecesi Resistenciae, nova alia efficitur, « Sancti Rochi » nomine?

PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Supremum Ecclesiae Christi regendae munus, quod divino consilio commissum Nobis est, ad eas Nos, ut christiano populo propius consulatur, rationes quaerendas impellit, quae magis sint huius temporis adiunctis et necessitatibus accommodatae. Quas inter cum non sit infitiandum et aptiorem esse territoriorum dispositionem, censuimus precibus accedendum venerabilis Fratris Humberti Mozzoni, Archiepiscopi titulo Sidetani et in Republica Argentina Apostolici Nuntii, qui ab Apostolica Sede postulavit ut, dioecesi Resistenciae partita, nova ex distractis territoriis cathedralis Sedes constitueretur. Audita ergo sententia venerabilis Fratris Iosephi Marozzi, quam diximus dioecesis sacrorum Antistitis, de summa et apostolica Nostra auctoritate haec quae sequuntur decernimus ac iubemus. A dioecesi Resistenciae civiles regiones, vulgo Departamentos, separamus quae sic appellantur : Almirante Brown, Comandante Fernández, Chacabuco, 12 de octubre, Fray Justo Santa Maria de Oro, Generale Belgrano, Generale Güemes, Independencia, Maipu, Fontana, 9 de Julio, O'Higgins, Quitilipi, San Lorenzo et 25 de Mayo, ex iisque novam dioecesim condimus, *Sanctum Rochum* appellandam, quae ad septentrionem confinis erit dioecesibus Novoraniensi et Formosae; ad orientem solem, dioecesi Resistenciae; ad meridiem, dioecesibus Reconquistensi, Raphaëlensi et Anatuyanensi ; ad occidentem solem, archidioecesi Saltensi et dioecesi Anatuyanensi. Episcopalem novae dioecesis sedem in urbe, cui nomen Presidencia Roque Sáenz Peña, collocandam praecipimus, magisterii vero cathedram in curiali templo Deo dicato in honorem Sancti Rochi Confessoris, ibidem cxstante, cui cuiusque Praesuli congrua iura et privilegia damus. Episcopum praeterea obligationibus obstringimus, quae sunt paris officii et dignitatis virorum propria. Volumus insuper ut Sancti Rochi dioecesis «eiusque Episcopus suffraganei sint archidioecesi Corrientensi eiusdemque Metropolitae; ut, donec Canonicorum Collegium condatur, consultores dioecesanos Episcopus deligat qui sibi auxilio et consilio sint ; ut, ad normas iuris communis peculiariumque Sacrae Congregationis de Semi-

nariis et Studiorum Universitatibus legum, Seminarium saltem minus struat, iuvenibus accipiendis ad sacerdotale munus vocatis, quorum sive ingenio sive animi virtutibus praestantes Romam mittet, in Pontificium Collegium Pianum Latinum Americanum, philosophicis theologicisque disciplinis imbuendos. Mensa episcopalis, quae dicitur, fiet ex Curiae emolumentis, e fidelium sponte datis pecuniis, ex bonorum denique parte quae Sancti Rochi dioecesi obveniet ad normam canonis 1500 Codicis Iuris Canonici. Quod tandem attinet ad dioecesis regimen et administrationem, Vicarii Capitularis, Sede vacante, electionem, fidelium iura et onera, alia id genus, quae sacri canones praescribunt diligenter serventur. Simul ac Apostolicae hae Litterae ad effectum deductae sunt, sacerdotes illi dioecesi censeantur addicti in cuius territorio legitimum beneficium vel officium habeant ; ceteri autem sacerdotes, clerici, Seminariique tirones, ei in qua legitime degant. Acta denique et documenta, novam dioecesim quovis modo respicientia, a Curia episcopali Resistenciae ad Sancti Rochi mittantur, in tabulario religiose custodienda. Haec quae praescripsimus ut ad effectum adducantur curet venerabilis Frater Humbertus Mozzoni, quem nominavimus, vel per se ipse vel per alium virum, ecclesiastica dignitate praeditum. Qui vero rem perfecerit, congrua documenta exarari curet ad Sacramque Congre^ gationem Consistorialem quam primum mitti.

Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur.

Datum ex arce Gandulfi, prope Romam, die duodecimo mensis Augusti, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo tertio, Pontificatus Nostri primo.

IACOBUS A. Card. COPELLO
S. B. E. Cancellarius

CAROLUS Card. CONFALONIERI
S. Congr. Consistorialis a Secretis

Franciscus Tinello
Apostolicam Cancellariam Begens

f Iosephus Rossi, Ep. tit. Palmyrenus, *Proton. Apost.*
Caesar Federici, *Proton. Apost.*

Loco £8 Plumbi
In Ap. Cane, tab., vol. CXIII, n. 81.

• XVI

TUCUMANENSIS .

(SS. CONCEPTIONIS IN ARGENTINA)

Ab archidioecesi Tucumanensi quaedam territoria detrahuntur, quibus nova dioecesis conditur, «Sanctissimae Conceptionis in Argentina » cognominando.

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Condere dioecesim cum sit novae spei semina Ecclesiae sulcis committere, quibus turgescentibus eadem iusto tempore fructus laetissimos colligat, aut etiam novum relucentis flammae ignem accendere ad hominum illuminationem, idcirco Nos, populorum omnium patres constituti, libenti quidem animo novas ubique Sedes excitandas curamus, cum id populi alicuius aut bonum postulet, aut utilitas exigat, aut etiam necessitas iubeat. Quam ob rem, cum venerabilis Frater Humbertus Mozzoni, Archiepiscopus titulo Sidetanus, et in Republica Argentina Apostolicus Nuntius, ab hac Romana Sede enixe expostulaverit ut, diviso territòrio Tucumanensis archidioecesis, nova constitueretur dioecesis : id enim in ea regione maiora esse incrementa rei religiosae daturum; Nos consilio petito a venerabili Fratre Ioanne Carolo Aramburu, Archiepiscopo Tucumanensi, haec auctoritate Nostra censemus. Ab archidioecesi Tucumanensi territorium civilium provinciarum, seu ut dicunt, Departamentos, separamus, quas populus Chicligasta, Graneros, Leales, Monteros et Rio Chico cognominant; quo territorio novam dioecesim condimus *Sanctissimae Conceptionis in Argentina* appellandam, cuius hi erunt fines : ad septemtriones, archidioecesis Tucumanensis; ad orientem, dioecesis S. Iacobi de Estero; ad meridiem, dioeceses S. Iacobi de Estero et Caiamarcensis; ad occasum denique solis, dioecesis Caiamarcensis. Episcopus, cui regenda committetur, in urbe Concepción commorabitur, quae erit caput dioecesis, in quaque idem cathedram suae auctoritatis collocabit, in templo videlicet curiali B. M. V. nulla labe conceptae sacro. Novam Ecclesiam Sedi metropolitanae Tucumanensi suffraganeam facimus; cuius nempe sacro Antistiti etiam Episcopus SSmae Conceptionis in Argentina erit obnoxius. Qui profecto Canonicorum collegium ad normam aliarum sub plumbo Litterarum Apostolicarum condet, facta potestate interea Consultores dioecesanos eligéndi, qui praesto sint consilio et opera. Praeterea Seminarium saltem minus

construi in sua dioecesi curabit iuvenibus ad sacerdotium efformandis; quorum qui optimi fuerint, cum eo aetatis pervenerint ut sacrae theologiae atque philosophiae operam dare debeant, Romam mittentur, Pontificio Collegio Piano Latino Americano recipiendi. Mensam constituent: Curiae proventus, fidelium collationes, congrua bonorum pars quae iuxta canonem 1500 C. I. C. Sedi SSmae Conceptionis in Argentina obveniet. Simulac postremo dioecesis constitutio ad effectum adducta fuerit, sacerdotes qui in eius territorio aut officium aut beneficium habeant, eius clero accenseantur; ceteri vero clerici, Seminariique tirones, ei in qua legitimo degant domicilio. Acta denique et documenta novam dioecesim respicientia vel eius cives quam primum ad eius Curiam episcopalem mittantur, ibidem religiose asservanda. Ceterum haec quae iussimus, venerabilis Frater Humbertus Mozzoni fieri studebit, vel quem ipse delegaverit, factis necessariis facultatibus. Re vero acta, documentai exarentur, quorum sincera exempla ad Sacram Congregationem Consistorialem cito mittantur. Quod si alius eo tempore Apostolicae Nuntiaturae ibi praesit, hic mandata Nostra faciat.

Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat,' quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressi» sive; manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta,, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur.

Datum ex Arce Gandulfi, prope Romam, die duodecimo mensis Augusti, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo tertio, Pontificatus Nostri primo.

IACOBUS A. Card. COPELLO
S. R. E. Cancellarius

CAROLUS Card. CONFALONIER!
S. Congr. Consistorialis a Secretis

Franciscus Tinello
Apostolicam Cancellariam Regens

Franciscus Hannibal Ferretti, *Proton. Apost.*
Caesar Federici, *Proton. Apost.*

Loco £8 Plumbi

In Ap. Cane, tab., vol. CXIII, n. 75.

LITTERAE APOSTOLICAE

I

Sancta Rosa Limana, Virgo, praecipua Patrona universae dioecesis Sanctae Rosae in Argentina constituitur.

PAULUS PP. VI

Ad perpetuam rei memoriam. — Primum sanctitatis florem, quem Meridiana America protulit, Sanctam Rosam Limanam, Christifideles dioecesis Sanctae Rosae in Argentina, quae appellationem a lectissima illa Virgine traxit, piis ornare perhibentur obsequiis rerumque suarum habere praesidium. Cum igitur Venerabilis Frater Georgius Mayer, eiusdem Ecclesiae Episcopus, vota etiam cleri populique, suis commissi curis, Nobis significans, Nos rogasset, ut idem Americae catholicae lumen iurisdictionis suae renuntiaremus caelestem Patronam, Nos preces eiusmodi libenter esse accipiendas censuimus. Fore igitur probe confidimus, ut e suavissimo illo flore christianae virtutis odor afflet toti dioecesi eidem. Quae cum ita sint, e Sacrae Rituum Congregationis consulto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum Sanctam Rosam Limanam, Virginem, praecipuam apud Deum universae dioecesis Sanctae Rosae in Argentina *Patronam* constituimus ac declaramus, omnibus adiectis honoribus ac privilegiis liturgicis, quae principalibus locorum Patronis rite competunt. Contrariis quibusvis non obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere ; illisque, ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari ; sicque rite iudicandum esse ac definiendum ; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xxx mensis Octobris, anno **MCMLXIII**, Pontificatus Nostri primo.

' © **HAMLETUS** I. Card. **CICOGNANI**
a publicis Ecclesiae negotiis

II

Beata Maria Virgo, vulgo « La Virgen de las gracias de Torcoroma » appellata, caelestis decernitur Patrona praecipua dioecesis Ocaniensis.

PAULUS PP. VI

Ad perpetuam rei memoriam. — Sanctissimae Virginis a Torcoroma nomen venerabile, universaeque genti Columbianae pernotum, velut in suo animo insculptum habent fideles dioecesis Ocaniensis. In huius enim finibus iurisdictionis, quam quidem Ioannes Pp. XXIII, desideratissimus Decessor Noster, anno superiore constituit, communis est fama Augustam Dei Genetricem humillimo sese viro rusticano mirabiliter ostendisse, caelestisque huius visionis quasi manifesta impressisse vestigia. Brevi autem post non solum in ipso, quo res evenerat, loco aedicula memoriae causa est exstructa, verum etiam in urbe Ocania templum pulchritudine conspicuum aliaeque multae in Columbia ecclesiae, Ocaniensium civium impulsu, Virginis a Torcoroma honori sunt excitata, täritumque interea pietas mariana cepit incrementi, ut Missam Officiumque proprium Apostolica Sedes indulserit. Primum autem huiusce religionis domicilium templum Ocaniense mansit, quo saepius ac turmatim convenire numquam est intermissum a christianis. Hi enim, haud incerta spe ducti, auxilio ac deprecatione Sanctae Virginis confisi, rectae fidei thesaurum integrum servare potuerunt, pravarum minis insidiisque opinionum devitatis. Haec omnia secum reputans, votaque interpretatus utriusque cleri, civilis magistratus populique fidelis, quae, Romam profecturi ut in Oecumenico Concilio Vaticano II adesset, exceperat, Venerabilis Prater Raphael Sarmiento Peralta, Episcopus Ocaniensis, suis Nos adiit precibus, ut mariale patrocinium, praedictam probantes appellationem, pro sua dioecesi ratum faceremus. Nos autem, quibus quippe hoc sit persuasum, recens conditas sedes ecclesiasticas omnino esse superna obtegendas tutela, ex qua firmum hauriant adiumentum atque vigorem, relatae postulationi statuimus benignissime concedere. Itaque, ex Sacrae Rituum Congregationis consulto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum, Beatissimam Virginem Mariam, vulgo « la Virgen de las gracias de Torcoroma » appellatam, principalem apud Deum totius Ocaniensis dioecesis caelestem *Patronam*

constituimus ac declaramus, omnibus adiectis honoribus et privilegiis liturgicis, quae praecipuis dioeceseon Patronis rite competunt. Contrariis quibusvis nihil obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque, ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari ; sicque rite iudicandum esse ac definiendum ; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xvui mensis Novembris, anno **MCMLXIII**, Pontificatus Nostri primo.

© **HAMLETUS** I. Card. **CICOGNANI**
a publicis Ecclesiae negotiis

III

Sanctus Franciscus Salesius, Episcopus, Confessor et Ecclesiae Doctor, principalis caelestis Patronus dioecesis Rakeriensis eligitur.

PAULUS PP. VI

Ad perpetuam rei memoriam. — Suavem pietatis magistrum, Sanctum Franciscum Salesium, sacrorum administri et Christifideles dioecesis Bakeriensis, in finibus Foederatarum Civitatum Americae Septemtrionalis, studiose excolunt et venerantur. Cui eximio Caeliti prima in urbe Bakeria exstructa ecclesia eaque parva et lignea sacra traditur fuisse ; constituta vero dioecesi, ab ea urbe appellata, templum princeps opere egregio est aedificatum honori eiusdem Sancti Francisci idque merito, siquidem assiduus ille nominis catholici propagator praesidium habebatur ea in America regione, quae plurimum missionalis operis postulabat. Quibus omnibus perpensis, Venerabilis Frater Franciscus P. Leipzig, Bakeriensis Episcopus, vota etiam significans cleri populique pastoralibus curis suis commissi, Nos rogavit, ut Sanctum Franciscum Salesium suae dioecesis caelestem renuntiaremus Patronum. Quibus precibus libenti animo admissis, Nos, e Sacrae Rituum Congregationis consulto, certa scientia _ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum Sanctum Franciscum Salesium, Episcopum, Confessorem et

Ecclesiae Doctorem, principalem universae Bakeriensis dioecesis caelestem apud Deum *Patronum* constituimus et declaramus, omnibus adiectis iuribus ac privilegiis liturgicis, quae praecipuis locorum Patronis rite competunt. Contrariis quibusvis non obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere ; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere ; illisque, ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari ; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xxvi mensis Novembris, anno **MCMLXIII**, Pontificatus Nostri primo.

© **HAMLETUS** I. Card. **CICOGNANI**
a publicis Ecclesiae negotiis

IV

Beata Maria Virgo, a Septem Doloribus appellata, praecipua Patrona declaratur Congregationis Filiorum a Caritate, qui vulgo sodales Canossiani dicuntur.

PAULUS PP. VI

Ad perpetuam rei memoriam. — Conditrix, antistita et mater habetur coliturque in Congregatione Filiorum a Caritate dolorosissima Virgo Maria iam inde ab Instituti ortu, cum scilicet Beata Magdalena e Marchionibus de Canossa, multorum Episcoporum obsecuta voluntati, quod opus mulierum proprium inchoaverat, pari ad homines ratione statuit transferre. Quae enim acerbos ac salutíferos Reginae Martyrum dolores suis scriptis commemoravit, ipsisque vitae suae moribus expressit, illa peculiarem sodalium pietatem divino Calvariae facto voluit innixam ac sanguine nostri Redemptoris lacrimisque Deiparae Mariae quasi conspersam. Ita quidem factum est, ut Canossiani sodales, in tutelam Virginis Perdolentis traditi, preces effundere multas aliaque exsolvere Eius honori officia consuescerent, atque etiam, huius cultus retinentes, sacri apostolatus labores, ad iuvenum praesertim bonum procurandum, susciperent. Quodsi diu admodumque pauci una tantummodo sede Venetiis, intra

fines paroeciae Sancti Ieremiae, snnt usi, hodie, meliore spe auctus arridente, religiosi iidem viri alacrius suo instant operi, christianam - que, quam curant, animorum institutionem mariali religione perfundunt ac perficiunt. Hoc enim in lege novissima, ab hac Apostolica Sede omnino probata, statuitur, ut pias condant sodalitates, a Virgine Perdolente appellatas, quibus adulescentes ut socii asciscantur, sollemnia statis diebus celebrent, et, ad proprium vivendi genus quod attinet, exercitationes faciant pietatis suique castigatiohes ad caelestis suae Patronae laudem. Nunc autem, his omnibus ad Nos relatis, dilectus filius Praepositus Generalis Congregationis Filiorum a Caritate, nomine quoque supremi consilii religiosorumque omnium virorum, Nos impense rogavit, ut mariale patrocinium, eadem appellatione distinctum, publice sollemniterque ediceremus. Quod votum, amplissima roboratum commendatione Dilecti Filii Nostri Alfredi S. R. E. Cardinalis Ottaviani, Protodiaconi Sanctae Mariae in Domnica atque eiusdem Congregationis Profecturis, benigne esse admittendum censemus. Itaque, ex Sacrae Rituum Congregationis consulto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra, deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum, Beatissimam Virginem Mariam, a Septem Doloribus appellatam, principalem apud Deum universae Congregationis Filiorum a Caritate, qui vulgo sodales Canossiani dicuntur, caelestem *Patronam* constituimus ac declaramus, omnibus adiectis honoribus et privilegiis liturgicis, quae praecipuis religiosorum coetuum Patronis rite competunt. Contrariis quibusvis nihil obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere ; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere ; illisque, ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari ; sicque rite iudicandum esse ac definiendum ; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xxvi mensis Novembris, anno **ÎMCMLXIII**, Pontificatus Nostri primo.

B **HAMLETUS** I. Card. **CICOGNANI**
a publicis Ecclesiae negotiis

V

Titulo ac privilegiis Basilicae Minoris cathedralis ecclesia Marianensis decoratur.

PAULUS PP. VI

Ad perpetuam rei memoriam. — Erga almam Deiparam pietatis sedes ínclita esse perhibetur cathedralis ecclesia Marianensis, quippe ubi vetus nobilisque imago eius, quae est ((decor Carmeli », impensis populi excolatur obsequiis. Quod ob singulare studium religionis, Beata Maria Virgo, simulacro illa expressa, a Ioanne Pp. XXIII, Decessore Nostro rec. mem., urbis Marianensis renuntiata est caelestis Patrona, ac paulo post effigies ipsa, nomine et auctoritate eiusdem Summi Pontificis, inter potestatum, cleri, fidelium vota et plausus, aureo diademate redimita. Ad has vero laudes accedit templi ipsius magnificentia, siquidem molis amplitudine commendatur pretiosisque refulget metallis et aliis ornamentis. Ad quod efficiendum multum contulerunt sollertia sua sacrorum Antistites et administri, stipe erogata Christifideles, ipsi olim Lusitaniae Reges munificentia sua. Haec igitur aula Mariae, vetustate quoque insignis, quae anno MDCCXLV honore cathedralis templi fuit donata, anno vero MCMVI Metropolitanae ecclesiae titulo aucta, admirationem movet et inter praeclara monumenta Civitatis, cui nomen ((Minas Gérais », obtinet locum. Sacri demum ritus ibi eo cum decore peragi dicuntur, qui domus Dei decet sanctitatem. Quae omnia reputans cum animo, Venerabilis Frater Ansgarius de Oliveira, Marianensis Archiepiscopus, vota quoque significans cleri et fidelium suis curis commissorum, ac civilium Auctoritatum, imprimis Iosephi de Magalhaes Pinto, praedictae Civitatis Moderatoris, Nos rogavit, ut eidem principi templo Basilicae Minoris nomen et ius benigne tribueremus. Quibus precibus libenter admissis, Nos e Sacrae Rituum Congregationis consulto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum cathedralem ecclesiam Marianensem, Deo in honorem Beatae Mariae Virginis in caelum Assumptae consecratam, ad dignitatem *Basilicae Minoris* evehimus, omnibus adiectis iuribus ac privilegiis, quae sacris aedibus eodem nomine appellatis rite competunt. Contrariis quibusvis non obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suos-

que plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque, ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari ; sicque rite iudicandum esse ac definiendum ; irritumquè ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate quali-bet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXVII mensis Novembris, anno MCMLXIII, Pontificatus Nostri primo.

© HAMLETUS I. Card. CICOGNAXI
a publicis Ecclesiae negotiis

VI

Beata Maria Virgo, « Scala Paradisi » appellata, principalis Patrona, et S. Conradus Confalonieri, Confessor, Patronus aeque principalis totius Netensis dioecesis constituuntur.

PAULUS PP. VI

Ad perpetuam rei memoriam. -— Scandere caelum datur hominibus, qui Beatae Mariae Virgini se devovent eiusque ductu vitam degunt cum virtute. Cui opiferae Matri, a « Scala Paradisi)> nuncupatae, sacrum est templum prope urbem Netum, ubi imago eius vetusta, in rupe depicta, impense colitur, idque a multo tempore, siquidem, ut e litterarum monumentis saeculo xv exeunte conscriptis colligitur, iam tum piae peregrinationes ad sanctuarium illud, ea aetate parvum, fiebant. Est etiam memorandum Benedictum Pp. XIV, Decessorem Nostrum, Beatam Mariam Virginem, eo nomine invocatam, constituisse Patronam provinciae religiosae Syracusanae Carmelitarum Reformatorum, cuius sedes praecipua fuit coenobium eidem templo continens. Praeterea Famulus Dei Hieronymus Terzo, eiusdem Ordinis sodalis, plurimum allaboravit, ut cultus Deiparae, cui adiecta appellatio « Scala Paradisi », in Christifidelium animis insideret ac propagaretur. Qui post terrae motum, quem anno MDCLXXXXIII accidisse constat, novum templum exstruxit et ornavit. Ex quo tempore idem cultus permagnis est auctus incrementis et his quoque temporibus viget, opera praesertim et studio sacrorum Antistitum, quorum pastorali curae grex Netensis est concreditus. Quam ob piam alacritatem imago illa, auctoritate Petriani Collegii Canonicorum, anno MCMXXXI, aureo diademate fuit redimita. Cupiens autem

marialem religionem provehere eaque animarum salutem procurare, Venerabilis Frater Angelus Oalabretta, Netensis Episcopus, qui vota simul significavit et cleri et populi fidelis, Nos rogavit, ut Beatam Mariam Virginem, nomine illo appellatam, dioecesis suae praecipuam Patronam renuntiaremus. Quibus precibus libenti animo concedentes, e Sacrae Bituum Congregationis consulto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum Beatissimam Virginem Mariam, a « Scala Paradisi » appellatam, *principalem apud Deum Patronam* totius Netensis dioecesis, Sanctum vero Conradum Confalonieri, Confessorem, *Patronum aeque principalem* eiusdem dioecesis confirmamus, seu iterum constituimus ac declaramus, omnibus adiectis honoribus ac privilegiis liturgicis, quae praecipuis locorum Patronis rite competunt. Contrariis quibusvis non obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere ; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere ; illisque, ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die **XXVII** mensis Novembris, anno **MCMUXIII**, Pontificatus Nostri primo.

© **HAMLETUS I.** Card. **CICOGNANI**
a publicis Ecclesiae negotiis

VII

Beata Maria Virgo de Mercede principalis Patrona archidioecesis Tucumanensis declaratur.

PAULUS PP. **VI**

Ad perpetuam rei memoriam. — Praesidium Deiparae Virginis merito expetunt homines in terrena peregrinatione constituti tot inter res adversas ac discrimina, quae corporibus et animis imminent, atque ea duce et deprecatrice ad aeternam perveniunt salutem. Magno igitur cum gaudio a Venerabili Fratre Ioanne Carolo Aramburu, Tucumanensi Archiepiscopo, accepimus Christifideles, ea in regione incolentes, ad quam sacra potestas ipsius pertineret, singulari studio ferri in Beatam

Virginem de Mercede idqne a multo iam tempore ; et eiusdem honori quotannis sollemnia agi summo cum apparatu, maxima cum alacritate ; nec solum vulgus ea participare sed etiam auctoritates ex ordine ecclesiastico atque civili. Cum praeterea imago Dei Genetricis, nomine illo appellatae, anno **MCMLTV** per archidioecesis urbes, oppida, pagos circumveheretur, amplissimi fructus spirituales, ut idem ad Nos attulit Praesul, sunt percepti. Qui pro pastorali, qua exercetur, cura Nos rogavit, ut Beatam Mariam Virginem de Mercede, archidioecesis, cui praeest, principalem Patronam caelestem benigne renuntiaremus. Quibus precibus libenter admissis, Nos e Sacrae Rituum Congregationis consulto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum Beatam Mariam Virginem de Mercede principalem cunctae archidioecesis Tucumanensis apud Deum *Patronam* constituimus ac declaramus, omnibus adiectis iuribus ac privilegiis liturgicis, quae praecipuis locorum Patronis rite competunt. Contrariis quibusvis non obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere ; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque, ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari ; sicque rite iudicandum esse ac definiendum ; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xxrx mensis Novembris, anno **MCMLXIII**, Pontificatus Nostri primo.

© **HAMLETUS** I. Card. **CICOGNINI**
a publicis Ecclesiae negotiis

VIII

Sanctus Stephanus Protomartyr praecipuus municipii Cotiniolae Patronus eligitur.

PAULUS PP. VI

Ad perpetuam rei memoriam. — Qui « plenus gratia et fortitudine)) *{Act. Ap.* 6, 8) suoque sanguine purpuratus, testis christianae fidei primus praedicatur, Stephanus diaconus religione eximia vetustoque more in urbe Cotiniola excolitur. Cuius intra fines duae inveniuntur aedes

sacrorum, invicti Martyris nomine decöratae, quarum alteram constat millesimo saltem nostri aevi anno antecessisse, ac postea insignem collegialis ecclesiae titulum adeptam esse. Intellegendum est igitur, quamvis hac de re sileant monumenta, Stephanum iam tum esse habitum appellatumque Patronum ab illius fidelibus municipii. Plurimum vero pietas in eum assecuta est incrementi, cum saeculo xvi civis quidam, episcopali ornatus dignitate, Martyris reliquias nobilissimo suae patriae muneri misit. Quae sacri corporis pars, in pretiosa condita theca, honestissima pompa deferri solebat, cum calamitosae imminebant urbi tempestates. Nostra autem aetate, die eius memoriae sacro redeunte, peculiaria sollemnia peraguntur, quibus viri civili rei administrandae praepositi intersunt, secum ferentes municipale vexillum. Cum ergo ita vigeat studium sancti Caelitis ac veneratio, id omnes expetunt municipes, ut quem reapse habeant sui suarumque rerum tutorem, idem iure etiam Nostraque potestate Patronus constituatur. Quod votum, a Venerabilibus Fratribus Iosepho Battaglia, Episcopo Faventino, et Benigno Carrara, Episcopo Imolensi, ad Nostram Sedem ampla cum suffragatione allatum, benigne esse admittendum censemus. Itaque, ex Sacrae Rituum Congregationis consulto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra, deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum, Sanctum Stephanum, Protomartyrem, principalem apud Deum totius municipii Cotiniolae caelestem *Patronum* confirmamus seu constituimus ac declaramus, omnibus adiectis honoribus ac privilegiis liturgicis, quae praecipuis locorum Patronis rite competunt. Contrariis quibusvis nihil obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere ; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere ; illisque, ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc et in posterum, plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die **III** mensis Decembris, anno **MCMLXIII**, Pontificatus Nostri primo.

© **HAMLETUS** I. Card. **CICOGNANI**
a publicis Ecclesiae negotiis

IX

Titulus ac privilegia Basilicae Minoris paroeciali ecclesiae Beatae Mariae Virginis a Misericordia in urbe « Apizaco », intra fines Tlaxcalensis dioecesis, conferuntur.

PAULUS PP. VI

Ad perpetuam rei memoriam. — Pientissimae Matris Mariae, a Misericordia appellatae, honori egregium templum in urbe ((Apizaco », intra fines Tlaxcalensis dioecesis, surgere perhibetur. Quod quidem religione tam est insigne, ut qua Sanctuarium a populo fideli impense celebretur, et opere tam nobile, ut laude probetur communi. Cupiens vero huius ecclesiae marialis dignitatem augere et Christifideles ad vel maius pietatis studium provocare, Venerabilis Frater Aloisius Munive Escobar, Tlaxcalensis Episcopus, vota quoque significans cleri populique pastoralibus curis suis commissi, Nos rogavit, ut idem templum Basilicae Minoris nomine ac iure donaremus. Quibus precibus libenti animo auditis, Nos, e Sacrae Rituum Congregationis consulto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum paroecialem ecclesiam Deo in honorem Beatae Mariae Virginis a Misericordia in urbe « Apizaco », intra fines Tlaxcalensis dioecesis, consecratam, ad honorem *Basilicae Minoris* evehimus, omnibus adiectis iuribus ac privilegiis, quae templis eodem nomine insignibus rite competunt. Contrariis quibusvis non obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque, ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari ; sicque rite iudicandum esse ac definiendum ; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die v mensis Decembris, anno MCMLXIII, Pontificatus Nostri primo.

© **HAMLETUS** I. Card. **CICOGNANI**
a publicis Ecclesiae negotiis

X

Titulus ac privilegia Basilicae Minoris tribuuntur ecclesiae paroeciali Sancti Antonii in urbe Bonaëropoli.

PAULUS PP. VI

Ad perpetuam rei memoriam. — Quae religione et operibus artificiosis commendantur tempia e translaticio Apostolicae Sedis instituto honore praecipuo solent decorari. Quibus accensenda est curialis ecclesia Sancti Antonii, quae in urbis Bonaëropolis non modicum cedit ornamentum. Praestat enim molis magnificentia et structurae pulchritudine et cultu vario, maxime vero marmoribus rènidet. Imagines quoque Sacratissimi Cordis Iesu et Beatae Mariae Virginis a Rosario communi laude probantur ; atque signum Iesu Christi cruci affixi, ex uno lapide marmoreo factum, omnium studia ad se convertit. Hoc vero templum, exeunte saeculo xrx exstrui coeptum, plebe Dei stipem conferente, et postea viri cuiusdam munificentia perfectum, est etiam pietatis sedes singularis, siquidem Christus Dominus, cuius simulacrum laudavimus, Beata Maria Virgo et Sanctus Antonius impensissimo ibi coluntur. Praeterea supellectile pretiosa aliisque ornamentis divinae rei aptis affluit nihilque desiderandum esse videtur, quod ad sacrorum rituum attinet dignitatem. Quae omnia reputans cum animo dilectus filius Hermenegildus Fazio, hodiernus eiusdem ecclesiae parochus, submisse Nos rogavit, ut eam Basilicae Minoris nomine ac iure donaremus. Quibus precibus, Dilecti Filii Nostri Antonii Sanctae Romanae Ecclesiae Presbyteri Cardinalis Caggiano, Archiepiscopi Bonaërensis, commendationis amplissimo officio suffultis, libenti animo statuimus obsecundare. Quapropter, e Sacrae Rituum Congregationis consulto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum paroecialem ecclesiam Deo in honorem Sancti Antonii, Confessoris et Ecclesiae Doctoris, Bonaëropoli consecratam, ad honorem ac dignitatem *Basilicae Minoris* evehimus, omnibus adiectis iuribus et privilegiis, quae templis eodem nomine insignibus rite competunt. Contrariis quibusvis non obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere ; illisque, ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite

iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Eomae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die **VII** mensis Decembris, anno MCMIÍXIII, Pontificatus Nostri primo.

© **HAMLETUS** I. Card. **CICOGNANI**
a publicis Ecclesiae negotiis

X I

Sanctus Antonius Maria Gianelli, Episcopus et Confessor, declaratur caelestis Patronus aeque principalis, una cum Sancto Columbano Abbate, pro tota Bobiensi dioecesi et urbe.

PAULUS PP. VI

Ad perpetuam rei memoriam. — Felix sane divinoque locuples munere urbs Bobium, quam tres illustraverunt Caelites : Columbanus Abbas, eius, saeculo septimo, veluti conditor; Henricus Imperator, episcopalis cathedrae ex Apostolicae Sedis auctoritate, ineunte saeculo xi, institutor ; undevicesimo denique saeculo Antonius Maria Gianelli, clarus illius civitatis Episcopus, quem Decessor Noster Pius Pp. XII, fel. rec, anno **MCMLI**, in sanctorum Caelitum numerum adscripsit. Quod si praecipuus sanctus Columbanus, sanctus vero Henricus secundarius eiusdem urbis ac dioecesis ab antiquis temporibus habentur caelestes Patroni, sancti Antonii Mariae Gianelli, qui vetustam illam dioecesim per octo annos pie prudenterque est moderatus, publicum praesidium nondum est expetitum. Ipse tamen e suo sepulcro, in cathedralis ecclesiae crypta posito, « defunctus adhuc loquitur » *(Hebr.,* 11, 4) praeclarisque fortitudinis et caritatis exemplis sacerdotes sacrorumque alumnos monet, immo et fideles, quorum pietate valde honoratur et colitur. Cupiens autem tantam in sanctum illum Confessorem, Episcoporum lumen atque gloriam, religionem provehere, Venerabilis Frater Petrus Zuccarino, Episcopus Bobiensis, enixis Nos adiit precibus, ut eundem Caelitem totius Bobiensis dioecesis apud Deum Patronum aeque principalem una cum sancto Columbano benigne declarare dignaremur. Nos autem, quibus pietatis incrementum inter fideles maxime cordi est, huiusmodi precibus obsecundare perlibenter statuimus. Quapropter, e Sacrae Rituum Con-

gregationis consulto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum Sanctum Antonium Mariam Gianelli, Episcopum et Confessorem, Bobiensis urbis et totius dioecesis caelestem *Patronum aeque principalem* una cum Sancto Columbano Abbate renuntia mus, facimus, constituimus, omnibus et singulis honoribus et privilegiis liturgicis adiectis, quae praecipuis locorum Patronis rite competunt. Contrariis quibuslibet minime obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque, ad quos pertinent seu pertinere poterunt, nunc et in posterum, plenissime suffragari ; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter contigerit attentari.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die vii mensis Decembris, anno **MCMLXIII**, Pontificatus Nostri primo.

© **HAMLETUS** I. Card. **CICOGNANI**
a publicis Ecclesiae negotiis

XII

Sanctus Paulus Apostolus declaratur caelestis Patronus laicorum apostolatus, qui « Cursillos de Cristianidad » appellatur.

PAULUS PP. VI

Ad perpetuam rei memoriam. — Viget salubriter in Hispania aliisque in regionibus apostolicum inceptum, id est disciplina christianitatis, eo pertinens, ut laici vitam spiritualem, divina afilante gratia, colant, Christum eiusque doctrinam penitius cognoscant, ad fontem supernum Sacramentorum crebro accedant, saluti alienae studeant, sacrum ministerium obeuntibus adiutricem operam praebeant. Hisce ex acroasibus de re christiana, quae, « Cursillos de Cristianidad >) vulgo appellatae, magnum numerum fidelium complectuntur, fructus uberrimi sunt percepti : domesticus convictus sancte et ad divinae legis praecepta instauratus, paroeciae nova virium impulsione provectae, munera privata et publica fideliter et e conscientiae officio impleta ; quam ob rem Episcopi aliique animorum pastores gaudio summo perfunduntur. Neque prae-

termittendum agmina eorum, qui sub Christi vexillis in sodalitate ab Actione Catholica militant, additis novis copiis eorum, qui huiusmodi christianam disciplinam sequuntur, laeta accepisse incrementa et plures eorundem ad sacerdotium contendisse vel, abstractos a saeculo, Deo in religiosa familia se devovisse. Hi vero omnes exemplum, quod imitentur, praesidium, cui se credant, habent Sanctum Paulum Apostolum, cuius adventus in Hispaniam undevicies saecularis memoria in praesenti celebratur ; ad quae sollemnia agenda huiusmodi sodales christianitatis studiosi praeclaram operam contulerunt. Quorum e sententia et nomine Episcoporum ac suo, Dilectus Filius Noster Beniaminus Sanctae Romanae Ecclesiae Presbyter Cardinalis de Arriba y Castro, Archiepiscopus Tarraconensis, Nos rogavit, ut Doctorem gentium praedictae apostolatus laicorum rationis caelestem Patronum renuntiaremus. Quibus precibus perlibenter obsecundantes, Nos, e Sacrae Rituum Congregationis consulto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum Beatum Paulum Apostolum caelestem apud Deum *Patronum* laicorum apostolatus seu christianitatis disciplinae, quae vulgo « Cursillos de Cristianidad » appellatur, facimus, constituimus, declaramus, omnibus adiectis honoribus ac privilegiis liturgicis titulo huiusmodi rite competentibus. Contrariis quibusvis nihil obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere ; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere ; illisque, ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum ; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XIV mensis Decembris, anno MCMLXIII, Pontificatus Nostri primo.

© HAMLETUS I. Card. CICOGNANI
a publicis Ecclesiae negotiis

SS.

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

I

PLATENSIS - CLIVI ZAMOERENSIS - AVELLANEDIENSIS

DECRETUM

De finium dioecesium immutatione

Concrediti Christifidelium gregis spirituali bono apprime studentes, Excnii PP. DD. Antonius Iosephus Plaza, Archiepiscopus Platensis, Alexander Schell, Episcopus Clivi Zamoerensis, Ieronimus Iosephus Podestà, Episcopus Avellanediensis, unanimi consensu, ab Apostolica Sede expostulaverunt ut fines ecclesiasticarum circumscriptionum sibi concreditarum aliquantulum immutarentur et ita aptius disponerentur.

Sacra Congregatio Consistorialis, praehabito favorabili voto Excnii P. D. Humberti Mozzoni, in Republica Argentina Apostolici Nuntii, rata huiusmodi immutationem animarum saluti cessuram, vigore specialium facultatum sibi a Ssmo Domino Nostro Paulo Divina Providentia Pp. VI tributarum, oblatis precibus annuendum censuit.

Quapropter, suppleto, quatenus opus sit, eorum interesse habentium vel habere praesumentium consensu, praesenti Consistoriali Decreto, ab archidioecesi Platensi distrahit :

a) paroecias vulgo *San Gabriel Arcángel* (Adrogué), *Nuestra Señora de la Medalla Milagrosa* (Adrogué), *Inmaculada Concepción* (Burzaco), *Nuestra Señora de Lujan* (Claypole), *Nuestra Señora de Lujan* (Longchamps), *Nuestra Señora de Lujan* (Mármol), *Santísima Trinidad* (Villa Calzada), *Santa Ana* (Glew), *Nuestra Señora del Tránsito* (Ministro Rivadavia), intra fines civilis territorii seu « Partido » cui nomen *Almirante Brown,* necnon paroeciam vulgo *San Vicente Ferrer,* intra, limites civilis districtus seu ((Partido » *San Vicente* nuncupati, exstantes, illasque perpetuo dioecesi Clivi Zamoerensis adnectit ;

b) paroecias vulgo *San Juan Bautista* et *Santa Lucia* nuncupatas^

intra fines civilis territorii seu « Partido » *Florencio Várela* sitas, illasque perpetuo dioecesi Avellanediensi adsignat.

Mandat insuper Sacra Congregatio Consistorialis ut documenta et acta praefatorum territoriorum clericos, fideles et bona temporalia respicientia a Curia a qua ad Curiam cui illa nuper aggregata sunt, quam primum, transmittantur.

Ad clerum quod attinet statuit ut, simul ac praesens Decretum ad effectum deductum fuerit, sacerdotes Ecclesiae illi censeantur adscripti in cuius territorio ecclesiasticum beneficium aut officium legitime detinent; ceteri autem sacerdotes, clerici Seminariique tirones dioecesi illi incardinati maneant vel incardinentur in cuius territorio legitimum habeant domicilium.

Ad haec perficienda Sacra Congregatio Consistorialis memoratum Exomum P. D. Humbertum Mozzoni deputat, necessarias et opportunas eidem tribuens facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad eamdem Sacram Congregationem, cum primum fas erit, authenticum exemplar actus peractae exsecutionis remittendi.

Quibus super rebus praesens edit Consistoriale Decretum perinde valiturum ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent.

Contrariis quibusvis minime obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis Consistorialis, die 2 mensis Martii anno 1964.

CAROLUS Card. **CONPALONIERI,** *a Secretis*

L. © S.

f Franciscus Carpino, Archiep. Serdicen., *Adsessor*

II

HONOLULUENSIS

DECRETUM

De finium dioeceseos mutatione

Dissita in Pacifico Oceano exstat Insula, cui nomen « Johnston Island », centesimum et septuagesimum (**CLXX**) occidentalis a Greenwich longitudinis et decimum septimum (xvn) boreae latitudinis gradum attingens, sub Civitatum Foederatarum Americae Septentrionalis di-

cione constituta. Quae quidem Insula, hactenus deserta, nulli ecclesiasticae circumscriptioni ascripta est.

Cum vero hisce temporibus ob grandia a Civilibus Potestatibus opera aggressa plures opifices illuc appulere, ab Apostolica Sede enixe petitum est, ad fidelium animarum spirituali curae aptius consulendum, ut praefata ((Johnston Island » Honoluluensi, quae est vicinior, dioecesi perpetuo adnecteretur.

Porro Ssmus Dominus Noster Paulus, Divina Providentia Pp. VI, rei opportunitate perpensa et habito favorabili voto Excmi P. D. Aegidii Vagnozzi, Archiepiscopi tit. Myrensis et in Civitatibus Foederatis Americae Septentrionalis Delegati Apostolici, de consilio infrascripti Cardinalis S. Congregationis Consistorialis Secretarii, ratus id in bonum animarum cessurum, porrectis precibus benigne annuendum censuit.

Quapropter suppleto, quatenus opus sit, eorum interesse habentium vel habere praesumentium consensu, de plenitudine Apostolicae potestatis, praesenti Consistoriali Decreto, perinde valituro ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent, universum territorium memoratae Insulae « Johnston Island » Honoluluensi dioecesi perpetuo attribuit, mutatis hac ratione huius dioeceseos finibus.

Ad haec omnia exsecutioni mandanda idem Ssmus Dominus Noster deputare dignatus est memoratum Excfhum P. D. Aegidium Vagnozzi, necessarias et opportunas eidem tribuens facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere ei imposito ad hanc S. Congregationem Consistorialem authenticum exemplar actus peractae exsecutionis quam primum remittendi.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus S. Congregationis Consistorialis, die VIT mensis Martii a. D. MCMLXIV.

CAROLUS Card. GONFALONIERI, *a Secretis*

X. & S.

t Franciscus Carpino, Archiep. Serdicen., *Adsessor*

SACRA CONGREGATIO RITUUM

• • • • • i

PANORMITANA

Beatificationis et canonizationis Servi Dei Iacobi Cusmano, sacerdotis et fundatoris Congregationum Servorum et Servarunt Pauperum v. d. « Boccone del povero ».

SUPER DUBIO

An signanda sit Commissio introductionis causae in casu et ad effectum de quo agitur.

Si qua umquam fuit aetas quae tot super humana fraternitate editos vidit libros totque audivit prolatos sermones, haec nostra profecto est. At huiusmodi fraternitas non est nisi quaedam verae germanaeque dilectionis fallax, ementita et fucata species, quandoquidem, frigescente et arescente Christi caritate, virescere nunquam potest in proximum cari' tas. Hoc perspicuum habetur ex quo divina illa insonuit vox : « *Mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum diligat et fratrem suum* » (I Io. 4, 21). Tanta siquidem hi duo amores, Dei scilicet et proximi, inter se copulantur necessitudine et cognatione tit, altero sublato, alter simul concidat. Idcirco, cum laesum se prodit funditusque eversum divinum de fraterna dilectione praeceptum, eo ipso unaque simul neglectum omnino se ostendit impieque violatum quod de caritate Dei *maximum est* et *primum mandatum.* Verum Deus misericors, quoties maxime videntur christianae sapientiae principia oblitterari, tunc viros exsuscitare solet suo spiritu plene imbutos et actuosa in fratres caritate praestantes, qui multitudines, singulari ipsorum virtutum, beneficiorum rerumque gestarum magnitudine perculsas, eo reducant unde infeliciter discesserint, easque simul doceant moneantque nullam esse, eamque ne mente quidem concipi posse, in proximum caritatem a Dei caritate seiunctam.

Hos inter viros praestare visus est superiore saeculo, in nobilissima atque ubere Sicula terra, Servus Dei Iacobus Cusmano. Is namque se totum pauperum necessitatibus ac doloribus leniendis dedidit, ut simul eorumdem animos ad caelestium bonorum spem et amorem erigerei.

Panormitana in civitate, die 15 mensis Martii anno 1834, e legitimis coniugibus Iacobo Cusmano et Magdalena Patti,, censu et pietate conspicuis, ortum habuit Famulus Dei, atque insequenti die ^acro est renatus fonte, nominibus inditis Iacobo Iosepho Vincentio. Tres habuit fratres sororesque duas, quarum Vincentia, natu maior, sedula cura et christiana educatione Iacobum instituit, postquam, trium puer annorum, matre fuit ornatus, eumque postea, religiosae vitae addicta, operibus condendis adiuvit.

Bonam sortitus indolem, educatione eam fovit, ac tenella adhuc aetate de pauperibus opitulandis cogitare coepit : frusta esculenta, parvum peculium suum, vestes et calceamenta coaetaneis inopibus donabat. Cui ideo aptari illa possunt : <(*Ab infantia mea crevit mecum miseratio* » *(Iob.* 31,18).

Primis a sacerdote quodam exceptis litterarum rudimentis, studiorum domicilia gravioribus disciplinis tradendis apud Societatis Iesu sodales Panormitana in urbe celebravit; deinde studiorum Universi tatem frequentava ad lauream in medicorum scientia assequendam, studio non minus quam vita et pietate condiscipulis optima praebens exempla. De seligenda autem arte medendi tum consilium cepit, cum a germano fratre, quominus ad exteras Missiones proficisceretur, impeditus fuit.

Lauream in medicina adeptus, non solum operam praestabat suam gratuito, verum pauperibus et auxilium erogabat. In his autem curandis nihil ipse omittebat, ut cum corpore anima quoque salutem acciperet. Dicere enim erat solitus : *per caritatem ad fidem.*

Ut divinae voluntati, quam moderatoris conscientiae ope melius cognovit, obtemperaret, viam iniit ad clericalem militiam amplexandam, licet se, qui ad sacerdotium ascenderet, indignum putaret. Theologicis igitur studiis, duce et moderatore Canonico quodam Panormitanae ecclesiae cathedralis, diligenter operam dedit, et tandem die 21 Decembris anno 1860 sacerdotio auctus est. Sacerdotalibus muniis toto animi ardore incubuit. Caritate autem in pauperes inflammatus, sua mente versabat consilium Institutum quoddam in eorum commodum condendi. Cuius quidem Instituti originem ita testes et documenta innuunt : Cum quodam die Famulus Dei visendi causa ad medicum amicum se contulisset, familiam cunctam inter cenandum invenit, viditque omnes, parentes scilicet eorumque liberos, offulam de epulis immittentes in patinam, quae in media exstabat mensa. Quaerenti autem ex eis cur ita agerent, respondit paterfamilias offulas quemque posuisse cuidam pauperi dan-

das, «pauperis buccellas)) appellatas, idque cotidie in sua domo fieri. Qua misericordiae opera percitus, Iacobus noster statim cogitavit inmi - meras Panormitanas familias hoc idem praestare posse ad miseros satiándos et sublevandos. Ita Famulus Dei consilium cepit novi constituendi Instituti, quod a Buccella Pauperis, vulgo « Boccone del Povero », appellaret.

Primum quidem Instituti nucleum, germana sorore Vincentia auxiliante, in domo posuit iuxta ecclesiam SS. XL Martyrum pro puellis orphanis. Succrescente autem orphanorum numero, domus translata est apud S. Marcum, ubi sacram vestem primae Sorores, quas inter ipsius: soror et neptis, mense Maio anni 1880, induerunt. Quattuor annis post communitatem Fratrum laicorum servorum pauperum instituit, quam vero die 21 Novembris a. 1887 nova Congregatio Sacerdotum Servorum Pauperum subsecuta est.

Famulus Dei totum se, parochiali officio et canonicatu abdicatis, operi suo confirmando et dilatando, nulli parcens labori, devovit ; vituperationes sustinuit, obstacula superavit haud pauca. Sortis aliquando relictus, eleemosynas ostiatim ad tardam usque vesperam quaeritabat pro pauperibus, orphanis, senibus et derelictis; quos omnes intuens tamquam Christi personam venerabundus complectebatur, nudato càpite quandoque adibat et exquisitis officiis cumulabat. Sacerdotibus et Sororibus sui Instituti eundem, quo ipse ducebatur, spiritum infundere curabat, sive exhortationibus sive exemplis.

Laboribus tandem potius quam aetate fractus, repentino morbo confectus, obdormivit in Domino die 14 mensis Martii anni 1888, eique universa Panormitana civitas sollemni funere parentavit.

Percrebrescens autem in dies sanctimoniae eius fama, qua vivens quoque honestatus fuerat, caelestibus signis visa est confirmari. Quamobrem, cum vix actoribus licuit, de Beatorum Caelitum honoribus eidem decernendis causa agi coepta est. Instructi itaque sunt ordinarii, qui dicuntur, processus, in Panormitana Curia et rogatoriales inquisitiones, in Curiis Agrigentina et Catanensi, qui absoluti ad Sacram hanc Rituum Congregationem delati sunt. Interim quamplurimae litterae S. R. E. Cardinalium sacrorumque Antistitum ac virorum tam ecclesiastica quam civili dignitate insignium ad Summum Pontificem pervenerunt, sanctitatis famam Servi Dei extollentes causaeque beatificationis introductionem enixe postulantes.

Servatis omnibus de iure servandis, Sacra eadem Rituum Congregatio, scriptis Famuli Dei rite perpensis, Decreto diei 3 Februarii a.

1946, approbante Pio Papa XII fel. rec, ad ulteriora procedi posse edixit. Quapropter, instante Revmo P. Theodoro a Sacra Familia, Ordinis Exeálceatorum Ssmae Trinitatis causaeque huius solertissimo Postulatore, Emus ac Revmus Dominus Clemens Cardinalis Micara, Episcopus Veliternus et causae Ponens seu Relator, in ordinariis Sacrae Rituum Congregationis comitiis die 23 mensis Maii anni huius ad Vaticanum celebratis, dubium proposuit disceptandum : *An signanda sit commissio^ introductionis causae in casu et ad effectum de quo agitur.* Et Emi ac Revmi Patres, sacris ritibus tuendis praepositi, post relationem ipsius Cardinalis Ponentis, audito quoque Officialium Praelatorum, praesertim R. P. Ferdinandi Antonelli O. F. M., Fidei Promotoris Generalis, suffragio, omnibus diligenter perpensis, rescribere censuerunt : *Affirmative,* seu *signandam esse commissionem, si Sanctissimo placuerit.*

Facta insequenti die de praemissis omnibus Sanctissimo Domino nostro Ioanni Papae XXIII per supra dictum Fidei Promotorem Generalem fideli - relatione, Sanctitas Sua rescriptum Sacrae Rituum Congregationis ratum. habuit et probavit atque *commissionem introductionis causae Servi Dei Iacobi Cusmano* Sua Ipsius manu signare benigne dignata est.

Datum Romae, die 24 mensis Maii, a. D. 1961.

83 C. Card. **CICOGNANI**, Ep, Tusculan., *Praefectus*

L. © S.

Henricus Dante, *a Secretis*

II

TAURINENSIS

Beatificationis et canonizationis Servi Dei Pauli Pii Pèrazzo, e Tertio Ordine saeculari S. Francisci.

SUPER DUBIO

An signanda sit Commissio introductionis causae in casu et ad effectum de quo agitur.

Nobilis Pedemontana tellus in fastis christianae religionis quovis tempore illustris, viciniore nobis aevo omnino praeclarissima fulsit, saeculo praesertim decimonono, quum multi viri ac mulieres talem sane-

titudinis famam adepti sunt, ' ut < omnibus lucerent exemplo. Ex eis nonnullos infallibilis-Ecclesiae Magister in Sanctorum catalogo solemniter adscripsit, uti Iosephum Benedictum Cottolengo, Ioannem Bosco, Iosephum Cafasso, Dominicum Savio, Mariam Dominicam Mazzarello; quorundam vero vita, virtutes ac miracula sub iudicio magisterii ecclesiastici adhuc cribrantur, at spes effulget proxime eos in berniniana gloria Basilicae Vaticanae eundem honorem adepturos esse.

Istorum in numero eximium locum tenet Paulus Pius Perazzo, qui totam vitam non in claustris absconditam, sed inter mundi turbulenta pericula, pretiosam in conspectu Dei et hominum vixit, de sè bonum undique dispergens odorem.

Actionis Catholicae strenuus miles, operariorum catholicorum impiger assecla, consociationis sanctificationis festorum operosus excitator, cuiusvis pii operis zelator industrius, verbo et exemplo omnibus christianae religionis semitas ostendit. Tertio saeculari Ordini Sancti Francisci Asisinatis adscriptus, Seraphici Patris vestigia constanter fideliterque sequebatur. Erga Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum intenso ferebatur amore, cotidianam adorationem assidue colebat, et ad tabernaculum uti cervus ad fontes aquarum properabat. Per totius vitae cursum, nihil aliud sibi proposuit quam ad altiora conscendere, perfectioraque semper assequi. In officiis vero fungendis et in ceteris vitae muneribus quantopere ardens in Deum amor hominum mores emendare, praesertim vero opificum ordines ad religiosam, moralem civilemque renovationem excitare possit, ostendit.

Di 5 Iulii mensis anni 1846 Niciae Montisferrati, Aquensis dioeceseos intra fines, natus est Famulus Dei et die insequenti sacris lustralibus aquis est ablutus. A piis parentibus, qui non modo bonis terrenis, sed et christianis quoque virtutibus pollebant, in amore ac timore Domini una cum fratre et quattuor sororibus religiosam recepit institutionem, ita quidem ut a puero a divina gratia trahi videretur. Nihil igitur mirum si erga parentes, ludimagistros ac superiores reverentia, oboedientia et hilaritate eminuit, erga fratrem, sorores et coaequales autem dulcedine, humanitate, caritate atque patientia, ac multo magis pietate erga Deum. A matre litterarum prima rudimenta didicit, studiis autem severioribus publicas apud scholas sua in civitate vacare coepit, postquam fuerat iam sacro chrismate linitus, et ad mensam eucharisticam accesserat.

Iuvenilem adeptus aetatem, ob familiares necessitudines a studiis

coactus est remittere ac panem cotidianum sibi suisque comparare in publica administratione viae ferreae, ubi non immerito ad altiora pervenit officia. Peculiari autem studio in Tertium Sancti Francisci Ordinem, tum etiam in sanctum Mariale Rosarium nec non in Romanum Pontificem et in Ecclesiam captus est. Sodalitatem adorationis cotidianae perpetuae firmandam dilatandamque curare, spiritum Tertii Seraphici Ordinis divulgare sategit. Piam Unionem contra blasphemiam et turpiloquium excitavit, suumque Conferentiae S. Vincentii a Paulo, Catholicorum Operariorum Unioni aliisque piis sodalitatibus nomen dedit. Nonnulla opuscula et folia typis edidit, pietati ac religioni inter coaetaneos fovendae quam maxime utilia. Tandem, aetatis anno sexagesimo sexto, post diuturnum rabiei morbum, per canis morsura contractum, Ecclesiae Sacramentis pie refectus, Augustae Taurinorum die 22 Novembris anni 1911 pie obiit in osculo Domini.

Eius transitus magno omnes dolore affecit, et eximias eius virtutes cuiusvis coetus et conditionis homines laudarunt et exaltarunt. Iis permotus, Ordinarius Taurinensis super eius sanctitatis fama in dies aucta et dilatata ordinarias inquisitiones paucis post annis ab obitu instituit ac Romam, uti de iure, ad Sacram Rituum Congregationem transmisit, ut sedulo disceptarentur.

Servatis igitur omnibus de iure servandis, in congregatione ordinaria diei 8 Maii 1934 ad Vaticanas Aedes habita, de scriptis Servi Dei actum est, et ut ad ulteriora procedi posset Pius Papa XI fel. rec. die sequenti decernere benigne dignatus est. Tandem, instante Revmo P. Antonio Cairoli, Ordinis Fratrum Minorum sollertissimo Postulatore generali, infrascriptus Cardinalis Caietanus Cicognani, Episcopus Tusculanus, S. Rituum Congregationis Praefectus, causaeque Ponens seu Relator, in ordinario Sacrae Rituum Congregationis coetu die 23 Maii 1961 in Palatio Apostolico Vaticano habito, sequens dubium discutiendum proposuit : *An signanda sit commissio introductionis causae Servi Dei Pauli Pii Perazzo, in casu et ad effectum de quo agitur.* Et Emi ac Revmi Patres, sacris tuendis ritibus praepositi, post relationem ipsius Cardinalis Ponentis, auditis quoque Praelatorum Officialium, praesertim Revmi P. Ferdinandi Antonelli, Ordinis Fratrum Minorum, Fidei Promotoris Generalis, suffragiis, omnibus diligenti studio perpensis, rescribendum censuerunt : *Signandam esse commissionem, si Sanctissimo placuerit.*

Quibus omnibus Sanctissimo Domino nostro Ioanni Papae XXIII

per ipsum Fidei Promotorem Generalem die 24 eiusdem mensis et anni fideliter relatis, Sanctitas Sua, Purpuratorum Patrum sententiam ratam habens, sua manu *commissionem introductionis causae Servi Dei Pauli Pii Perazzo, in casu et ad effectum de quo agitur,* signare benigne dignata est.

Datum Romae, die 24 Maii anno 1961.

83 C. Card. **CICOGNANI**, Ep. Tusculan., *Praefectus*

L. SB S.

Henricus Dante, *a Secretis*

III

DIVIONEN.

Beatificationis et canonizationis Servae Dei Elisabeth a SS.ma Trinitate, monialis professae Carmelitarum Discalceatarum.

SUPER DUBIO

An signanda sit Commissio introductionis causae in casu et ad effectum de quo agitur.

Deum adesse rebus omnibus in eisque esse « *per potentiam, quia ei omnia subiecta sunt; ... per essentiam, quia omnia immediate creavit; et ... per praesentiam, quia omnia cognoscit* », Angelicus Doctor iuxta ea quae in Sacris Litteris tradita sunt concinne exposuit *[S. Theol. I,* q. 8, a. 3). Attamen in homine, paulo minore Angelis facto (cfr. *Ps.* 8, 6), est Deus non tantummodo ut in rebus, sed ampliore modo. Siquidem cognoscitur ab ipso et diligitur, cum, natura duce, bonum sponte amet, cupiat et conquirat homo. Deus insuper ex gratia insidet animae iustae veluti in templo (cfr. *2 Cor.,* 6, 16), modo penitus intimo et peculiari. Ex quo etiam ea caritatis necessitudo consequitur, qua Deo adhaeret anima coniunctissime, plus quam amico amicus possit-benevolenti maxime et dilecto, eoque plene suaviterque fruitur. Haec autem mira animae cum Deo coniunctio, quae *inhabitatio* a theologis appellatur, conditione tantum seu statu ab ea discrepans qua caelites Deus beando complectitur, praesenti totius Trinitatis numine efficitur, iuxta Divini Magistri verba : ((*Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater*

meus diliget eum, et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus» (Io. Ii, 23).

Porro, qui iucundissimo huic mysterio dediti ac devoti exstiterunt magnas fecerunt ad christianam virtutem progressiones atque, licet in saeculo adhuc vitam agentes, in caelo potius conversari videbantur. Hos inter iure adnumeranda est Serva Dei Elisabeth a Ssma Trinitate.

Ipsa ortum duxit apud ((*Camp d'Avord* » prope Bituricem in Gallia die 18 mensis Iulii anno 1880, patre Iosepho Francisco Catez, matre Maria Aemilia Rolland, coniugibus virtute censuque praeditis, et die 22 eiusdem mensis salutis aqua tincta est impositis nominibus Maria, Iosepha, Elisabeth.

Ab infantia christianam recepit a parentibus institutionem, atque ,mox, inde a pueritia, fortem vividamque suam indolem compescere coepit. Humanioribus quoque litteris domi est imbuta. Undecimo aetatis anno nondum expleto sacro est roborata Chrismate, eodemque fere tempore Eucharistico pabulo primum refecta adeoque enutrita, ut terrenum cibum fastidire ipsa fateretur. Virginitatem custodiens et fovens, quatuordecim annos nata votum nuncupavit eiusdem virtutis cum desiderio in actum deducendi propositum, quod iampridem fecerat, vitam religiosam ingrediendi. Mater autem fortiter restitit et consensum ad maiorem usque aetatem Famulae Dei denegavit, eo vel magis quod inde a septennio, patre orbata, sub unius matris potestate degebat. Itaque, quamvis in mundo vitam agens, religiosae vocationi animo adhaerens, a domesticis obeundis muneribus non relaxabat, cum domi, tum in schola et in societate.

Maiorem tandem assecuta aetatem, mundo valedixit atque, ut Deo se ipsam valeret offerre totam, Divionense Carmelum die 2 Augusti anno 1901 ingressa est, ubi suum explevit postulatum, atque carmelitica veste induta, novitiatus tempus agere incepit, ariditate quidem spiritus aspere tentata, in religiosa tamen disciplina perseverans. Tandem die 11 Ianuarii a. 1903 religiosam professionem emisit.

Silentii *vitaeque absconditae cum Christo in Deo* (cfr. *Col.* 3, 3) amantissima, monasticam regulam servando, nihil ardentius cupiebat quam tres Divinas Personas animam eius inhabitantes laudare et glorificare, ita ut *laus gloriae* (cfr. *Eph.* 1, 6) appellari voluerit.

Ingravescente morbo, quo tentata erat, acribusque doloribus fortiter toleratis, pie obdormivit in Domino sanctis munita Sacramentis die 9 Novembris anno 1906, aetatis anno vicesimo sexto.

Percrebrescens autem in dies sanctitatis eius fama caelestibus signis visa est confirmàri. Quam ob rem factum est, ut causa de Beatorum Caelitum honoribus eidem decernendis ageretur. Itaque processus ordinaria auctoritate annis 1931-1941 constructi sunt in Curia ecclesiastica Divionensi, aliique rogatoriales, qui dicuntur, et suppletivi, Sacraeque huic Congregationi exhibiti sunt. Interim plures Elmi Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates et Moderatores religiosorum ac religiosarum instantes preces, beatificationem eiusdem Famulae Dei postulantes, Summo Pontifici obtulerunt.

Quare Sacra haec Rituum Congregatio die 28 mensis Ianuarii a. 1944, scriptis perpensis, decrevit nihil obstare quominus ad ulteriora procedi posset.

Servatis itaque omnibus de iure servandis, instante Revmo P. Ioanne a Iesu et Maria, Ordinis Carmelitarum Discalceatorum Postulatore generali, die 24 Octobris anno 1961, in ordinario coetu huius Congregationis ad Vaticanum habito, Emus ac Revmus Dominus Andreas Cardinalis Jullien, causae Ponens seu Relator, dubium discutiendum proposuit : ((*An signanda sit commissio introductionis causae in casu et ad effectum de quo agitur* », deque ea retulit. Et Emi Patres, sacris ritibus tuendis praepositi, auditis quoque Officialibus Praelatis, praesertim vero R. P. Ferdinando Antonelli O. F. M., Fidei Promotore Generali, rescripserunt : ((*Affirmative,* seu *signandam esse commissionem, si Sanctissimo placuerit ».*

Facta insequenti die Summo Pontifici Ioanni Papae XXIII de his omnibus per supra dictum Fidei Promotorem Generalem fideli reía tione, Sanctitas Sua rescriptum Emorum Patrum ratum habens, *commissionem introductionis causae Servae Dei Elisabeth a SSma Trinitate, monialis professae Ordinis Carmelitarum Discalceatarum,* Sua manu signare benigne dignata est.

Datum Romae, die 25 Octobris a. D. 1961.

83 C. Card. **CICOGNANI**, Ep. Tusculan., *Praefectus*

L. © S.

Henricus Dante, *a Secretis*

IT

VICTORIEN.

Beatificationis et canonizationis Servae Dei Margaritae Mariae López de Maturana, fundatricis et primae moderatricis generalis Instituti Missionalium Mercedariarum loci « Berriz ».

SUPER DUBIO

An signanda sit Commissio introductionis causae in casu et ad effectum de quo agitur.

Hispanica tellus hand semel exstitit Ecclesiae viridarium, ex qno magnifici prodierunt flores, viri nempe ac mulieres, qui amore erga Iesum Redemptorem animarumque salutem infiammati, se omnes et omnia ad Regnum Dei per totum terrarum orbem dilatandum et amplificandum impender unt.

Quos inter flores emicat etiam Serva Dei Margarita Maria López de Maturana.

Ea nata est Flaviobrigiae in Hispania die 25 mensis Iulii anni 1884, parentibus Vincentio López de Maturana et Ioanna Ortiz de Zarate censu vitaeque integritate conspicuis, atque postridie sacro est renata fonte nomenque accepit Mariam a Columna, hispanice Pilar. Adhuc infantula, die 6 Iulii a. 1886 sacramento Confirmationis est roborata. Parentes optimam Servae Dei institutionem impertiendam curarunt. Pia, docilis, in studiis ipsa valde profecit. Cum ageret decimum aetatis annum, Collegium *Verde Crucis* Ordinis B. Mariae Virg. de Mercede loci *Berriz* ingressa, pietati et sui abnegationi impensius in dies se dedit. Paulo vero post, votum protulit castitatis religiosaeque vocationis haud dubia suppeditare coepit indicia. In domum autem paternam a matre revocata, oblatis nuptiis praefracte reiectis, in fovenda vocatione strenue perseveravit. Die tandem 25 Iulii a. 1903 Ordinem B. Mariae Virginis de Mercede in vetere suo Collegio Verae Crucis ingredi valuit ac, die 10 Augusti eiusdem anni, religiosum induit habitum, assumpto religioso nomine Sororis Margaritae Mariae. Periodo probationis laudabiliter transacta, die 10 Augusti anno 1904 prima nuncupavit vota atque die 28 Augusti a. 1907 sollemnibus votis Caelesti Sponso tandem est obligata.

Usque ad annum 1927 Serva Dei Magistrae, Inspectricis ac Studiorum Praepositae munera tam laudabili sedulitate obivit, ut, ea moderante, Collegium Verae Crucis mirum in modum floruerit.

Religiosis virtutibus praeclara, Famula Dei peculiares exhibuit notas

caritatis erga miseros derelictos summique studii Fidei propagandae. Epistolare commercium assidue fovit cum leprosis in nosocomiis locorum *Guliòn* et *Fontilles* degentibus, quos omni industria iuvare sategit. Apostolico insuper zelo impulsa, consodalium et alumnarum animos Missionum amore ita inflammavit, ut Collegium Verae Crucis centrum missionale magni momenti sit factum. Nec Serva Dei quievit donec, probantibus Superioribus, consodales Missionem *Wuhu* in Sinis anno 1926 acceperunt. Ipsa, quadragesimum iam aetatis annum agens, Missionis Antistita est electa. Infirma licet valetudine uteretur, sex et viginti post annos peractae clausurae, missionali vita suscepta, arduis diuturnisque itineribus terrarum orbem peragravit.

Indefessis Servae Dei laboribus tribuendae sunt non modo Missiones *Wuhu* et *Saipan* in Sinis, *Tokiensis* in Iaponia, *Ponapeensis* in Insulis Carolinis aliaeque, sed eius opera vetus etiam Collegium Verae Crucis, probantibus Superioribus et unanimi consodalium consensu, conversum est in novum Institutum Missionalium Mercedariarum, quod anno 1930 ab Apostolica Sede approbatum est. Serva Dei, generalis Antistita novi Instituti die 30 Iulii anni 1931 renunciata, eius gubernacula magna cum laude prudentiae, caritatis animarumque zelo tenuit.

Gravibus licet morbis indesinenter tentata, Famula Dei sui muneris officiis corporisque afflictationibus mirabili constantia vacare perrexit ad piissimum usque obitum, qui contigit die 23 Iulii anno 1934.

Percrebrescens autem in dies sanctimoniae eius fama, qua vivens quoque bonestata fuerat, caelestibus signis visa est confirmari. Quamobrem de Beatorum caelitum honoribus eidem decernendis causa agi coepta est. Instructi itaque sunt ordinarii, qui dicuntur, processus in Curia Victoriensi a die 30 Iulii a. 1943 ad diem 3 Iunii a. 1950, necnon rogatorialis processiculus in Matritensi Curia a die 11 ad diem 23 mensis Martii anni 1950 ; qui absoluti ad S. Rituum Congregationem delati sunt. Interim quamplurimae litterae sacrorum Antistitum ac virorum tam ecclesiastica quam civili dignitate insignium ad Summum Pontificem pervenerunt, sanctitatis famam Servae Dei extollentes causaeque beatificationis introductionem enixe postulantes.

Servatis itaque omnibus de iure servandis, Sacra Rituum Congregatio, scriptis Servae Dei rite perpensis, Decreto diei 4 Maii a. 1954, approbante Pio Papa XII fel. rec, ad ulteriora procedi posse edixit. Quapropter, instante R. P. D. Xaverio Paventi, causae huius persedulo Postulatore legitime constituto, Emus ac Revmus Dominus Clemens Cardinalis Micara, Episcopus Velitern. et causae Ponens seu Relator, in ordinario S. Rituum Congregationis coetu die 24 Octobris anni 1961 celebrato, dubium proposuit disceptandum : *An signanda sit commissio introductionis causae in casu et ad effectum de quo agitur.*

Et Emi ac Revmi Patres, sacris ritibus tuendis praepositi, post relationem ipsius Cardinalis Ponentis, auditis quoque Officialium Praelatorum, praesertim R. P. Ferdinandi Antonelli O. F. **M.,** Fidei Promotoris Generalis, suffragiis, omnibus diligenter perpensis, rescribere censuerunt : *Affirmative,* seu *signandam esse commissionem, si Sanctissimo placuerit.*

Facta insequenti die de praemissis omnibus Sanctissimo Domino nostro Ioanni Papae XXIII per supradictum Promotorem Fidei Generalem relatione, Sanctitas Sua rescriptum Sacrae Rituum Congregationis ratum habuit et confirmavit atque *commissionem introductionis causae Servae Dei Margaritae Mariae López de Maturana* manu propria signare benigne dignata est.

Datum Romae, die 25 Octobris a. D. 1961.

.Si C. Card. **CICOGNANI**, Ep. Tusculanus, *Praefectus*

L. £8 S.

Henricus Dante, *a Secretis*

V

BUSCODUCEN.

Beatificationis et canonizationis Servi Dei Fr. Andreae van den Boer, e Congregatione Fratrum B. Mariae Virg. Matris Misericordiae.

SUPER DUBIO

An signanda sit Commissio introductionis causae in casu et ad effectum de quo agitur.

Nulla maior ars quam illa instituendi educandique pueros et adulescentes. Est namque ea, ut S. Gregorius Nazianzenus scribit, « *ars artium, scientia scientiarum* » (Or. II, *Apologetica,* in *P. G.* 35, 425). Chrysostomus quoque ait : « *Quid par illi arti, quae dirigendae animae et efformandae iuvenis menti et indoli incumbit? Qui tali instructus est facultate, plus diligentiae exhibeat oportet, quam quivis pictor aut statuamus* » (Horn. 60 in *Matth.* cap. 18, in *P. G.* 58, 584). Quae autem ars, si ex virtutis exerceatur praecepto, in maximum cum Ecclesiae tum civilis societatis bonum vertitur, et qui eidem institerint, summis laudibus iure merito extollendi sunt.

Eos inter, qui adulescentium menti moribusque fingendis verbo et exemplo operam egregie navarunt, recensendus est Servus Dei Fr. An-

dreas van den Boer, e Congregatione Fratrum B. Mariae Virginis, titulo Matris Misericordiae.

Is natus est die 24 mensis Novembris anno 1841, in pago cui nomen vulgo *Udenhaut* intra Buscoducensis dioecesis fines, in Hollandiae provincia Barbantia, parentibus Petro van den Boer et Maria Bergmans, piis honestisque ruricolis, eodemque nativitatis die sacro est renatus fonte, nominibus impositis Ioanne Maria. A teneris iam annis fuit docilítate pietateque insignis. Publicas scholas in loco vulgo *Helvoirt,* quo pater cum familia lares transtulerat, celebravit. Sextum et decimum agens annum sacro Chrismate est roboratus, eodemque, ut praesumitur, tempore ad sacram Synaxim accessit. Mox autem sese a Deo vocatum persentiens, laeto animo religiosae perfectionis viam aggressus est. Die igitur 14 mensis Octobris anno 1859 in novitiatum Congregationis Fratrum B. Mariae Virginis, Matris Misericordiae, admissus est ubi, accepto Fratris Andreae nomine, anno 1860 in festo Omnium Sanctorum vota nuncupavit religiosa ad triennium, quae dein, die 6 Septembris a. 1863, in perpetuum confirmavit.

Exinde vitam suam impendere ac superimpendere studuit Famulus Dei ad puerorum, praesertim pauperum, institutionem et educationem. Ludimagistri diplomate anno 1861 decora tus, huic muneri totum sese ligatum sensit atque pluribus tradendis disciplinis per plus quam quinquaginta annos naviter et indefesse fuit addictus. Neque his contentus, multos edidit libros, quibus pueros ad pietatem adduceret atque institutoribus quoque doctrinae et educationis auxilium praeberet.

Exsultans ut gigas ad currendam viam suam (cfr. *Ps.* 18, 6), virtutum christianarum et religiosarum insigne praebuit exemplum, ita ut apud plurimos nomen <(*sancti Fratris* » obtinuerit. Laborem numquam recusavit atque ad senectutem usque, licet infirmus doloribusque oppressus, suis muniis, inter quae et Moderatoris alumnorum Seminarii suae Congregationis, perfunctus est. Anno 1912 a Gubernio Batavico magister publice sollemniterque renuntiatus est.

Gravi tandem morbo per quatuor annos vexatus, die 3 mensis Augusti anni 1917, extremis Ecclesiae Sacramentis pie receptis, in Conventu S. Cordis Tilburgi quieto fine obdormivit in Domino.

Cum Dei Famulus eum vitae cursum tenuerit, ut a recto fine non solum unquam deflecteret, verum etiam propositi tenax ad sanctitatem virili ànimo contenderet, sanctimoniae fama in vita gavisus est. Quae fama post eiusdem mortem nedum decreverit, in dies increbuit, accedentibus quoque caelestibus signis, quae eius apud Deum intercessione patrata asseruntur.

Quapropter de Beatorum caelitum honoribus eidem decernendis causa

agi coepta est. Instructi itaque sunt ordinarii, quos dicunt, processus in ecclesiastica Curia Buscoducensi a die 1 mensis Augusti anni 1947 ad diem usque 11 mensis Decembris anni 1948 ; qui absoluti ad Sacram Rituum Congregationem delati fuerunt. Interim quamplurimae litterae sacrorum Antistitum, Ordinum ac Congregationum religiosorum religiosarumque Moderatorum, ac virorum tam ecclesiastica quam civili auctoritate insignium, ad Romanum Pontificem pervenerunt, Famuli Dei sanctitatem extollentes causaeque beatificationis introductionem enixe postulantes.

Servatis igitur omnibus de iure servandis, Sacra Rituum Congregatio, scriptis eiusdem Servi Dei rite perpensis, nihil obstare Decreto diei 25 Februarii a. 1959 edixit, quominus ad ulteriora procedi posset.

Idcirco, instante R. P. D. Iosepho Damen, Pontificii Batavorum de Urbe Collegii Moderatore atque causae huius persedulo Postulatore legitime constituto, Emus ac Revmus Dominus Eugenius Cardinalis Tisserant, Episcopus Ostien. et Portuen. ac Sanctae Rufinae, eiusdem causae Ponens seu Relator, in ordinario Sacrae Rituum Congregationis coetu die 19 mensis Decembris anni 1961 ad Vaticanas aedes celebrato, sequens ad discutiendum proposuit dubium : *An signanda sit commissio introductionis causae in casu et ad effectum de quo agitur.* Et Emi ac Revmi Patres, sacris ritibus tuendis praepositi, post ipsius Cardinalis Ponentis relationem, auditis quoque Officialibus Praelatis, praesertim R. P. Ferdinando Antonelli O. F. M., sanctae Fidei Promotore Generali, omnibus mature perpensis, rescribere censuerunt : *Affirmative,* seu *signandam esse commissionem, si Sanctissimo placuerit.*

Facta demum die 27 mensis Ianuarii anni huius de his omnibus Sanctissimo Domino nostro Ioanni Papae XXIII per supra dictum Fidei Promotorem Generalem fideli relatione, eadem Sanctitas Sua rescriptum Sacrae Rituum Congregationis ratum habuit et confirmavit, atque *commissionem introductionis causae Servi Dei Fratris Andreae van den Boer, e Congregatione Fratrum B. M. V. Matris Misericordiae,* propria manu signare benigne dignata est.

Datum Romae, die 27 Ianuarii a. D. 1962.

© C. Card. **CICOGNANI**, Ep. Tusculanus, *Praefectus*

L. i£ S.

Henricus Dante, *a Secretis*

DIARIUM ROMANAE CURIAE

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Brevi Apostolici il Santo Padre Paolo VI, felicemente regnante, si è degnato di nominare:

Assistenti al Soglio Pontificio :

2 dicembre 1963. S. E. Revma Monsig. Massé Carlo, Vescovo tit. di Fena e Vicario Generale di Luçon.
12 gennaio 1964. S. E. Revma Monsig. Buddy Carlo Francesco, Vescovo di San Diego.
16 marzo » S. E. Revma Monsig. Behring Giorgio J., Vescovo di Toledo in America.
16 maggio » S. E. Revma Monsig. O'Shea Giovanni, Vescovo di Kan chow.

Protonolari Apostolici ad instar participantium:

3 febbraio 1964. Monsig. Foley Giovanni (Saint Paul, *Minnesota).*
» » » Monsig. Gilligan Francesco (Saint Paul, *Minnesota).*
» » » Monsig. Gormley Donaldo (Saint Paul, *Minnesota).*
» » » Monsig. Keefe Giorgio (Saint Paul, *Minnesota).*
9 marzo » Monsig. McCarthy Giovanni F. (New York).
3 aprile » Monsig. Weiskopf Michele (Innsbruck-Feldkirch).
29 » » Monsig. Guarnacci Raffaele (Velletri).

ONORIFICENZE

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Giovanni XXIII, di venerata memoria, si degnò di conferire :

La Commenda con Placca dell'Ordine di san Silvestro Papa:

5 aprile 1963. Al sig. Burriel y Rodríguez Germano *(Spagna).*

La Placca dell'Ordine di san Silvestro Papa:

27 aprile 1963. Al sig. Gorthon Bo F. (Stockholm).

La Commenda dell'Ordine di san Silvestro Papa :

15 dicembre 1962. Al sig. Cuadra Pasos Carlo (Granada in Nicaragua).
2 febbraio 1963. Al sig. Mejía Herrera Giacomo (Medellin).
24 » » Al sig. De Azevedo Ribeiro Jair (Säo Paulo).
» » » Al sig. Lynch Bressan Giovanni Alberto (Säo Paulo).
16 aprile » Al sig. Paschak Wolodymyr (Winnipeg degli Ucraini).
20 » » Al sig. Alonzo Alberto (Gerusalemme).

10	maggio	3963.	Al sig. Bracci Gino (Penne-Pescara).
»	»		Al sig. Severini Raffaele (Penne-Pescara).
			Al sig. Speranzini Francesco (Penne-Pescara).
»		»	Al sig. Campiteli! Giuseppe Matteo (Trieste e Capodistria).
»			Al sig. Gardo Gaetano (Trieste e Capodistria).
17		»	Al sig. De Feo Tommaso (Bari).
		»	Al sig. Ventura Andrea (Bari).
	»		Al sig. Brudaglio Vincenzo (Trani e Barletta).
»	»	»	Al sig- Gusmai Andrea (Trani e Barletta).
	»		Al sig. Tandoi Filippo (Trani e Barletta).
	»		Al sig. Jocchi Oreste (Valva e Sulmona).
31			Al sig. Rosso Giovanni Battista (Caserta).

// Cavalierato dell'Ordine di san Silvestro Papa:

21	novembre	19G2.	Al sig. Graf Rodolfo (Sankt Pölten).
»	»	»	Al sig. Rücker Federico (Salzburg).
8	dicembre		Al sig. Hauser Paolo (Sankt Pölten).
29	»	»	Al sig. Martins de Araújo Luigi (Jàboticabal).
2	febbraio	1963.	Al sig. Salgado Giuseppe Enrico (Goiâs).
9	marzo		Al sig. De Freitas Costa Guiomar (überlandia).
17	»	»	Al sig. Camargo Barbosa Ercilio (Santos).
»			Al sig. Weijers Teodoro Giovanni fs-Hertogenboscli).
23		»	Al sig. Cuyten Bernardo Enrico (Roermond).
»	»		Al sig. Oosterbaan Ijsbrand Nicola (Roermond).
»	»	»	Al sig. Eeinards Leone M. G. TJ. (Röermond).
		»	Al sig. Muiteman Urso Giuseppe (Utrecht).
	»	»	Al sig. Sadée Luigi Carlo A. M. U. (Utrecht).
30	»	»	Al sig. Groossens Giacomo Maria G. A. ('s-Hertogenbosch) .
»			Al sig. Hoogers Francesco Giovanni G. ('s-Hertogenbosch).
	»		Al sig. Van Stokkum Enrico Goffredo ('s-Hertogenbosch).
27	aprile	»	Al sig. Hansen Giovanni (Köbenhavn).
»	»		Al sig. Cools Adriano L. G. ('s-Hërtogenbosch).
1	maggio	»	Al sig. Frassinelli Mario (Sion).
»	»		Al sig. Minelli Francesco (Torino).
10		»	Al sig. Stockmann Enrico G. A .M. (Haarlem).
»	»		Al sig. Benini Francesco (Penné-Pescara).
	»	»	Al sig. Giacintucci Rocco (Penne-Pescara).
	»		Al sig. Koks Giacomo P. A. (Rotterdam).
17	»		Al sig. Colangelo Luigi (Bisceglie).
»			Al sig. Bobba Felice (Casale Monferrato).
		»	Al sig. C urei Amedeo (Trani e Barletta).
»	»	»	Al sig. Rizzi Angelo Raffaele (Trani e Barletta).
25			Al sig. Valdini Enrico (Firenze).
»	»	»	Al sig. van Eouwen Wouterq Cornelio (Utrecht).
31	»	»	Al sig. Catello Corrado (Napoli).
	»		Al sig. Tieland Enrico E. L. ('s-Hertogenbosch).

An. et vol. LVI 31 Iulii 1964 (Ser. IH, v. VI) - N. 9

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico — Città del Vaticano — *Administratio:* Librería Editrice Vaticana

ACTA PAULI PP. VI

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

INDORENSIS — JABALPURENSIS AIMERENSIS-JAIPURENSIS (BHOPALENSIS)

Ex Ecclesiis Indorensi, Jabalpurensi, Aimerensi-Jaipurensi quaedam territoria detrahuntur, quibus nova Sedes metropolitana conditur, « Bhopalensis » cognominanda.

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Qui divino consilio et voluntate omnem in Ecclesiam potestatem atque auctoritatem habuimus, et eam quidem « in aedificationem » corporis Christi (cf. *II Cor.*, 10, 8), non modo id summo opere curamus ut fideles omnes, quotquot in orbe terrarum suo sinu Ecclesia complectitur, sincera Christi doctrina, cuius custodes facti sumus, nutriamus aeternarumque veritatum splendore collustremus, sed etiam externam eiusdem Ecclesiae compagem commutare non dubitamus, quoties, rebus im-

mutatis, et fidelibus utilitates optatae exoriri, et maiores christianarum virtutum fructus percipi provideantur. Quam ob. rem, cum venerabilis Frater Iacobus Robertus Knox, Archiepiscopus titulo Melitenaeus et in India Apostolicus Internuntius, sententia ante audita venerabilium Fratrum Episcoporum loci Ordinariorum, id proposuerit ut nova Sedes metropolitana in Statu, quem dicunt, Madhya Pradesh, constitueretur, Nos, re bene considerata, haec quae sequuntur decernimus atque iubemus. A dioecesibus Indorensi, Jabalpurensi et Aimerensi-Jaipurensi territoria seu Districtus civiles distrahimus de Hoshangabad, de Sehore, de Raisen, de Sagar, et de Vidisha ; quibus terris novam archidioecesim metropolitanam condimus, *Bhopalensem* appellandam, cuius sane caput urbs Bhopal erit, in qua sacer Praesul domicilium et cathedram collocabit, in templo scilicet civitatis principe. Huic autem metropolitanae Sedi dioeceses Indorensem, labalpurensem et Raigarhensem-Ambikapurensem suffraganeas constituimus, quarum Antistites sacro Praesuli Bhopalensi obnoxii erunt. Scilicet has dioeceses a iuris dictione sui cuiusque Ordinarii eximimus : Indorensem nempe, ab Agraensis, ceteras ab Nagpurensis. Ad mensam novae Ecclesiae quod attinet, ad Seminarium, ad Canonicorum Collegium, ad regimen et administrationem atque similia, praescripta Iuris Canonici observentur. Documenta vero et acta, quae ad conditam archidioecesim quoquo modo respiciant, ad eius Curiam archiepiscopalem mittantur, ibique religiosa cura custodiantur. Ceterum, haec omnia quae iussimus venerabilis Frater Iacobus Robertus Knox ad exitum adducet, vel quem ille delegaverit, factis ad hoc necessariis facultatibus. Re vero acta, documenta exarentur, quorum sincera exempla ad Sacram Congregationem Fidei Propagandae cito mittantur. Quod si eo tempore alius Internuntiaturae in India praesit, hic mandata Nostra faciet.

Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat ; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica digni-

tate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur.

Datum Romae, apud S. Petrum, die tertio decimo mensis Septembris, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo tertio, Pontificatus Nostri primo.

IACOBUS A. Card. COPELLO
S. R. E. Cancellarius

GREGORIUS P. Card. AGAGIANIAN
S. Congr. de Prop. Fide Praefectus

Francisus Tinello
Apostolicam Cancellariam Regens

Caesar Federici, *Proton. Apost.*

ioannes Calieri, *Proton. Apost.*

Loco ffi Plumbi

In Ap. Cane, tab., vol. CXIV, n. 1.

II

ABIDJANENSIS ET ALIARUM
(ABENGURUENSIS)

Ex quibusdam detractis territoriis ab archidioecesi Abidjanensi et a dioecesibus Katiolaënsi et Buakensi nova conditur dioecesis, « Abenguruensis » nomine.

PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Sacrum Consilium christiano nomini propagando cum expertum esset in Republica Africae Occidentalis, quam Côte d'Ivoire appellant, et numero nativum clerum praestantem esse et virtute, optimum censuit, atque ad catholicae rei incrementum peropportunum si nova ibi locorum conderetur dioecesis, quae iisdem sacerdotibus gubernanda committeretur. Audita ideo sententia sive venerabilis Fratris Ioannis Baptistae Maury, Archiepiscopi titulo Laodicensis in Phrygia atque Apostolici

in Africa Occidentali Delegati, sive sacrorum Praesulum ad quos negotium pertineret, proposuit idem Consilium ut, ad optatam cathedralem Sedem constituendam, certa quaedam territoria ex archidioecesi Abidjanensi atque dioecesibus Katiolaënsi et Buakensi distraherentur. Quod Sacrae Congregationis propositum cum Nobis hodie relatum commendatumque esset, de apostolica Nostra potestate ea quae sequuntur decernimus. Ab archidioecesi Abidjanensi subpraefecturas civiles vulgo cognominatas Abengourou, Agnibilekrou et Adzopé detrahimus; a dioecesi Katiolaënsi, subpraefecturas civiles Bini-Madam, Bondoukou, Bouna, Nassian, Tanda et Tehini ; a dioecesi denique Buakensi, subpraefecturas civiles Bongouanou et Arrah, atque ex iis novam dioecesim condimus, *Abenguruensem* appellandam. Conditam cathedralem Sedem curis committimus e nativo clero sacerdotum, quos paterne hortamur ut vires impendant suas ad evangelicam disciplinam nescientibus nuntiandam, scientibus confirmandam. Decernimus praeterea ut eadem dioecesis, quae Sacrae Congregationi de Propaganda Fide perget esse obnoxia, suffraganea sit metropolitanae Sedi Abidjanensi; item eius Episcopus Archiepiscopi Abidjanensis metropolitanae iurisdictioni subdatur. Qui praeterea sedem suam in urbe vulgo Abengourou appellata ponet ; episcopalis vero magisterii cathedram in templo Deo dicato in honorem Sanctae Teresiae a Iesu Infante, quod ad cathedralis sacrae aedis dignitatem attollimus. Consultores tandem dioecesanos deligat ad normam iuris, quoadusque scilicet Canonicorum collegium ibidem condatur. Haec quae iussimus ad effectum perducenda curabit venerabilis Frater Ioannes Baptista Maury, quem diximus, vel per se ipse vel per alium virum, qui sit ecclesiastica dignitate indutus. Qui autem negotium perfecerit documenta de more exaranda studebit, quamque primum ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide mittet.

Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat ; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica digni-

tate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur.

Datum Eomae, apud S. Petrum, die tertiodecimo mensis Septembris, anno Domini. millesimo nongentesimo sexagesimo tertio, Pontificatus Nostri primo.

IACOBUS A. Card. COPELLO
8. R. E. Cancellarius

GREGORIUS P. Card. AGAGIANIAN
8. Congr. de Prop. Fide Praefectus

Franciscus Tinello
Apostolicam Cancellariam Regens

Franciscus Hannibal Ferretti, *Proton. Apost.*
Caesar Federici, *Proton. Apost.*

Loco £8 Plumbi

In Ap. Cane, tab., vol. CXIII, n. 77.

III

SHIKOKUENSIS
(TAKAMATSUENSIS)

Praefectura apostolica Shikokuensis ad gradum extollitur dioecesis, nomine indicto « Takamatsuensis ».

PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Catholicae Ecclesiae fines latius in dies, Evangelii praeconum opera, proferri ad Christique ovile quam plurimos adduci ex cunctis gentibus homines aequa sane est ratio cur gaudio afficiamur maximo. Quod cum praesertim fieri intra fines praefecturae apostolicae Shikokuensis, in Iaponia, certiores facti simus, visum est Nobis eandem praefecturam esse ad dioecesis gradum et dignitatem provehendam : quae res non tantum effecti ibi locorum operis insigne documentum, verum etiam est ad multiplicandos christianae religionis prolatandae labores incitatio. Libentissime propterea accipientes quod Sacra Congregatio de Propaganda Fide, audita nempe sententia venerabilis Fratris Marii Cagna, Archiepiscopi titulo Heraclensis in Europa atque Apostolici in Iaponia Inter-

nuntii, statuit, praefecturam Shikokuensem, quam nominavimus, in dioecesis formam redigimus, *Takamatsuensis* appellandam Quae scilicet omnibus fruetur iuribus ex lege canonica ei competentibus. Item eius Episcopus, qui praeterea, una cum sua Ecclesia, metropolitanae iurisdictioni Archiepiscopi Tokyensis obnoxius erit. Sacer praeterea novae dioecesis Praesul sedem suam ponet in urbe quam vulgus Takamatsu appellat, episcopalis vero magisterii cathedram in templo ibidem exstante, Deo sacro in honorem B. M. V. in Caelum receptae. Censemus insuper ut, pro Canonicorum collegio per alias sub plumbo Litteras condendo, consultores dioecesanos ad normam iuris ad tempus ille deligat, qui nempe a munere suo cessabunt Canonicis constitutis. Haec quae decrevimus venerabilis Prater Marius Cagna, quem diximus, ad exitum adducenda curabit, sive per se sive per alium in ecclesiastica dignitate constitutum virum. Qui vero rem perfecerit documenta de more exarabit, quam primum ad Sacrum Fidei Christianae Propagandae Consilium mittenda.

Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus ; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efticacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat ; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur.

Datum Romae, apud S. Petrum, die tertiodecimo mensis Septembris, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo tertio, Pontificatus Nostri primo.

IACOBUS A. Card. COPELLO
S. B. E. Cancellarius

GREGORIUS P. Card. AGAGIANIAN
S. Congr. de Prop. Fide Praefectus

Franciscus Tinello
Apostolicam Cancellariam Begens

Franciscus Hannibal Ferretti, *Proton. Apost.*
Caesar Federici, *Proton. Apost.*

Loco £8 Plumbi

In Ap. Cane, tab., vol. CXIII, n. 68.

IV

AITAPENSIS
(VANIMOËNSIS)

Quibusdam distractis territoriis a vicariatu apostolico Aitapensi, in Nova Guinàea, praefectura apostolica conditur nomine « Vanimoënsis ».

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Omnium Ecclesiarum, ut Nostrum poscit officium, perquam solliciti earundemque cupientes maiores in dies progressiones, laeto animo accepimus quotidie diffundi in Aitapensi apostolico vicariatu christianam doctrinam laetissimisque fructibus latius redundare. Cumque vero, **quo** et amplius id fieri posset, aestimavisset Sacra Congregatio de Propaganda Fide optimum esse si aptius ibi locorum disponeretur territorium novaque conderetur ecclesiastica circumscriptio, visum est id probare quod eadem Congregatio, post auditum venerabilem Fratrem Dominicum Enrici, Archiepiscopum titulo Ancusensem et in Australia, Nova Zelandia atque Oceania Apostolicum Delegatum, ea de re statuit. De suprema ideo et apostolica Nostra potestate, **qua** catholicae praesidemus Ecclesiae, integram vicariatus apostolici Aitapensis occidentalem partem distrahimus atque ex ea praefecturam apostolicam constituimus, *Vanimoënsem* appellandam, cuius hi erunt fines : ad septentrionalem partem, Oceanus Pacificus; ad occidentem solem, Irian occidentalis; ad meridiem, praefectura apostolica Daruensis; ad orientem denique solem, seu inter novam praefecturam apostolicam et vicariatum apostolicum Aitapensem, linea meridiani circuli 145.45. Conditam circumscriptionem curis concredimus Patrum Congregationis Clericorum Excalceatorum Ssmae Crucis et Passionis Domini Nostri Iesu Christi, ad nostrum tamen et Apostolicae Sedis nutum, quos paterne hortamur ut nulli labori desint ad christianorum fidem firmandam ad eamque inter ethnicos magis magisque proferendam. Censemus praeterea ut haec quae iussimus ad exitum adducat venerabilis Frater Dominicus Enrici, quem diximus, vel per se vel per alium delegatum virum, dummodo in ecclesiastica dignitate constitutum. Qui vero negotium perfecerit, de more documenta exarari curet, ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide quam primum mittenda.

Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur.

Datum Romae, apud S. Petrum, die tertiodecimo mensis Septembris, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo tertio, Pontificatus Nostri primo.

IACOBUS A. Card. COPELLO
/S. R. E. Cancellarius

GREGORIUS P. Card. AGAGIANIAN
S. Congr. de Prop. Fide Praefectus

Franciscus Tinello
Apostolicam Cancellariam Regens

Franciscus Hannibal Ferretti, *Proton. Apost.*
Caesar Federici, *Proton. Apost.*

Loco © Plumbi

In Ap. Cane, tab., vol. CXIII, n. 71.

V

SOBRALENSIS - IGUATUVINAE
(CRATEOPOLITANAE)

Ex quibusdam territoriis dioecesium Sobralensis et Iguatuvinae nova fit dioecesis, nomine « Crateopolitana ».

PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Pro apostolico, quo tamquam Petri successores fungimur, universae Ecclesiae regendae munere omniumque christifidelium summa cura iuvandorum, preces accipiendas esse putavimus venerabilis Fratris Ar-

mandi Lombardi, Archiepiscopi titulo Caesariensis Philippi et in Brasilia Apostolici Nuntii, qui, post sententiam rogatos venerabiles Fratres Ioannem Iosephum da Mota y Albuquerque, Episcopum Sobralensem, et Iosephum Maurum Ramalho de Alarcón Santiago, Episcopum Iguatuvinum, ab Apostolica Sede petiit ut ex quibusdam territoriis dioecesium Sobralensis et Iguatuvinae nova constitueretur sedes cathedralis. De sententia ideo venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, qui Sacrae Congregationi Consistoriali praesunt, deque suprema potestate Nostra sequentia decernimus. A dioecesi Sobralensi integra territoria separamus municipiorum, prout in praesens lege civili circumscribuntur, quae vulgo nuncupantur Crateús, Independencia, Ipueiras, Monsènhor Tabosa, Nova Russas, Novo Oriente, Poranga, Tamboril; a dioecesi autem Iguatuvina municipia separamus, item prout lege civili terminantur, vulgo nuncupata Cococí, Parambú et Tauá, ex omnibusque novam condimus dioecesim, *Grateopolitanam* appellandam iisdemque icingendam finibus ac municipia e quibus fit. Episcopalem novae dioecesis sedem in urbe vulgo Crateús ponendam statuimus, episcopalis vero magisterii cathedram in curiali templo ibidem exstante Domino de Bonfim dicato, quod ad gradum cathedralis evehimus. Sive sacrae aedi cathedrali sive Crateopolitano Episcopo congrua iura damus, impositis praeterea sacrorum Antistiti obligationibus, quas inter hae praecipuae erunt : Canonicorum collegium constituendi ; donec tamen id fieri possit, consultores dioecesanos ad normam iuris eligendi ; minus saltem Seminarium, graviter quidem eius onerata conscientia, struendi ad normam iuris communis adque peculiares leges Sacrae Congregationis de Seminariis et Studiorum Universitatibus, cuius Seminarii sive ingenio sive animi dotibus praestantes alumnos Romam mittendi, in Pontificium Collegium Pianum Brasilianum, philosophicis theologicisque disciplinis imbuendos. Iubemus insuper ut dioecesis Crateopolitana suffraganea sit metropolitanae Sedi Fortalexiensi, eiusque Episcopus Metropolitae eiusdem archidioecesis obnoxius ; ut mensa episcopalis, quae dicitur, fiat ex Curiae emolumentis, fidelium collationibus, bonisque ei obvenientibus ex praescripto canonis 1500 Codicis Iuris Canonici; ut simul ac hae Litterae Nostrae ad effectum deductae fuerint, ei Ecclesiae sacerdotes addicantur in cuius territorio vel beneficium vel officium habeant, ceteri vero clerici Seminariique tirones ei, in qua legitimum habeant domicilium; ut denique acta et documenta, conditam dioecesim respicientia, a Curiis Sobralensi et Iguatuvina ad Crateopolitanam mittantur, in tabulario religiose custodienda. Haec omnia quae statuimus

venerabilis Frater Armandus Lombardi, quem diximus, exsequenda studebit, vel ab eo delegatus sacerdos. Qui vero rem perfecerit documenta de more exarabit atque ad Sacram Congregationem Consistorialem quam primum mittet.

Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur.

Datum Eomae, apud S. Petrum, die duodetricesimo mensis Septembris, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo tertio, Pontificatus Nostri primo.

IACOBUS A. Card. COPELLO
S. R. E. Cancellarius

CAROLUS Card. CONFALONIERI
S. Congr. Consistorialis a Secretis

Franciscus Tinello
Apostolicam Cancellariam Regens

Franciscus H. Ferretti, *Proton. Apost.*
Ioannes Calieri, *Proton. Apost.*

Loco £B Plumbi

In Ap. Cane. tab.. vol. CXIII, n. 100.

LITTERAE APOSTOLICAE

I

Beata Maria Virgo, a Septem Doloribus appellata, totius regionis Ciminiae principalis Patrona renuntiatur.

PAULUS PP. VI

Ad perpetuam rei memoriam. — Quae regio monte silva ac lacu distinguitur, Ciminia commune quoddam marialis religionis domicilium habet constitutum sacris illis iurisdictionibus quae circa sunt. Tale autem exsistit pervetustum coenobium Sancti Martini, ubi multos iam annos consuetudo Virginem eiusque dolores sollemnissimo ritu celebrandi viget. Quodsi potissimum mense Septembri, quo die Ecclesia universa hasce Deiparae aerumnas, hominibus admodum salutares, debito recolit honore, pietatis signa ex multitudinis conventu et alacritate haud dubia deprehenderis, attamen illud Nobis est laudandum, quod totius fere anni cursu sacrae fiunt peregrinationes, quas plurimi fideles participant, atque nobilis huius certaminis victrices inveniuntur, fide caritateque compulsae, humiles Ciminiorum saltuum operae. Sunt enim lignicidae et saltuarii primi Matris Dolorosae cultores, qui mane ac vesperi, quotidianum durissimumque laborem endituri vel ex eo redeuntes, ave Ei dicere Eamque ardenter deprecari imaginemque floribus exornare non neglegunt. Siquidem anno MCMXXXVIII effigies illa fuit aureo diademate redimita, praetereaque, post alterum bellum, inter nationes exortum, perelegans aedicula in summo ipso monte est excitata, gratae voluntatis causa erga caelestem Matrem, quae filios a bellicis calamitatibus servarat incolumes. Atque nunc, memores certe munerum ac beneficiorum, eius praesens ac validum patrocinium sibi suisque rebus expetunt. Quamobrem, quinto et vicesimo exeunte anno postquam praedicta imago est coronata, Venerabiles Fratres Adalgisus Albanesi, Archiepiscopus-Episcopus Viterbiensis et Tuscanensis idemque Abbas ((nullius » S. Martini ad Montem Ciminum, Robertus Massimiliani, Episcopus Civitatis Castellanae, Hortanus et Gallesinus, Iosephus Gori, Episcopus Nepesinus et Sutrinus, suorum quisque nomine fidelium,^quos pastorali regunt ministerio, id votum ad Nostram Sedem attulerunt. Nos autem fore confisi, ut, patrocinio decreto, uberiores gratiae fructus

in illam regionem dimanent christianique mores ibidem floreant felicissime, has preces libenter statuimus admittere. Itaque, ex Sacrae Rituum Congregationis consulto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum, Beatissimam Virginem Mariam, a Septem Doloribus appellatam, principalem totius regionis, quae Ciminiis Montibus continetur, caelestem *Patronam* constituimus ac declaramus, omnibus adiectis iuribus ac privilegiis liturgicis, quae praecipuis locorum Patronis rite competunt. Contrariis quibusvis nihil obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque, ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari ; sicque rite iudicandum esse ac definiendum ; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXIV mensis Septembris, anno MCMLXIII, Pontificatus Nostri primo.

ffi HAMLETUS I. Card. CICOGNANI
a publicis Ecclesiae negotiis

II

Beata Maria Virgo, quae ut « Salus infirmorum » invocatur, principalis caelestis Patrona totius dioecesis Facatativensis eligitur.

PAULUS PP. VI

Ad perpetuam rei memoriam. — Opifera Mater aerumnosorum, Beata Maria Virgo, piis obsequiis colitur in templo, Ordini Fratrum Eremitarum Sancti Augustini credito ad pagum, qui, vulgo « Bojacà)) appellatus, finibus dioecesis Facatativensis continetur. Est enim ibi proposita sacra imago eiusdem Deiparae, Filium suum de Cruce depositum genibus sustinentis, cui adiecta appellatio « Salus infirmorum ». Re quidem vera Dei Genetrix miserentissima, a supplicibus exorata, qui non solum e vicinia sed etiam e totius Columbianae Reipublicae regionibus eo peregrinationis causa perfrequentes accedunt, munerum suorum copiam aegris alioque modo afflictis impertit. Cupiens vero, ut dioecesis ista recens constituta Beatae Mariae Virginis, nomine illo insignis, praesi-

dio obtegeretur atque adeo res catholica ea in regione felicibus augeretur incrementis, Venerabilis Frater Radulfus Zambrano Camader, Facatativensis Episcopus, prolatis simul votis cleri gregisque suis curis commissi, huiusmodi patrocinii concessionem a Nobis efflagitavit. Quibus precibus libenter admissis, Nos, e Sacrae Rituum Congregationis consulto, omnibus attente perpensis, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum Beatam Mariam Virginem, quae ut ((Salus infirmorum » invocatur, principalem totius dioecesis Facatativensis caelestem *Patronam* constituimus ac declaramus, omnibus adiectis honoribus ac privilegiis liturgicis, quae praecipuis locorum Patronis rite competunt. Contrariis quibusvis non obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere ; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere ; illisque, ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum ; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die **XXVII** mensis Novembris, anno **MCMLXIII**, Pontificatus Nostri primo.

œ **HAMLETUS** I. Card. **CICOGNANI**
a publicis Ecclesiae negotiis

III

Titulus ac privilegia Basilicae Minoris conferuntur ecclesiae abbatiali Beatae Mariae Virg. in Caelum assumptae sacrae in oppido « Montichiari », dioecesis Brixiensis.

PAULUS PP. VI

Ad perpetuam rei memoriam. — « Montibus in claris semper vivida fides » : quam vera sint haec verba publico insigni oppidi, cui vulgare nomen « Montichiari », adiecta, rerum memoria, sacris monumentis, pia civium alacritate etiamnum vigente affatim comprobatur. Mature enim constituta est ibi religionis catholicae sedes, unde christianitatis lumen in circumiacentem agrum est salubriter diffusum, et ab antiquis temporibus coenobia sodalium ad evangelicam nitentium perfectionem

floruerunt. Imprimis vero dignum est, quod memoretur, templum Sancti Pancratii, in summo colle ante annum millesimum structurae genere basilicarum proprio exstructum. Praeter quod, plures sacras aedes, maxime in rure contermino, per saeculorum aetates excitavit Monticlarensium pietas. Praesertim autem iuvat meminisse eorum inceptu et largitate ecclesiam Sanctae Mariae Novae inito saeculo xv eleganti manu, opere nobili, conditam esse, quod templum Sancti Pancratii a loco aedificiis frequenti longius abesset. Verum cum aucto civium numero ea non putaretur sufficere, anno MDCCXXVIII est captum consilium amplius templum eiusdem Deiparae honori construendi ; cuius auspicalis lapis est anno postero iactus et ad quod erigendum perficiendumque plurimum studii et navitatis ab incolis per saeculum fere fuit impensum. Ex quo tempore stat ad auras, priore aede mariali deleta, prae^ clara haec Dei Genetrici in Caelum assumptae sacra ecclesia, cuius frons, opus egregium Antonii Marchetti, Abbatis, septem magnis signis marmoreis ornatur et cui tholus est audacius impositus ; quod templi culmen, statua Divini Redemptoris in summo decoratum, Petrus Antonius Cetti, vir Brixiensis, scite delineasse cognoscitur. Communi etiam laude probatur interior ecclesiae pars, maxime ob aras variae quidem pulchritudinis, pretiositatis unius. Potissimum quidem admirationem habent altaria augusti Sacramenti, Iesu Christi Cruci affixi, Beatae Mariae Virginis a Rosario, Sacrarum Reliquiarum. Imagines pietas quoque, vetustam crucem Byzantino more effictam aliaque ornamenta non est quin praedicet. His vero temporibus religionis studium, quo Monticlarenses tenentur, iterum exsplenduit, siquidem ad paroeciale hoc templum suum, cui abbatiae dignitas est addita, affabre reiiciendum operam alacres contulerunt. Quibus rebus inductus, dilectus filius Franciscus Rossi, abbas-parochus eiusdem ecclesiae, vota quoque significans oppidi Auctoritatum civilium et Christifidelium, submisse Nos rogavit, ut mariale templum, cuius laudes perstrinximus, Basilicae Minoris nomine ac iure donaremus. Quibus precibus, Venerabilium Fratrum Hyacinthi Tredici, Brixiensis Archiepiscopi-Episcopi, et Iosephi Almici, Episcopi titulo Arcadiensis et Brixiensis eiusdem Praesulis Auxiliaris, commendatione suffultis, libentissimo animo statuimus obsecundare. Itaque, e Sacrae Rituum Congregationis consulto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis, plenitudine, harum Litterarum vi_ perpetuumque in modum Monticlarensem abbatialem ecclesiam, Deo in honorem Beatae Mariae Virginis in Caelum assumptae consecratam et intra fines Brixiensis dioecesis positam, ad

honorem ac dignitatem *Basilicae Minoris* evehimus, omnibus adiectis iuribus ac privilegiis, quae templis eodem nomine insignibus rite competunt. Contrariis quibusvis non obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere ; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere ; illisque, ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari ; sicque rite iudicandum esse ac definiendum ; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die **XIV** mensis Decembris, anno **MCMLXIII**, Pontificatus Nostri primo.

© **HAMLETUS** I. Card. **CICOGNANI**
a publicis Ecclesiae negotiis

IV

Laosiensis regio a Delegatione Apostolica Indosinensi seiungitur ac Delegationi Apostolicae Thailandiae et Paeninsuiae Malacensis adicitur.

PAULUS PP. VI

Ad futuram rei memoriam. — Supremo, quod obimus, ministerio impellimur ad ea cuncta efficienda, quae ad Regni Christi fines latius proferendos conferant ac fidelibus in terris degentibus, quae missionali opere excoluntur, maiori sint usui. Cum igitur regio Laosiensis, quae ad praesens usque tempus Delegationi Apostolicae in Indosinis erat obnoxia, ab hac longius distet, anno vero **MCMLVII** a Pio Pp. XII, Decessore Nostro rec. mem., Thailandensis eiusmodi Delegatio sit constituta, cui etiam Malacensis Paeninsula fuit subiecta, res, ad Laosienses quod attinet, novo iam ordine esse componendas non perperam arbitramur. Itaque e consulto Sacrae Congregationis Nomini Christiano propagando, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi, territoria Laosiensia, quae usque adhuc e Delegatione Apostolica Indosinensi pendebant, ab hac seiungimus ac *Delegationi Thailandiae et Paeninsuiae Malacensis adicimus,* quae deinceps *Apostolica Delegatio Thailandensis, Laosiensis et Paeninsuiae Malacensis* appelletur. Contrariis quibusvis non obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros

effectus sortiri et obtinere ; illisque, ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die x mensis Februarii, anno MCMLXIV, Pontificatus Nostri primo.

© **HAMLETUS** I. Card. **CICOGNINI**
a publicis Ecclesiae negotiis

V

Secretariatus de non Christianis erigitur, cuius Praeses E.mus P. D. Paulus S. R. E. Presbyter Cardinalis Marella renuntiatur.

PAULUS PP. VI

Ad futuram rei memoriam. — Progrediente Concilio Oecumenico Vaticano Secundo, expedire visum est peculiarem Coetum seu Secretariatum institui, cuius esset eos salubriter attingere, qui christianae religionis sunt expertes, scilicet in quos etiam haec verba Domini nostri cadere videntur : « et alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili : et illas oportet me adducere » *(Io.* 10, 16). Hic vero ardor caritatis divinae Ecclesiam, quae opus Christi persequitur, urgeat oportet, his praesertim temporibus, quibus inter homines cuiusvis generis, linguae, religionis multiplices intercedunt rationes. Itaque, motu proprio, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi *peculiarem Coetum seu Secretariatum de non Christianis* erigimus et constituimus, cuius Praesidem Dilectum Filium Nostrum Paulum Sanctae Romanae Ecclesiae Presbyterum Cardinalem Marella, prudentia admodum commendatum et in doctrina religionum peritissimum, eligimus et renuntiamus, tribuentes ei facultates omnes necessarias et opportunas ad id officium fructuose in Domino implendum. Contrariis quibusvis non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die **XIX** mensis Maii, anno **MCMLXIV**, Pontificatus Nostri primo.

Œ **HAMLETUS** I. Card. **CICOGNAXI**
a publicis Ecclesiae negotiis

VI

Delegatio Apostolica in Republica Ruandensi in Nuntiaturam erigitur.

PAULUS PP. VI

Ad perpetuam rei memoriam. — Quantum utilitatis e publicis officiorum rationibus, quae Apostolicae huic Sedi intercedunt cum Civitatibus, soleat exsistere, neminem latet estque usu iam dudum comprobatum. Cum igitur commodum esse visum fuerit Apostolicam Sedem et Rempublicam Ruandensem publicis huiusmodi vinculis inter se coniungi, Nos, loco Delegationis Apostolicae, quae hucusque inibi viguit, motu proprio, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi, in Republica Ruandae *Nuntiaturam Apostolicam* erigimus et constituimus, cuius sedem in urbe Chigalia collocamus. Eidem ergo sic per Nos erectae Nuntiaturae omnia et singula deferimus officia, privilegia atque indulta, quae huiusmodi Legationum sunt propria. Contrariis quibusvis nihil obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; eidemque Legationi sic constitutae nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter contigerit attentari.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, èub anulo Piscatoris, die vi mensis Iunii, anno **MCMLXIV**, Pontificatus Nostri primo.

© **HAMLETUS** I. Card. **CICOGNANI**
a publicis Ecclesiae negotiis

EPISTULAE

I

Ad E.mum P. D. Emmanuelem Sanctae Romanae Ecclesiae Presb. Cardinalem Gonçalves Cerejeira, Patriarcham Lisbonensem, quem Legatum eligit, ut sollemnibus praesideat celebritatibus indictis centesimo exacto anno, ex quo B. Maria Virgo Immaculata excoli coepta est in montis « Sameiro » sacrario.

PAULUS PP. VI

Dilecte Fili Noster, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Lusitania, inclita regio, recentiore aetate singularem in modum materna dilectione Beatae Mariae Virginis visa est frui; siquidem eius cultus permagnis est auctus incrementis eiusque munera supplicibus largiter obvenerunt. Cui rei documento est mons « Sameiro », Augustae Bracarum imminens, in quo post definitum dogma, quo credimus almam Dei Genetricem sine labe esse conceptam, illustris sedes pietatis marianae est constituta, unde ampla spiritualium fructuum copia in Lusitanum populum permanavit. Allicit enim ad se augustum et faberrime exstructum templum agmina Christifidelium, qui ibi opiferam Virginem deprecantur, sacra Ecclesiae participant, gratia divina végétant animos.

Cum autem in eo sit, ut centesimus annus revolvatur, ex quo in sacrario Beata Maria Virgo Immaculata est excoli coepta, sollemnes cele britates sunt indictae, quae proximo mense agentur. Quas inter non parvum momentum obtinebit Conventus, e tota Lusitania cogendus, cui propositum est, ut de argumentis marialibus, maxime vero de munere, quod Ecclesiae in sanctuariis Deiparae Virgini dicatis est proprium, ad doctrinae rationes disseratur.

Nos autem huiusmodi consilia paterno animo probantes iisque sollemnibus plus auctoritatis dignitatisque tribuere cupientes, Te, Dilecte Fili Noster, qui, Romana purpura ornatus, principi sedi Lusitaniae es praepositus, Legatum Nostrum his Litteris eligimus et renuntiamus, ut nomine Nostro praedictae celebrationi praesideas. Neque dubitamus, quin pro pietate erga caelestem Matrem, qua enites, et pro studio animarum, quo commendaris, commissum Tibi honorificum officium coetibus, qui eo convenient, feliciter utiliterque sit cessurum.

Provido sane consilio divino orta sunt in Ecclesia — et ad regionem istam quod attinet, Fatima quoque animo accurrit — sacraria mariana,

unde tot spiritualia percipiuntur emolumenta, hisque temporibus videntur esse maxime accommodata, quibus apud non paucos fides interiit vel saltem languet, caritas friget, ipsa religionis fundamenta labefactantur. Est enim Beata Maria Virgo ((omnium membrorum Christi sanctissima Genetrix, mysticum eius Corpus eadem materna cura impensaque caritate prosecuta, qua in cunabulis puerulum Iesum lactentem refovit atque enutrivit » ;[1] neque fieri potest, ut qui eam deditissima filii voluntate veneretur et observet, non perveniat ad Iesum atque adeo salutem adipiscatur.

Nova igitur alacritate gens Lusitana, quae merito gloriatur se a multo tempore singulari studio Deiparae Virginis Immaculatae teneri, ad hanc Matrem Dei et Matrem nostram se convertat, ita ut sancta religio auctibus provehatur et in privata et publica instituta efficaciter influat.

Hanc spem foventes, Tibi, Dilecte Fili Noster, ultro facultatem facimus, ut statuto die, Sacro pontificali ritu peracto, adstantibus fidelibus nomine Nostro Nostraque auctoritate benedicas, plenariam Indulgentiam iis proponens, ad Ecclesiae praescripta lucrandam. Denique supernae gratiae conciliatrix peculiarisque benevolentiae Nostrae testis sit Apostolica Benedictio, quam Tibi, Bracharensi Archiepiscopo, civilibus Moderatoribus et Magistratibus, clero ac populo universo, horum sollemnium causa congregatis, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die xx mensis Maii, anno **MCMLXIV**, Pontificatus Nostri primo.

PAULUS PP. VI

II

Ad E.mum P. D. Richardum Sanctae Romanae Ecclesiae Presb. Cardinalem Cushing, Archiepiscopum Bostoniensem, quinque exacta lustra ab accepta episcopali consecratione celebraturum.

PAULUS PP. VI

Dilecte Fili Noster, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Dies, qui tibi, Dilecte Fili Noster, semper exspectatus acceptusque anni revelatur circulo, mox animo tuo effusiorem afferet religiosam laetitiam :

[1] **Cfr. Litt. Encycl.** ***Mystici Corporis*** **Pii Pp. XII;** ***A. A. S.*** **v. XXXV, 1943, p. 248.**

quinque enim condentur lustra, postquam episcopali consecratione adauctus es.

Pro benevolentia et egregia existimatione, quibus te prosequimur, tibi episcopatus tui natalem recensenti, et inde di vite vena exortam fidentemque divinorum donorum copiam recolenti, gratulationes proferimus, vota facimus, hortationes admovemus.

Quod, superna auxiliante gratia, perfecisti in gloriam Dei amplificandam, in emolumentum et decus archidioecesis Bostoniensis, in catholici quoque nominis utilitatem, id merito Nostro praeconio laudis carere non sinimus.

Bonus et pervigil sacer pastor, cui praesidere est servire, cui praeeniinere est diligendo iuvare et iuvando diligere, sollicitudines curasque tuas ita in commissas Christi oves impendisti, ut, quantum fieri possit, nihil eis desit praesidiorum, quae ad Dei cultum promovendum et ad christianae vitae auctum et florem fovendum conducere possunt. Archidioecesis profecto ista sapienti moderatione ita instructa est, ut sacerdotum numero, religiosis sodalitatibus, catholicis scholis et collegiis, actione sociali, christianae doctrinae institutione, beneficentiae aptis inceptis insigniter floreat. In pastorali munere fungendo, veluti bonus paterfamilias, profers de thesauro tuo nova et vetera,[1] sciens novas rationes novis necessitatibus hominum aptare, haud omnino tamen relictis usu et experientia rerum probatis solidissimis viis. Liberalitas animi opumque, profecto insignis et nobilis laus, mores tuos et christifidelium, quorum ductui et profectui consulis, decorat. Qua fruita sunt et fruuntur praesertim missionalium inceptorum campus et regiones Americae Latinae, ubi generosa auxiliorum vestrorum copia multigenae inopiae ecclesiarum haud sine spectabili fructu et laetis incrementis rerum occurritur, cumprimis ope providentissimi operis a te conditi, quod a S. Iacobo Apostolo nomen sumit.

Cuncta felicia et salutaria tibi in praesens percupientes, Christum Iesum, Pontificem aeternum, coronam Praesulum, auctorem et consummatorem fidei nostrae, deprecamur, ut potioribus usque donis propitiationis Suae te exornet et ditet. Quorum id apprime optabile et magni ducendum esse videtur, ut sanctitatem Eius sive bonorum operum numquam intermissa serie et absolutione, sive crescenti et fiammanti Eius amore magis magisque sequaris. Volumus tuis gressibus motibusque mentis praelucere vibrantia et dulcia dicta, quibus S. Gregorius Na-

[1] **Cfr. *Matth.* 13, 52.**

zianzenus sese ad devovendum se Christo exstimulabat : ((Tibi vivo, tibi loquor, tibi sedeo, o Eex Christe — Tibi moveo pedum vestigia, quoniam tu me manu tegis — Me igitur et nunc perducas ad bonum finem itineris ».[2]

Haec libenter accipe bene ominantia et hortativa verba, quibus anniversarium agendum diem tibi iucundamus, cum pro comperto habere debeas Nobis parere gaudium, ea quae tibi eveniunt votis tuis dignis impletione congruentia.

Quo autem fructuosior anniversarius dies tuus evadat, libenter id tibi facultatis facimus, ut postquam sollemni ritu divinis operatus eris, Nostro nomine Nostraque auctoritate adstantibus christifidelibus benedicat, proposita plenaria Indulgentia, ad Ecclesiae legem lucranda.

Tibi denique, Dilecte Fili Noster, et sollertibus Episcopis Auxiliaribus tuis, gregique universo, cui sacer pastor consulis, Apostolicam Benedictionem, praecipuae caritatis Nostrae pignus, peramanter impertimus.

Datum Eomae, apud Sanctum Petrum, die xxn mensis Maii, anno **MCMLXIV**, Pontificatus Nostri primo.

PAULUS PP. VI

ALLOCUTIONES

I

Ad summos Moderatores quarundam Familiarum Religiosarum earumque sodales, qui Romam convenerunt ad sui cuiusque Instituti Capitulum Generale.*

Dilectissimi filii,

Magno gaudio affecti neque modicam spem concipientes, vos contuemur, qui coetus delecti iique auctoritate graves estis venerabilium et illustrium Familiarum Eeligiosarum ; vobisque Nos iuvat salutem dicere plurimam, atque egregiam, quam de vobis habemus, opinionem gratumque animum Nostrum significare.

2 *Carm.* I, 1, 36, vv. 31-33; *Migne,* P.G. 37. 519.
* Die 23 mensis Maii a. 1964.

Convenistis Romam ad celebrandum Capitulum Generale uniuscuiusque Instituti vestri ; quae quidem res, licet in primis Ordinem vel Congregationem vestram tangat, tamen etiam in vitam Ecclesiae redundat, quae a fiorenti condicione vitae religiosae magnam repetit partem vigoris sui, studii apostolici, ardoris sanctitatis adipiscendae.

Praeterea Nos adiistis, non solum ut obsequia Christi Vicario qua filii addictissimi et amantissimi praeberetis, sed etiam ut Benedictionem Apostolicam impetraretis, quae vobis ipsis, Institutis vestris et praesertim negotiis in Capitulis vestris tractandis prodesset, e quibus, quemadmodum probe confidimus, salutares percipientur fructus, ita ut vita religiosa impensius et alacrius ducatur.

Quamvis singulos hos coetus vestros libentissime seiunctim coram admisissemus, et ad unumquemque pro peculiari indole et necessitate verba fecissemus, tamen praeoptavimus omnes simul excipere, quo maius pondus huic colloquio communi tribueremus, eo vel magis quod, hac opportuna oblata occasione, Nobis visum est quaedam exponere, quae ad omnes pertinent religiosos, quotquot sunt per orbem terrarum.

Imprimis vos animadvertere volumus Institutorum religiosorum momentum maximum et eorum munus plane necessarium esse Ecclesiae hisce temporibus. Est quidem fatendum doctrinam de universali ad sanctitatem vocatione fidelium cuiusvis ordinis et condicionis multum in praesenti, ac merito quidem, commendari; quae eo innititur, quod primaria ratione ii baptismi Deo consecrantur. Praeterea horum temporum necessitates postulant, ut ardor vitae christianae in ipso mundo ferveat et animos accendat, scilicet « consecrationem mundi)) requirunt, cuius rei officium praesertim ad laicos pertinet. Haec omnia e providentis Dei consilio contingunt, estque cur de tam salutaribus inceptis gaudeamus.

Cavendum tamen est, ne ea de causa germana notio vitae religiosae, ut semper in Ecclesia viguit, obscuretur, atque iuvenes, cum de deligendo vivendi genere cogitant, aliquo modo praepediatur, propterea quod peculiare munus et momentum immutabile status religiosi in Ecclesia non amplius distincte et dilucide perspiciunt.

Visum est igitur Nobis inaestimabile pondus vitae religiosae eiusque munus necessarium in mentem revocare ; hic enim status, qui e votorum evangelicorum professione indolem propriam accipit, est, secundum exemplum ac doctrinam Iesu Christi, perfecta vivendi ratio, quippe quae eo spectet, ut caritas augescat et ad absolutionem perducatur;

aliis autem vitae generibus fines, utilitates, officia temporalia, quamquam per se legitima, sunt proposita.

Altera ex parte nunc cum maxime Ecclesiae opus est testimonium publicum et sociale, quod vita religiosa impertitur. Nam quo impensius officium laicorum expetitur vitam christianam in ipso mundo agendi et propagandi, eo magis postulatur, ut exempla praefulgeant eorum, qui mundo re vera renuntiant, atque adeo aperte demonstretur *Regnum Christi non esse de hoc mundo.}*

Ita fit, ut professio votorum evangelicorum adiungatur consecrationi, quae propria est baptismatis, et hanc, quasi quaedam consecratio peculiaris, compleat, eo quod Christifidelis se Deo penitus committit ac devovet, totam vitam suam efficiens eius unius famulatum.

Haec omnia cum alia re conectuntur, de qua paterno et sollicito animo vos monemus ; scilicet oportet plurimi faciatis vota religiosa eorumque usui et exercitationi magnum momentum tribuatis. Nullo enim alio modo ducere potestis vitam congruentem et consentaneam statui, quem elegistis et in quo sic vobis est versandum, ut efficaciter adiuvet progressionem ad caritatem perfectam, et fideles inde accipiant testimonium vitae christianae ad eamque inflammentur.

Quamquam hominum condiciones temporibus proxime praeteritis non leviter sunt immutatae atque adeo religiosorum vivendi ratio ad eas necessario est accommodanda, tamen ea, quae ex ipsa natura consiliorum evangelicorum consequuntur, vim suam omnino retinent nec ullo pacto queunt imminui.

Summopere igitur in vitae actione *religiosam oboedientiam* excolite.

Ea est et manere debet holocaustum, uti appellant, propriae voluntatis, quod Deo offertur. Quod sacrificium sui eo fit, quod submisse legitimis Moderatoribus paretur, quamvis auctoritas exercenda sit intra fines caritatis et cum respectu personae humanae, et licet haec nostra aetas religiosos vocet ad plura gravioraque munera obeunda et ad incepta alacrius et expeditius suscipienda.

Ne desieritis *studium paupertatis* inculcare ; de qua hodie multus est sermo in Ecclesia. Eeligiosi enim exemplo verae paupertatis evangelicae omnibus debent praelucere. Quapropter paupertatem, qua se sponte astrinxerunt, ament oportet; neque satis est, circa usum bonorum, e Superiorum arbitrio pendere, sed religiosi ipsi contenti sint rebus necessariis, quibus vitae rationibus consulitur, et fugiant commoditates

' **Cfr. *Io.* IS, 36.**

et lautitias, quibus vita religiosa enervatur. Sed praeter paupertatem, quae *singulorum* propria esse debet, non licet neglegere paupertatem, qua *familia ipsa seu totum corpus sodalium* eniteat oportet. Itaque Instituta religiosa in aedificiis suis et quibusvis operibus cultum et ornatum nimis exquisitum, et quidquid luxum redolet, devitent atque rationem habeant condicionis socialis hominum qui circa habitant. Abstineant quoque a nimio studio quaestus faciendi, immo subsidiis temporalibus, quae divina Providentia iis est largita, veris necessitatibus fratrum indigentium subveniant, sive hi sunt conterranei sive aliis in orbis terrarum partibus degunt.

Singulari vero diligentia religiosi servent, *quasi pretiosam gemmam, castitatem.*

Notum est omnibus vitae condicionibus, quae nunc obtinent, difficilem reddi exercitationem castitatis perfectae, non solum eo quod pravi mores pervagantur, sed etiam ob doctrinas falsas, naturam plus nimio extollentes, quae animis exitiale virus infundunt. Haec tamen causam praebeant, ut fidem magis magisque excitemus, qua credimus verbis Christi praedicantis pretium supernaturale castitatis, quae propter Regnum caelorum exquiritur, et qua minime dubitamus, quin ope divinae gratiae hoc candidum lilium servari possit intaminatum. Quod ut feliciter contingat, acriore cum studio exerceatur oportet christiana mortificatio et diligentiore cura sensus custodiantur. Itaque nullus omnino locus detur, ne specie quidem cuiusdam desiderii cognoscendi scitu utilia vel amplificandi cultus humani, libris vel ephemeridibus atque spectaculis inhonestis vel indecoris; excepta fortasse studiorum probata necessitate, quae a religiosis moderatoribus explorata sit. Nemo unquam aeque aestimare poterit efficaciam sacri ministerii in mundo tot obnoxio turpitudinibus, dummodo is, quid id obit, luce fulgeat castimoniae Deo consecratae eiusdemque virtute roboretur.

Haec hactenus. Nunc autem Nobis in animo est aliquid etiam breviter attingere, quod ad ipsam Institutorum religiosorum structuram et ordinationem spectet. Hac enim in re Capitulorum Generalium labores potissimum versantur.

Patet rectam religiosae vitae rationem disciplina, certis legibus, condicionibus ad eas observandas idoneis omnino indigere. Quare Generalium Capitulorum praecipuum munus esto, Religiosae Familiae normas a Legifero Patre suo statutas, labente tempore, sartas tectas servare. Vobis igitur curandum est ut firmissimum opponatur repagulum

iis omnibus agendi rationibus, quae disciplinae robur pedetemptim ener vent, scilicet moribus religiosae vitae infestis, exemptionibus non necessariis, privilegiis minus probandis. Item cavere prorsus debetis a qualibet disciplinae remissione, quam non vera necessitas, sed mentis arrogantia, vel oboedientiae fastidium vel saeculi amor suadeant. Quod attinet autem ad nova ineunda incepta et opera, ab iis abstinete, quae praecipuo Instituti vestri muneri, vel menti Conditoris non omnino respondeant. Religiosa enim Instituta tamdiu vigent et florent, quandiu in eorum disciplina et operibus, et in sodalium moribus ac vita, integer Conditoris animus perstat ac spirat.

Deinde religiosae Sodalitates, utpote corporis viventis similitudinem referentes, assidua incrementa capere iure merito exoptant. Hoc autem Instituti incrementum in diligentiore regularum vestrarum observantia ponendum est, potius quam in sodalium numero aut in novis conditis legibus. Immo legum multiplicitas non semper religiosae vitae profectum comitem habet ; saepe enim fit ut, quo plures normae condantur, eo minus ad illas animus intendatur. Quare Generalia Capitula leges ferendi iure, quo gaudent, modice et quidem prudenti iudicio semper utantur.

Denique maximi momenti opus, in quo Capitula Generalia curas praecipuas ponere debent, hoc est, ut Instituti sui leges ad mutatas temporum condiciones assidue accommodent. Id tamen ita est procurandum, ut propria Instituti natura et disciplina indemnis servetur. Religiosa enim quaelibet Familia suum peculiare munus habet, eidemque omnino necesse est ut fidelis permaneat; hic vitae ubertas Instituti sita est, atque hic etiam caelestium gratiarum copia numquam defutura. Nulla ergo disciplinae renovatio inducenda est, quae cum Ordinis vel Congregationis natura non congruat, aut a mente Conditoris quoquo modo discedat. Quae quidem disciplinae renovatio hoc etiam postulat, ut a competenti auctoritate tantummodo procedat. Quare donec haec disciplinae accommodatio ad perfectum exitum adducta est, religiosi sodales ne quid novi proprio marte inducant, neu disciplinae habenas laxent vel censuris indulgeant, sed ita se gerant, ut fidelitate et oboedientia sua hoc renovationis opus potius iuvent et expeditius efficiant. Quod si contigerit, regularum vestrarum *littera* quidem immutabitur, non autem *spiritus*, qui integer perstabit.

In huiusmodi autem vestrorum Institutorum renovatione procuranda, vobis semper cura habenda est, ut spirituali sodalium vestrorum

vitae praecipuae semper partes tribuantur. Quare apud vos et apud religiosos omnes, quorum munus est sacri apostolatus operibus vacare, omnino nolumus, falsa illa quicquam valeat opinio, operibus externis primas dandas esse curas, intimae vero perfectionis studio secundas, quasi id aetatis huius ingenio et Ecclesiae necessitatibus postuletur.

Alacris operositas et spiritualis vitae cura, nedum altera alteri noceat, artissimam requirunt coniunctionem, ita ut ambo pari gradu et gressu semper procedant. Ferventibus igitur operibus, congruenter ferveat precandi studium, intemeratae conscientiae nitor, rerum adversarum patientia, actuosa et pervigil caritas in animorum salutem impendenda. Quibus virtutibus neglectis, non solum robur et fructus deerunt apostolici laboris, sed etiam sensim animus defervescet, nec diu satis cavere poterit a periculis, quae in ipsa sacri ministerii perfunctione latent.

Ad apostolatum autem quod attinet, qui religiosorum sodalium curae concreditus est, haec addere velimus. Instituta religiosa ad hodiernas rerum condiciones et adiuncta apostolicum munus ipsorum proprium sedulo conformare debent. Sodales iuniores praesertim ad id recte instituendi atque educandi sunt; ita tamen, ut apostolicum studium, quo incensi esse debent, non intra fines sui Ordinis circumscribatur, sed pateat ad ingentes spirituales necessitates horum temporum. Neque in isto omnia. Sed iidem ad illam etiam exquisitam munerum suorum conscientiam excolantur, vi cuius ipsi loquendo operandoque semper se exhibeant veros Dei ministros, integritate doctrinae praestantes et vitae innocentia commendatos. Qua in re religiosi sodales ne sibi ipsis relinquantur, sed ipsorum opera vigilantiae moderatorum semper obnoxia esse debet, praesertim si de navitate agitur, quae in civili societate magnum habere solet momentum.

Magnopere etiam nobis cordi est, ut religiosorum sodalium navitas cum sacrae Hierarchiae normis concordi ratione procedat. Religiosorum enim Ordinum exemptio nullo modo constitutioni, divinitus Ecclesiae datae, repugnat, vi cuius quilibet sacerdos, praesertim in sacri ministerii perfunctione, sacrae Hierarchiae parere debet. Religiosi enim sodales semper et ubique Romani Pontificis potestati, utpote supremo suo Moderatori, in primis subiciuntur.[2] Instituta religiosa igitur praesto sunt Romano Pontifici in iis operibus, quae ad bonum Ecclesiae

[2] **Can. 499 par. 1.**

universae pertinent. Quod autem attinet ad sacri apostolatus exercitium in variis dioecesibus, religiosi sodales subsunt etiam Episcoporum iurisdictioni, quibus auxilium praebere tenentur, salva semper apostolatus natura ipsorum propria et vitae religiosae necessitatibus. Ex quo patet, quantopere conferat ad Ecclesiae bonum socia atque adiutrix religiosorum opera dioecesano clero praestita, cum vires unitae fortiores validioresque evadant.

Habetis iam, dilectissimi filii, ea breviter commemorata, quae Nobis ad religiosae vitae incrementum hodie magnopere conferre videntur. Quae omnia vobis testentur, quanta sollicitudine religiosae vitae rationes consideremus atque aestimemus, quantamque spem in adiutrice opera vestra collocemus. Iter, quod terendum vobis monstravimus, arduum sane est et laboris plenum. Sed animum ad spem erigite, quia non nostra, sed Iesu Christi causa agitur. Christus fortitudo nostra est, fiducia nostra, robur nostrum ; ipse semper nobiscum erit. Quare fidei integritate, vitae sanctitudine, impensissimoque virtutum omnium studio bonum Christi odorem quam latissime diffundere pergite. Nos interea, dum vobis de obsequio gratias persolvimus, vota facimus a Deoque supplicibus petimus precibus, ut, deprecante suavissima Deipara Virgine Maria, materna religiosarum virtutum altrice, Instituta vestra ampliora cotidie incrementa capiant, afferantque uberiores usque salutares fructus.

Quorum quidem fructuum conciliatrix esto Apostolica Benedictio, quam vobis singulis, dilecti filii, universisque vestris sodalibus effusa caritate impertimus.

II

Ad Praesidem ceterosque Moderatores Consilii Americani Hebraeorum, qui obsequii ac observantiae causa Beatissimum Patrem adierunt.*

Gentlemen!

We thank you for your visit, and We greet with attentive esteem the courteous words your have addressed to Us.

We have heard with gratification the resolution you have manifested « to safeguard the religious and cultural freedom of all people, and the rights of all groups to develop the human values God has given them, free from coercion and discrimination ».

* Die SO mensis Maii a. 1964.

We are glad of the opportunity you offer Us of confirming what is already well-known concerning the attitude of the Catholic Church, and in particular of the Holy See, towards the Jews. This name of Jew, in fact, raises several questions, which We consider with serene attention :

First of all, the racial question ; and in this regard we repeat the heartfelt wish expressed, on numerous occasions, by Our venerated Predecessors : namely, that this should never be for you, or for any other ethnic group, a reason for undergoing any diminution in your human rights, which every civilization truly worthy of the name cannot avoid recognizing.

Second, the political question, which it is not Our business to pronounce Ourself upon, especially at this time ; although We always desire and augur that it find just and peaceful solutions, both for the populations who have already sustained so many trials and sufferings, and also by reason of the interests which the Catholic Church, and the other Christian Churches, may have therein, and which must not be disregarded.

Finally, the religious aspect, which interests Us most deeply, and motivates Our particular consideration for the Jewish religious tradition, with which Christianity is so intimately linked, and from which it derives hope for trusting relations and for a happy future.

Hence, while We again strongly deplore the horrible ordeals of which the Jews have been the victims in recent years, We wish you every favor from God, Whom We invoke with all Our heart on your behalf, and that of all those who are near and dear to you.

III

Equitibus et Matronis Equestris Ordinis a Sancto Sepulcro Hierosolymitano, qui Coetui interfuerunt Internationali Romae habito.*

Signor Cardinale,

Eccellenze, illustri Signori e Signore,

Vi ringraziamo cordialmente di cotesto atto di nobile devozione e di filiale fedeltà : ne apprezziamo i sentimenti, che sgorgano dai vostri spiriti non meno che dalle finalità statutarie dell'Ordine, cavalleresco e religioso insieme, a cui vi onorate di appartenere. Ne accogliamo con

*** Die 30 mensis Maii a. 1964.**

riconoscente attenzione la franca ed eletta voce nelle parole, con cni voi avete voluto accompagnare la vostra visita e con cui Ci date relazione, sommaria ma eloquente, dello spirito, che vuole animare la vostra compagine ; dell'attività, sia religiosa che benefica, a cui vi dedicate e da cui scaturiscono i meriti principali del vostro illustre sodalizio; dei propositi, che voi esprimete quasi per tracciare al vostro futuro cammino nuovi sentieri di feconda operosità e per assumere davanti a questa significativa riunione e davanti a Noi stessi l'impegno onesto e generoso di volerli mantenere.

Questo incontro Ci offre perciò l'opportunità per incoraggiare sentimenti e propositi che non possono non meritare plauso e fiducia.

Un'istituzione come la vostra attira a sè lo sguardo e la stima del pubblico per i due aspetti che essa palesemente gli presenta : quello esteriore, delle vostre divise, delle vostre insegne, delle vostre riunioni ; e quello interiore, della vostra adesione alla fede e alla vita cattolica, anzi alla milizia ed al servizio della Chiesa e della causa di Gesù Cristo, in quei Luoghi Santi specialmente, che furono l'umile e incomparabile scena del Vangelo e sono tuttora il quadro di fatti e di interessi religiosi, a cui la Santa Sede, e con essa tutto il mondo cattolico, annettono sempre somma importanza. Un'unica regola perciò, si può dire, governa la vostra medesima istituzione : la corrispondenza, la coerenza, il mutuo riflesso dell'uno aspetto con l'altro. A che cosa servirebbero i segni esteriori del vostro Ordine, se non fossero indicativi d'una sincera e vissuta professione di fede cattolica, sia nell'interno dei cuori, sia nello stile morale che tutta deve improntare la vita d'un Cavaliere del Santo Sepolcro? e non sono appunto tali distintivi, che vi dichiarano iscritti ad un'eletta e qualificata milizia di Cristo, simboli, stimoli, vincoli della vostra fedeltà alla sua causa, della vostra esemplarità nella società in cui vi trovate, della vostra non inerte, non passiva, non stanca, ma attiva, ma generosa, ma militante adesione alla santa Chiesa?

Così vuol essere, così dev'essere la vostra appartenenza all'Ordine del Santo Sepolcro. Che i vostri spiriti siano pervasi da tale corroborante coscienza, e voi avrete veramente realizzato in voi stessi l'onore di appartenervi e avrete dato all'Ordine stesso la migliore conferma della sua ragione di vivere la sua vigorosa pienezza di disciplina e di attività, il suo più alto livello di merito e di gloria.

E Noi stessi, che conosciamo il sentiero lungo ed aspro, che l'Ordine vostro ha percorso in questi ultimi decenni per giungere al punto costituzionale e funzionale, in cui oggi si trova, di cuore facciamo voti che

Caminhou firme na sua fé, através dos séculos, superando vendavais da Historia que abalaram tantos coraçoes que, depois, se afastaram da Igreja Católica. Esta graça de preservacäo-merecida pelo seu amor a Cristo e devoçâo à Virgem-foi constatada depois pelo Nosso Antecessor Bento XIV que concedeu a Portugal, com Breve Apostólico[3] o título de *Fidelissime*- na pessoa dos seus reis.[4]

Eis Portugal, a dar testemunho, mais urna vez, do seu amor à Virgem Santissima, no momento em que Eia era exaltada numa das suas prerogativas mais bêlas : a Sua Imaculada Conceiçâo. Eia era e é a Padroeira de Portugal. Por isso, a ((Casa Lusitana »,[5] juntamente aos católicos do mundo inteiro, exultou de júbilo ao ser definido o dògma da Imaculada. E tao grande foi a sua alegria que quis concretizá-la na edificaçâo de um monumento nacional para recordar aos vindouros este momento histórico mariano. Para a realizaçâo desta obra, tendo como principal promotor o Padre Martinho, foi escolhida a Montanha do Sameiro, sobranceira à Cidade dos Arcebispos, entre vos conhecida como Roma Portuguesa, dominando do outro lado a linda regiâo de Guimarâes, onde nasceu Portugal.

A Arquidiocese de Braga, de gloriosas tradiçôes cristas, conserva bem vincada na alma dos seus fiéis a devoçâo a Nossa Senhora. No proprio rito bracarense, em vigor em toda a Arquidiocese, o culto mariano tem lugar preeminente.

Ho je concluís, amados Filhos e Filhas, de um modo tâo solene, na presença de todo o Episcopado, a celebraçâo do primeiro centenario do Santuario do Sameiro, precedida por urna semana de estudos marianos que se realizara na cidade de Braga. Quanto é consolador para Nos recordar que o Nosso Antecessor Pio IX, de venerável memoria, depois de enriquecer esse templo de indulgencias[6] benzeu ele mesmo a Imagem

[1] *Lus.* 7, 14.
[2] *Id. 1, 1.*
[3] 23 Die. 1748.
[4] Cfr. *Bullarium Romanum,* Venetiis, tip. Gatti, 1778, t. III, p. 1.
[5] *Lus.* 7, 14."
« Cfr. Sec. Brey. 1870: Indul. Perp., 18 Feb. 1870.

de N. Senhora que ai tendes diante de vós. Quisemos também Nós participar do júbilo que neste momento vos inunda a alma, manifestando o vosso amor à Santissima Virgen na homenagem que lhe estais a prestar. *« Cantate Domino, benedicite nomini eius ... Adnuntiate inter gentes gloriam eius».* ((Cantai ao Senhor, bendizei o seu nome... Anunciai entre os povos a sua gloria ».[7]

Ai, no extremo da Europa, ((onde a terra se acaba e o mar começa)),[8] esta tamben o Nosso coraçâo. Estamos convosco, unidos aos vossos Pastores para agradecer à Mäe de Deus a protecçâo que vos dispensou, durante os oito séculos da vossa historia. Merecestes urna visita da Senhora no aitar de Fatima. Ë mais um motivo para levantares hoje no Sameiro um hino de accâo de graças à vossa Padroeira. « *Cantate Domino* ». Cantai ao Senhor ! Louvai a sua Mae maculada ! E daqui, da Cidade Eterna, o coraçâo do Papa, que tanto vos ama, palpita em unissono com o vosso.

Mas, amados Filhos e Filhas de Portugal Aderissimo, vós sois herdeiros de urna gloriosa historia missionària. Levantai urna prece, juntamente Connosco, à Virgem Santissima para que Eia suscite nas vossas familias cristas vocaçôes missionarias, santas e zelosas que, trilhando os caminhos dos vossos antepassados, levem à África, à Asia, à América Latina, a Luz do Evangelho. Há tantas almas sequiosas da Verdade e os operarios do Senhor sao ainda **tao** poucos ! ((*Adnuntiate inter gentes gloriam eius » !*

Daqui, de tâo longe, parece que ouvimos a vossa prece cantada em hino à Senhora : ((Vela por nos filhos teus, Mäe de Jesus, nossa **Mae !** Tu podes, és **Mae** de Deus ; e deves és nossa Mae ! ».

Sim ! pedi a Nossa Senhora. Eia, como Mäe de Deu é poderosa ; como nossa Mäe, terna e bondosa, escutará as nossas preces.

Em penhor deste Nosso voto, concedemos ao dilecto Legado Nosso, aos venera veis Irmäos, Clero e Religiosos, ao Ex.mo Presidente da República, ao Ex.mo Chef e e membros do Governo, a todos os amados filhos de Portugal a Nossa paternal Bênçâo Apostólica.

[7] ***Ps.* 95, 2-3.**

[8] ***Lus.* 3, 20.**

NUNTII SCRIPTO DATI

I

Ad Exc.mum P. D. Ioannem Baptistam Hubertum Theunissen, Archiepiscopum Blantyrensem, et ad Christifideles regionis v. d. « Nyasaland » missus, cum sui iuris ea esse coepit, novo illi indito Reipublicae « Malawi » nomine.

Willingly do We avail Ourself, Venerable Brother, of the solemn occasion of the proclamation of independence of Nyasaland as the new Republic of Malawi, to send you, your Venerable Brothers in the Episcopate, and all Our beloved children in your nation, Our message of félicitations, of prayers and of good wishes.

Catholicism, introduced by zealous and intrepid missionarias at a late date, has made great progress among your people ; and Our ardent prayer is that the Faith may grow deeper and dearer in their hearts, inspiring them to show forth their convinctions in their daily lives, and serve as a city set on a mountain or a light set on a candlestick, attracting others by their good example of blameless conduct and of Christian love.

We are confident that the rulers of the new Republic of Malawi will continue to respect the rights of freedom of worship and of preachings the Word of God. In return, We urge Our beloved children, under your enlightenend.guidance and that of the Most Reverend Bishops, not to be outdone in faithfulness to their civic duties, respect of lawful authority, observance of the law and generosity in contributing towards the progress of their country in the social, intellectual, and cultural sphères, as well as in the field of material prosperity.

Upon the rulers of the new State, We invoke illumination and strengthening grâces from on high. Upon the entire population of Malawi, We cali down God's choicest favours of prosperity, peace and advancement. To you, Venerable Brother, to the Ordinaries, clergy, religious and faithful of the Republic of Malawi, We impart from Our heart, in pledge of abundant divine blessings, Our special affectionate Apostolic Bénédiction.

From the Vatican, May 29, 1964.

PAULUS PP. VI

II

Ad E.mum P. D. Iosephum Mariam Sanctae Romanae Ecclesiae Presb. Cardinalem Bueno Monreal, Archiepiscopum Hispalensem, cum effigies B. Mariae Virg., vulgo « de Nuestra Señora de la Esperanza Macarena », ea in urbe aureo diademate fuit redimita.

Hoy fiesta de María Reina, en la Capital Hispalense, se adorna con corona de oró y pedrería la imagen de Nuestra Señora de la Esperanza Macarena, reuniéndose Autoridades Eclesiásticas y civiles y pueblo todo en unánime y solemne homenaje a la que es su celeste Patrona y Señora de Cielos y tierra.

Vibra de amor a María Sevilla que irradia su fervor mariano hasta los lugares más lejanos de la Península, hasta el Nuevo Mundo donde también se saluda a la Virgen Macarena y se invoca su nombre como mensajero de paz. Y parécenos recoger en esta vibración murmullo de peticiones, aroma fragante de ofrecimientos y virtudes, propósitos nuevos de vida religiosa más intensa. No hay ninguna diadema para la Madre de Dios más digna que la formada por el amor, la plegaria, la devoción del alma pura e inocente. ¿Cómo estará pues el corazón de la Virgen ante ese coro orante, ante ese clamor inmenso que se eleva al Cielo desde Sevilla, la que a sus títulos, bien ganados para su blasón, de muy noble, leal, invicta y heroica, añade el de « muy mariana ciudad »?

A las plantas de la Virgen ha acudido siempre el pueblo devoto en sus temores y esperanzas, en sus tribulaciones y alegrías con confianza firme y filial. Y le ha demostrado su fidelidad en el hermoso templo que, con espíritu de reparación, levantó no hace mucho para Ella ; se lo sigue manifestando en las procesiones anuales de penitencia, en los interminables besamanos y en las incontables comuniones con motivo de la fiesta de la Expectación.

En la presente oportunidad queremos destacar con complacencia el consuelo que nos proporciona el impulso que ha recibido la vida espiritual de las Cofradías Sevillanas, las cuales se esfuerzan no solo por cuidar con esmero el culto de sus imágenes sino también por dar un contenido más amplio a sus actividades de acuerdo con las exigencias de los tiempos actuales, y así estimulan en sus miembros la formación ascética y el apostolado mediante ejercicios espirituales o retiros y mediante actividades y obras de carácter social y caritativo. Mucho confiamos además en la preciosa aportación de estas instituciones centerarias,

que con su experienda y sus servicios podrán secundar el conocimiento y la aplicación de las disposiciones conciliares, primeramente de las que se refieren a la liturgia y aun también de cuantas la Iglesia prepara para acercar más y más las fuentes de la vida divina al mundo de boy y para incrementar las virtudes cristianas del pueblo de Dios.

Al mirar la imagen de María, con su expresión de sufrimiento y esperanza, vaya enseguida el pensamiento de sus devotos a Cristo Nuestro Señor a quien a su vez Ella parece contemplar con sentimiento materno dentro de su propio corazón. María, con la señal del dolor en sus ojos por el Hjo muerto, ofrece la esperanza de la redención fruto de este martirio que Ella soporta también en lo más íntimo de su ser. La devoción mariana verdadera y profunda se refleja necesariamente en una vida auténticamente cristiana, en una vida conforme a las enseñanzas del Divino Salvador, « que destruyó la muerte e irradió luz de vida y de inmortalidad por medio del Evangelio x».[1]

Sean estos los frutos mejores de la fiesta de la Coronación. Tales son Nuestras plegarias a la Virgen a la que pedimos que vuelva sus ojos amorosos en este día y siempre a Sevilla y de ella nunca los aparte. Que como Reina y Madre de misericordia extienda su protección sobre esa Ciudad y su comarca, y a Tí, querido Hijo Nuestro, celosísimo Pastor de la Archidiócesis Hispalense, con los demás Hermanos en el Episcopado ahí presentes, os cubra con su mano ; que asista a España y a las máximas Autoridades de ella con sus colaboradores en las tareas del gobierno de la nación y de esa Provincia ; que sobre el amadísimo pueblo español brillen continuamente la sonrisa de Jesús y la mirada materna de la Virgen Santísima de cuyas complacencias quiere ser prenda la Bendición Apostólica que de todo corazón otorgamos.

El Vaticano, 31 de mayo de 1964.

PAULUS PP. VI

[1] ***2 Tim. 1,* 10.**

SACROSANCTUM
CONCILIUM OECUMENICUM VATICANUM II

Tertia Oecumenicae Synodi periodus indicitur

Sanctissimus Dominus Noster Paulus Pp. VI, in Audientia hac die infrascripto impertita, statuere dignatus est ut tertia Ss. Concilii Oecumenici Vaticani Secundi periodus initium habeat die xiv mensis Septembris, in Exaltatione S. Crucis, anno MCMLXIV.

Ex Aedibus Vaticanis, die III mensis Iulii, anno MCMLXIV.

© HAMLETUS IOANNES Card. CICOGNANI
a publicis Ecclesiae negotiis

ACTA SS. CONGREGATIONUM
ACTA SS.

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

I

PROVISIO ECCLESIARUM

Sanctissimus Dominus Noster Paulus Divina Providentia Pp. VI, successivis decretis Sacrae Congregationis Consistorialis, singulas quae sequuntur Ecclesias de novo Pastore dignatus est providere, nimirum :

die 21 Martii 196J¡. — Cathedrali Ecclesiae Sanctae Mariae Angelorum praefecit R. P. Aloisium Yáñez Ruiz Tagle, sodalem Ordinis Fratrum Minorum, magistrum spiritus domus religiosae eiusdem Ordinis in oppido vulgo La Granja, intra limites archidioecesis S. Iacobi in Chile.

die 19 Maii. — Titulari episcopali Ecclesiae Macrianensi Minori R. D. Hadrianum Gand, sacerdotem ex Ecclesia Insulensi, curionem atque vicarium foraneum ad S. Maclovii in pago vulgo Haubourdin cognominato, quem constituit Coadiutorem cum iure successionis Emi ac Revmi P. D. Achillei S. R. E. Cardinalis Liénart, Episcopi Insulensis.

*die **24** Maii.* — Titulari episcopali Ecclesiae Sillitanae Exc. P. D. Gregorium Falconieri, hactenus Episcopum Conversanensem.

die 27 Maii. — Cathedrali Ecclesiae Hearstensi Exc. P. D. Iacobum Landriault, hactenus Episcopum titularem Cadoënum.

die 28 Maii. — Cathedrali Ecclesiae Gandavensi R. P. D. Leontium van Peteghem, Antistitem Urbanum et Canonicum Collegii cathedralis Gandavensis.

die k Iunii. — Cathedrali Ecclesiae Davidensi R. D. Danielem Núñez, curionem paroeciae S. Michaelis Archangeli in civitate Panamensi.

— Cathedrali Ecclesiae Duitamensi R. P. D. Iulium Franco Arango, Vicarium Generalem et Canonicum Capituli metropolitam archidioecesis Manizalensis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Suavensi R. P. D. Ernestum Camagni, ex archidioecesi Mediolanensi, Protonotarium Apostolicum, a diplomatis Pontificis Maximi ac Delegatum Emi et Revmi P. D. Cardinalis in Urbe Vicarii ad spiritualem curam promovendam omnium Confraternitatum Romae exstantium.

— Titulari episcopali Ecclesiae Partheniensi R. P. D. Ioannem Fallani, e clero Romano, Antistitem Urbanum, Praesidem Pontificii Consilii sacris tutandis Italiae monumentis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Maurianensi R. P. D. Ioannem Willebrands, e dioecesi Harlemensi, Antistitem Urbanum, ab actis Secretariatus ad unitatem christianorum fovendam.

— Titulari episcopali Ecclesiae Iucundianensi R. P. Petrum Salmón, O. S. B., Abbatem Sancti Hieronymi de Urbe.

die 5 Iunii. — Titulari episcopali Ecclesiae Quiziensi R. P. Hadrianum (saeculo Andream) Mariam Cimichella, Ordinis Servorum Mariae, parochum Nostrae Dominae a Monte Carmelo in archidioecesi Marianopolitana, quem deputavit Auxiliarem Emi P. D. Pauli Aemilii S. R. E. Card. Léger, Archiepiscopi Marianopolitani.

die 2If Iunii. — Cathedrali Ecclesiae Rivadaviae R. D. Eugenium Peyrou, sodalem Societatis S. Francisci Salesii, curionem paroeciae oppidi vulgo Ushuaia, in dioecesi Rivogallaëcensi.

die 5 Iulii. — Cathedrali Ecclesiae Jaciensi Exc. P. D. Paschalem Bacile, hactenus Episcopum titularem Colbasensem.

II

DE LOURENÇO MARQUES

DECRETUM

De Capituli metropolitani innovatione

Ad divinum cultum satius provehendum decusque metropolitanae ecclesiae augendum, Excrnus P. D. Custodius Alvim Pereira, Archiepiscopus de Lourenço Marques, ab Apostolica Sede nuper expostulavit ut in Capitulo metropolitano, per Consistoriale Decretum « Cum maxime coetus » diei 22 Februarii 1946 erecto, novi instituerentur, sine adnexis emolumentis, canonicatus.

Sacra autem Consistorialis Congregatio, rei opportunitate perpensa habitoque favorabili voto Excmi P. D. Maximiliani de Furstenberg,

Archiepiscopi titulo Partem et in Lusitania Apostolici Nuntii, vigore specialium facultatum sibi a Ssmo Domino Nostro Paulo, Divina Providentia Pp. VI, tributarum, porrectis precibus annuendum censuit.

Quapropter suppleto, quatenus opus sit, eorum interesse habentium vel habere praesumentium consensu, praesenti Consistoriali Decreto, perinde valituro ac si Apostolicae sub plumbo Litterae expeditae forent, in metropolitano Capitulo de Lourenço Marques *quinque novos canonicatus instituit,* cum omnibus iuribus, privilegiis et officiis quibus Canonici eiusdem Capituli ex iure communi et ex capitularibus constitutionibus fruuntur et obstringuntur.

Hac ratione itaque Capitulum de Lourenço Marques constabit deinceps una dignitate, nempe decanatu, et undecim canonicatibus.

Ad haec omnia exsecutioni mandanda Sacra Congregatio Consistorialis memoratum Excmum P. D. Maximilianum de Furstenberg deputat, necessarias et opportunas eidem tribuens facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad eamdem Sacram Congregationem, cum primum fas erit, authenticum exemplar actus peractae exsecutionis remittendi.

Contrariis quibusvis minime obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis Consistorialis, die 2 Martii 1964.

CAROLUS Card. **CONFALONIERI,** *a Secretis*

L. © S.

t Franciscus Carpino, Archiep. Serdicen., *Adsessor*

III

MECHLINIENSIS-BRUXELLENSIS — ANTVERPIENSIS

DECRETUM

De mutatione finium dioecesium

Cum, nuper erecta dioecesi Antverpiensi, territorium paroeciarum Ssmi Cordis Iesu in oppido vulgo « Aarschot », archidioecesis Mechliniensis-Bruxellensis, et Ssmi Nominis Iesu in municipio « Schriek-Grootlo » cognominato, dioecesis Antverpiensis, mutuum et incongruens

mansisset, Emus P. D. Leo Ioseph S. R. E. Cardinalis Suenens, Archiepiscopus Mechliniensis-Bruxellensis, et Excmus P. D. Iulius Victor Daem, Episcopus Antverpiensis, ab Apostolica Sede expostulaverunt ut suarum Ecclesiarum fines aliquantulum immutarentur aptiusque disponerentur.

Sacra autem Congregatio Consistorialis, praehabito favorabili voto Excmi P. D. Silvii Oddi, Archiepiscopi titulo Mesembriani et in Belgio Apostolici Nuntii, rata huiusmodi immutationes in bonum animarum cessuras, vigore specialium facultatum sibi a Ssmo Domino Nostro Paulo, Divina Providentia Pp. VI, tributarum, oblatas preces accipiendas esse censuit.

Quapropter, suppleto, quatenus opus sit, eorum interesse habentium vel habere praesumentium consensu, praesenti Consistoriali Decreto, perinde valituro ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent, statuit ut memoratae paroeciae Ssmi Cordis Iesu et Ssmi Nominis Iesu, limitibus quibus ante erectionem dioecesis Antverpiensis circumscribebantur, altera dicioni archidioecesis Mechliniensis-Bruxellensis, altera dioecesis Antverpiensis subiciatur.

Ad haec omnia exsecutioni mandanda Sacra Congregatio Consistorialis memoratum Excmum P. D. Silvium Oddi deputat, necessarias et opportunas eidem tribuens facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad eandem Sacram Congregationem, cum primum fas erit, authenticum exemplar actus peractae exsecutionis remittendi.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis Consistorialis, die 25 Martii 1964.

CAROLUS Card. **CONFALONIERI,** *a Secretis*

L. © S.

t Franciscus Carpino, Archiep. Serdicen., *Adsessor*

SACRA CONGREGATIO CONCILII

DECRETUM

De abstinentiae legis dispensatione

Cum plures locorum Ordinarii e variis Nationibus petierint ut proxima die 14 Augusti, quae hoc anno in feriam sextam incidit, abstinentiae lex relaxetur, haec Sacra Concilii Congregatio, de speciali Summi Pontificis mandato, locorum Ordinariis ubique terrarum facultatem tribuit fideles praefata feria sexta a dicta lege dispensandi.

Datum Romae, die 22 Iulii 1964.

P. Card. **CIRIACI**, *Praefectus*

L. $ S.

f P. Palazzini, *a Secretis*

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA ROMANA ROTA

Citationes edictales

I

NOVAE AURELIAE

Nullitatis matrimonii (Bouzon - Herzog)

Cum ignoretur locus actualis commorationis dominae Dorotheae Herzog, in causa conventae, eandem citamus ad comparendum vel per se, vel per procuratorem legitime constitutum, coram Tribunali Sacrae Romanae Rotae (Piazza della Cancelleria 1, Roma), pro hora meridiana diei 23 Octobris 1964, ad concordandum dubium, vel ad infrascriptum dubium subscribendum :

An constet de matrimonii nullitate, in casu.

Ordinarii locorum, parochi aliique, notitiam habentes commorationis praedictae dominae Dorotheae Herzog, curare debent ut ipsa de hac edictali citatione rite moneatur.*

Aurelius Sabattani, *Ponens*

Ex Cancellaria Tribunalis S. R. Rotae, die 1 Iunii a. 1964.

Marius F. Pompedda, *Notarius*

* Etant inconnu le lieu de la demeure actuelle de M.me Dorothée Herzog, défenderesse en cette cause, nous la citons à comparaître, par propre personne ou par un procureur légitimement constitué, au siège du Tribunal de la **S.** Rote Romaine (Roma, Palazzo della Cancelleria) le 25 octobre 1964, à 12 heures, pour concorder ou souscrire le doute ci-dessous rapporté:

Conste-t-il de la nullité du mariage, dans le cas?

Les Ordinaires des lieux, les curés, les prêtres, les fidèles ayant connaissance du lieu de la résidence de ladite Dorothée Herzog, devront, dans la mesure du possible, l'avertir de la présente citation.

II

SANCTI FRANCISCI IN CALIFORNIA

Nullitatis matrimonii (Owens - Nicholas)

Cum ignoretur locus actualis commorationis domini William L. Nicholas, in causa conventi, eundem citamus ad comparendum vel per se, vel per procuratorem legitime constitutum, coram Tribunali Sacrae Romanae Rotae (Piazza della Cancelleria 1, Roma), pro hora undecima diei 15 Octobris 1964, ad concordandum dubium, vel ad infrascriptum dubium subscribendum :

An constet de matrimonii nullitate, in casu.

Ordinarii locorum, parochi aliique, notitiam habentes commorationis praedicti domini William L. Mcholds, curare debent ut ipse de hac edictali citatione rite moneatur.*

Ioannes Maria Pinna, *Ponens*

Ex Cancellaria Tribunalis S. R. Rotae, die 5 Iunii a. 1964.

Marius F. Pompedda, *Notarius*

* Etant inconnu le lieu de la demeure actuelle de M. William L. Mcholds, défendeur en cette cause, nous le citons à comparaître, par propre personne ou par un procureur légitimement constitué, au siège du Tribunal de la S. Rote Romaine (Roma, Palazzo della Cancelleria) le 15 octobre 1964, à 11 heures, pour concorder ou souscrire le doute ci-dessous rapporté:

Gonste-t-il de la nullité du mariage, dans le casf

Les Ordinaires des lieux, les curés, les prêtres, les fidèles ayant connaissance du lieu de la résidence dudit William L. Mcholds, devront, dans la mesure du possible, l'avertir de la présente citation.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Brevi Apostolici il Santo Padre Paolo VI, felicemente regnante, si è degnato di nominare :

1 febbraio 1964. S. E. Revma Monsig. Righi Vittore Ugo, Arcivescovo tit. di Bilta, *Nunzio Apostolico nel Paraguay.*
23 marzo » S. E. Revma Monsig. Asta Salvatore, Arcivescovo tit. di Aureliopoli di Lidia, *Intemunzio Apostolico in Iran.*
6 giugno » S. E. Kevma Monsig. Roberti Vito, Arcivescovo tit. di Tomi, *Nunzio Apostolico nel Rwanda:*

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Paolo VI, felicemente regnante, si è degnato di annoverare fra i *Membri della Pontificia Commissione per le Comunicazioni Sociali :*

« ad quinquennium », *le Loro Eccellenze Reverendissime i Monsignori :*

Giuseppe Amici, Arcivescovo di Modena ;
Pietro Sfair, Arcivescovo tit. di Msibi per i Maroniti;
Giovanni Giuseppe Krol, Arcivescovo di Philadelphia ;
Andrea Pangrazio, Arcivescovo di Gorizia ;
Giuseppe Tommaso McGucken, Arcivescovo di San Francisco ;
Giacinto Thiandoum, Arcivescovo di Dakar;
Renato Luigi M. Stourm, Arcivescovo di Sens;
Giorgio Andrea Beck, Arcivescovo di Liverpool ;
Francesco Charrière, Vescovo di Lausanne, Genève e Fribourg;
Guglielmo Kempf, Vescovo di Limburg;
Gerardo Mongeau, Vescovo tit. di Diana, Prelato *nullius* di Cotabato ;
Gerardo Maria Coderre, Vescovo di Saint-Jean de Québec;
Eugenio de Araújo Sales, Vescovo tit. di Tibica, Amministratore Apostolico di Natal ;
Tommaso Guglielmo Muldoon, Vescovo tit. di Fessei ;
Giuseppe M. Cirarda Lachiondo, Vescovo tit. di Drusiliana ;
Giovanni Luigi Jobidon, Vescovo di Mzuzu;

Luciano Metzinger, Vescovo tit. di Autenti, Prelato *nullius* di Aya viri.

« durante munere », *i Reverendissimi Monsignori :*
Giovanni Bernard, Presidente dell'O.C.I.C. ;
Giacomo Haas, Presidente dell'UNDA.

U Illustrissimo Signor Baimondo Manzini, Presidente dell'U.I.P.C.

An. et vol. LVI 20 Augusti 1964 (Ser. III, v. VI) - N. 10

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico — Città del Vaticano — *Administratio:* Libreria Editrice Vaticana

ACTA PAULI PP. VI

LITTERAE ENCYCLICAE

Ad Venerabiles Fratres Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos aliosque locorum Ordinarios, pacem et communionem cum Apostolica Sede habentes, ad clerum et christifideles totius orbis itemque ad universos bonae voluntatis homines: quibus viis Catholicam Ecclesiam in praesenti munus suum exsequi oporteat.

PAULUS PP. VI

VENERABILES FRATRES ET DILECTI FILII

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

ECCLESIAM SUAM cum Christus Iesus idcirco constituerit, ut universae hominum societatis benigna mater esset et ministra salutis, in aperto est cur memoria saeculorum omnium ei praecipuum testificati sint amorem, praecipuasque curas in eam contulerint, quicumque cordi habuerunt aeque summi Dei gloriae prospicere, et hominum animos in aeternum praestare salvos: inter quos, ut aequum erat, enituerunt Christi ipsius in terris Vicarii, innumerabilis Episcoporum et sacerdotum numerus, sanctorumque miranda christifidelium multitudo.

Nemini igitur non consentaneum videbitur, Nos, primas daturos Litteras Encyclicas post delatum Nobis ex arcano Dei consilio Summum Pontificatum, animum amantem eundemque reverentem ad Ecclesiam sanctam veluti naturae sponte referre.

Hac de causa suscipiemus hoc loco operam, ut magis magisque pateat omnibus quantum ex altera parte humanae societatis ad salutem intersit, quantum ex altera catholicae Ecclesiae curae sit, utrasque sibi occurrere, mutuo se cognoscere, inter se diligere.

Anno superiore cum, dante clementissimo Deo, die festo S. Michaelis Archangeli, secunda inchoaretur sessio Concilii Oecumenici Vaticani II, Nobisque bene accideret quod praesentes vobiscum praesentibus, in maximo Petriano templo congregatis, sermonem conferre possemus, tunc esse Nobis in animo diximus fore ut, quemadmodum mos cuivis est Summo Pontifici, munus suum ineunti, etiam per litteras ad vos paternum et fraternum sermonem converteremus, ut videlicet consilia quaedam Nostra enuntiaremus, quae in animo Nostro supra cetera essent, quaeque in opere ipso magnam habere utilitatem viderentur, ad initia Pontificalis Nostri officii dirigenda.

Sed re vera in difficili Nobis est eiusmodi consilia expresse definire, quod primum ex diligenti divinae doctrinae commentatione ea oporteat Nos deducere, illius memores Christi sententiae: *mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me;*[1] quod deinde ea opus sit metiri praesentibus Ecclesiae ipsius condicionibus, in quibus pariter eius interior vita longo periclitata usu admodum viget, pariter exteriores eius vires ad apostolicos labores magnopere intenduntur; quod postremo non liceat Nobis ignorare, quo loco sit hodie hominum communitas, ad quam munus Nostrum admovetur.

Sed hic Nos non in id studemus, ut vel nova quaedam, vel absoluta exponamus, ad quod dedita opera Concilium Oecumenicum spectat; cuius labores tantum abest ut Nostro hoc simplici litterarum sermone veluti perturbare velimus, ut verius illos et laudare et incitare placeat.

Has Litteras Encyclicas dantibus Nobis non est quidem propositum, neque ut sollemne quoddam confidamus actum, ad catholicae doctrinae capita tractanda imprimis pertinens, neque ut certa quaedam documenta vel de moribus vel de re sociali impertiamus, sed ut ad vos nuntium sincerum, quemadmodum inter fratres et familiares decet, mittamus. Hoc enim scri-

[1] Io. 7, 16.

ptum edentes nihil aliud quaerimus quam ut, pro officio, animo Nostro aperto, ea fidei caritatisque communio, quae inter nos feliciter regnat, et magis magisque coalescat, et maiorem obiciat laetitiam; propterea nempe ut pastoralis nostra diligentia cotidie magis valeat; ut fructuosius Concilii Oecumenici sessiones celebrentur; ut denique clariore in luce ponantur normae et regulae aut ad doctrinam, aut ad vitae actionem attinentes : quibus sane religiosa et apostolica alacritas regatur, sive legitimorum Ecclesiae Praesulum, sive eorum qui vel Praesulibus ipsis parent et sociam navant operam, vel alacritatem eandem benevolo dumtaxat observant animo.

Omni abiecta cunctatione vobis, Venerabiles Fratres, significamus tribus praesertim animum Nostrum commoveri consiliis, cum munus illud amplissimum perpendimus, quod, contra Nostra vota Nostraque merita, providentissimus Deus detulit Nobis, regendi scilicet Christi Ecclesiam, utpote quos Romae Episcopum consuluisset atque adeo beati Petri Apostoli, *regni caelorum*.clavigeri, Successorem, et ipsius Vicarium Christi, qui Petrum universalis gregis sui primum fecit Pastorem.

Initio persuasum Nobis habemus, debere Ecclesiam in seipsam introspicere penitus ; suum meditari mysterium ; se docendi et incitandi causa, altius perscrutari doctrinam de sua origine, de sua natura, de suo persequendo mandato, de suo fine; quae doctrina, licet iam sibi sit nota, atque superiore hoc saeculo sit enucleata et vulgata, numquam tamen satis neque excussa neque intellecta dici potest; quippe in qua contineatur *dispensatio sacramenti absconditi a saeculis in Deo ... ut innotescat ...per Ecclesiam,*[2] quasi thesaurus videlicet arcanorum Dei consiliorum, Ecclesiae opera exponendorum ; cum haec doctrina maiorem quam ceterae exspectationem attentionemque cuiuscumque hominis erigat, cui sit statutum Christum fideliter sequi, eoque vel magis eorum, quos, ut Nos et vos, Venerabiles Fratres, *Spiritus .Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Bei."*

Iamvero ex hac clara et alacri conscientia, quam de se

[2] Cfr. *Eph.* 3, 9-10.
[3] Cfr. *Act.* 20, 28.

habet, Ecclesia sponte fertur ad comparandam absolutam et perfectam imaginem, qualem Christus voluit, ut Ecclesia, sua Sponsa sancta et immaculata/ indueret, cum vero suo vultu, qualem hodie nostris ipsa subicit oculis; qui profecto vultus, summi Dei beneficio, probe lineamenta quidem refert, quae divinus eius Conditor in ea impressit, et Spiritus Sanctus, saeculis vertentibus, vividiora fecit et significantiora, ut hinc plus plusque cum prima sui Conditoris notione, hinc cum ingenio et indole hominum societatis congrueret, quam Ecclesia Evangelio salutis promulgato sibi asciscere conitebatur. Attamen huiusmodi Ecclesiae vultus numquam tam perfectus, tam venustus, tam sanctus, tam splendens erit, ut omnino primae sui Auctoris notioni respondere dici possit.

Ex quo consequitur, ut Ecclesia, forti quodam et alacri acta animi impetu, suam ipsa quaerat renovationem, hoc est eorum emendationem erratorum, quae eius membra admiserunt, quaeque sui conscientia, tamquam speculum exemplaris sui, Christi, sibi indicat atque damnat. Qua in re en habetis, Venerabiles Fratres, quo pertineat secundum consilium, animum Nostrum nunc commovens : eo nempe ut Ecclesiae membra putent sibi esse, cum sua errata emendanda, tum ad perfectiora quaeque nitendum; utque vias considerate eadem membra deligant, quibus renovationem, quam diximus, adipiscantur. Quod consilium eo vobis declaramus* non tantum ut ad opportunas inducendas emendationes fidentiore animo ipsi aggrediamur, sed ut etiam, in tam gravi tamque difficili re, a vobis et consensio et consilia et auxilia Nobis praebeantur.

Ex duobus autem et prioribus hisce Nostris et vestris consiliis tertium sponte oritur, quod eo spectat, ut Ecclesia res rationesque cum hominum universa communitate contrahat, quacum ipsa continetur, et in qua media vivit et suum obit opus.

Quorum hominum, ut inter omnes constat, altera pars, postquam christianam fidem tam penitus combibit ex eaque tantam vim virtutemque sumpsit, ut saepenumero — licet id satis non aestimaverit — quaecumque optima quisque po-

[4] Cfr. *Eph,* 5, 27.

pulus in suo cultu habet, eidem fidei tribuat necesse sit, post, hisce praeteritis saeculis, ab ea, tamquam a sua origine, se discrevit et removit. Altera vero hominum pars, quae in terrarum orbe est maxima ducenda, se ad immensos fines eorum populorum extendit, qui novi appellantur. Attamen in hac universitate generis humani iam non una, verum etiam centum afferuntur Ecclesiae habendorum cum aliis congressuum facultates; quorum sane alii aperti et quidem faciles censentur; alii ancipites et ardui; denique plurimi, pro, ab amico colloquio prorsus alieni. :

Exsistit igitur hoc loco Ecclesiae quaestio de colloquio serendo cum huius aetatis hominibus. Cuius quaestionis erit Concilii definire, quae sit amplitudo et implicatio, eamque, quantum poterit, melioribus expedire modis. Sed huius quaestionis solvendae necessitas in animum Nostrum eiusmodi onus, stimulum, intimamque veluti proclivitatem infert, quae Nobismetipsis et vobis, Venerabiles Fratres, eadem non minus anxie quam Nos expertis, quodammodo declarare par esse censeamus; ut scilicet magis efficiamur idonei ad eas disputationes deliberationesque aggrediendas, quas de tam gravi re tamque multiplici in Concilio una vobiscum proponendas iudicaverimus.

Ex iis, quae summatim de Nostris Encyclicis Litteris hactenus exposuimus, facile intellexistis, in his non esse Nos de omnibus gravibus instantibusque rebus acturos, quae non minus humani generis quam Ecclesiae hodie intersunt; cuiusmodi sunt: pax inter populos atque inter humanae societatis ordines; egestas et fames, quibus etiam nunc magnae hominum multitudines connectantur; recentiorum nationum ad libertatem et ad vitae cultum progressio; hominum huius nostrae aetatis variae doctrinae cum christiana sapientia collatae; angustiae, in quibus tam multae gentes et tam latae Ecclesiae partes versantur, ubi iuribus, sive liberi civis sive humanae personae propriis, derogatur; morales quaestiones cum augescente natorum numero coniunctae; et cetera eiusmodi.

At hic facere non possumus, quin in medium proferamus esse Nos apprime conscios, Nos officio obstringi, non solum animum sedulum et propensum intendendi ad gravem universalemque de pace quaestionem, sed etiam in ea curas assiduas

et efficaces deligendi. Quae curae, licet muneris Nostri finibus circumscribantur, atque adeo sive a Nostris cuiusvis generis fluxis utilitatibus, sive a certis politicorum virorum rationibus abhorreant, eo tamen pertinent, ut hominibus asserviant conformandis ad eiusmodi sensus tractationesque, quae hinc cum immanibus et internecivis conflictationibus pugnent, illinc vero attineant ad necessitudines inter populos iusto iure, rationaliter, pacate componendas. Itemque omnem industriae diligentiaeque Nostrae vim illuc intendemus, ut, praeceptis nuntiatis, quae summa inter homines putantur, quaeque valere possunt ad eorum effrenatum cuiusque sui studium et cupiditates debilitandas, unde bella dentur, in id quantum poterimus conferamus, ut populi et congruentem habeant convictum et mutuam sibi tribuant operam. Neque sane adiumentum a Nobis desiderari sinemus, si qua occasio oblata fuerit, ut contendentes nationes ad honestas fraternasque pactiones vocemus. De memoria enim Nostra numquam excidit, auxilium hoc, ab amore profectum, nihil esse aliud nisi officium, quod, ob provectum hodie cursum sive doctrinarum sive institutorum, cunctis gentibus communium, conscientia muneris, quo in hominum societate fungimur, magis ducit necessarium; munus dicimus, quod in eo versatur, ut homines inter se fraterno amore coniungamus, pro regni illius iustitiae et pacis virtute, quod Christus, cum in hunc mundum venisset, condidit.

Ceteroquin, si nunc oratio Nostra, viae rationisque causa, his tantum definitur argumentis, Ecclesiae vitam contingentibus, illas magni ponderis quaestiones ex memoria Nostra nequaquam deponemus. Dum enim in nonnullas intendet considerationem Concilium, Nos, in apostolico munere Nostro obeundo, si mentem Deus iniecerit et vires, cum in earum studium incumbemus, tum eas adducemus ad effectum.

I

Ad officii partes, quas Ecclesia praesenti aetate exsequi debet, id necessario pertinere videtur, ut ipsa de se, de veritatis thesauro, cuius heres et custos constituta est, ac de munere his in terris sibi demandato, clariorem plenioremque conscientiam adipisci contendat. Ecclesia scilicet, antequam peculiaris

cuiusvis quaestionis studium aggrediatur, et antequam agendi rationes perpendat cum hominum societate ineundas, in praesens se ipsam consideret oportet; ut divina consilia sibi ad exitum perducenda melius dignoscat; ut uberiorem lucem, novum robur auctumque gaudium ad sua explenda munera hauriat; ut denique aptiores inveniat rationes, quibus propius, efficacius ac fructuosius necessitudines habeat cum humana societate, ad quam quidem et ipsa pertinet, etsi notis propriis et omnino singularibus distincta.

Haec enim consideratio, qua Ecclesia se inspicere debet, Nobis videtur plane congruere cum via ac ratione a Deo adhibita ad hominibus se revelandum et ad religiosum illud cum humano genere commercium ineundum, quod per Ecclesiam ipsam perficitur et simul manifestatur. Nam si divina revelatio : *Multifariam multisque modis* [5] peracta est, et in humanis eventibus innititur, historiae fide comprobatis, eadem tamen hominum vitam pertingere potuit viis, humani verbi divinaeque gratiae propriis; quae divina gratia secreto illapsu in animos descendit, post auditum salutis nuntium ac subinde elici tum fidei actum, a quo iustificatio nostra initium capit.

Nobis in optatis est, ut huiusmodi consideratio de origine ac natura novarum et vitalium rationum, quae religionis christianae ope inter Deum et homines instauratae sunt, indolem sumat docilis cuiusdam assensus iis verbis praebendi, quae Divinus Magister ad auditores suos habuit', ad discipulos praesertim, quorum in numero et nos ipsos hodie iure optimo recenseri gaudemus. Ex iis plurimis, quae a Christo Domino discipulis suis instantius et crebrius commendata sunt, monitionem illam commemorare placet, cuius vim omnes hodie quoque agnoscere debent, quotquot fideles Christi sectatores esse cupiunt; monitio^nem nempe, quae ad christianam vigilantiam spectat.

Verum enimvero haec nostri Magistri monitoria verba ita sunt praesertim accipienda, ut homines ad novissima vigilanter animum advertant, quae sibi proximo vel sero tempore contingant necesse est. Nihilominus tamen, idcirco quod huiusmodi vigilantia fidelis servi animum omni tempore efficaciter urgere debet, consequitur, ut ad eius normam sint conformanda insti-

[5] *Hebr.* **1, 1.**

tuta, hoc est illa vivendi ratio, quae christiani hominis in hoc mundo propria esse debet. Haec autem Christi Domini ad vigilandum adhortatio eventus etiam spectat, qui instare possint, scilicet pericula et vitiorum illecebras, quae mores corrumpant vel hominem a recto veritatis tramite avertant.[6] Quare facile in Evangelio continuum hortamentum reperitur ad honeste cogitandum atque agendum. Ac revera, nonne ad hoc ipsum pertinebat Ioannis Praecursoris Domini praedicatio, ex qua in Evangelio publica Iesu Christi vita exordium sumpsit? Nonne et ipse Christus Iesus homines invitavit ad regnum Dei intra se excipiendum?[7] Eius autem educandi ars nonne in interiore animi vita commendanda atque edocenda tota vertebatur? Tum conscientia, quae in re psychologica versatur, tum conscientia quae in re morali posita est, a Christo Domino ad sui plenitudinem simul advocantur, tamquam si necessariae eaedem sint, ut modo dignitati humanae consentaneo, superna veritatis et gratiae dona recipiantur. Conscientia autem discipuli efficiet, ut is postea recolat[8] quidquid Iesus docuit et quidquid circa ipsum accidit; eademque, cum ad maturitatem pervenerit, mentem tandem adducet ad intellegendum, quis Iesus fuerit, et quarumnam rerum ipse Magister et Auctor exstiterit.

Ortus Ecclesiae et simul in ea excitata divini sui muneris conscientia — qui eventus habendi sunt Pentecostes proprii — sicut in idem tempus inciderunt, ita in posterum una progressum facient; scilicet Ecclesia proficiet in disciplinae ordinatione, in regimine, in vita sociali christifidelium, et etiam magis magisque proficiet in conscientia muneris sui, suae arcanae naturae, suae' doctrinae, sui exsequendi mandati, secundum S. Pauli vota: *ee hoc oro ut caritas vestra magis ac magis abundet in scientia et in omni sensu.*[9]

Alio proferre modo possumus adhortationem hanc Nostram, quam adhibemus sive singulis vobis, Venerabiles Fratres, iisque qui vestrae vigilantiae crediti ad Nostram et vestram pertinent disciplinam, sive congregationi fidelium in

[6] Cfr. MT. 26, 41.
[7] Cfr. Lc *il.* 21.
[8] Cfr. MT. 20, 75; Lc. 24, 8; Io. 14, 2G; 16, 4.
[9] *FMI.* 1, 9.

universum, hoc est Ecclesiae. Scilicet omnes hortamur, ut scienter, alacriter et ardenter actum fidei edant in Iesum Christum Dominum Nostrum. Religiosam vitam nostram in praesens hac fidei professione informare debemus, firma quidem et certa, licet semper humili et trepida, qualem nempe apud Ioannem Evangelistam fuisse legimus fidem illius caeci a nativitate, cui Christus Iesus bonitate mirabili ac potentia pari oculos restituit: *Credo, Domine;*[10] vel qualem ostendit Martha, sicut in eodem Evangelio scriptum legimus: *Utique, Domine, ego credidi, quia tu es Christus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti;*[11] vel denique qualem, verbis tam Nobis caris conceptam, expressit Simon, postea Petrus appellatus: *Tu es Christus, Filius Dei vivi.*[12] Sed cur vos ad hunc ecclesiasticae conscientiae actum eliciendum, et ad hanc apertam, etsi internam, fidei professionem invitare audemus?

Multae profecto causae Nos ad id faciendum impulerunt, quae omnes necessario proficisci videntur a singularibus rerum adiunctis, in quibus hodie Ecclesia versatur.

Oportet enim Ecclesia in se ipsam inspiciat, ac se sentiat ubertate vitae florere. Si vult munere suo perfungi ac mundo salutis fraternique amoris nuntium afferre, ipsa contendat opus est ad pleniorem sui notitiam pervenire. Debet Christum in se ipsa experiri, secundum illam S. Pauli Apostoli sententiam: *Christum habitare per fidem in cordibus vestris.*[1]*

Apud omnes constat, Ecclesiam penitus in hominum societatem insertam esse, cum in eius sinu versetur, ab ea membra sua accipiat, ab ea eximios humani cultus thesauros ducat, eius vices participet, prosperitatem promoveat. At pariter constat, humanam communitatem, quae hodie est, ad conversiones, perturbationes rerumque progressum procedere, quae non solum externas vitae consuetudines, sed ipsas etiam animorum inclinationes magnopere immutant. Hominum opiniones, eorumque mentis cultura ac spiritualis vita penitus afficiuntur sive magnis incrementis, quae multarum rerum scientia, technicorum artes et socialis vita sumpserunt, sive philosophiis,

[10] Io. 9, 38.
[11] Iuid. 11, 27.
[12] MT. 16, 16.
[13] *Eph.* 3, 17.

sive variis de moderanda republica doctrinis, quae in societate circumferuntur eamque pervadunt. Haec omnia veluti maris Auctus Ecclesiam ipsam obvolvunt et commovent; cumque apud eos, qui se Ecclesiae moderamini committunt, huius mundi condiciones multam vim habeant atque momentum, exinde fit, ut veluti vertiginis, stuporis ac trepidationis periculum impendeat, quod ipsam ecclesiasticae compaginis firmitatem in discrimen adducere possit, multasque impellat ad singulares prorsus opinationes amplectendas, tamquam si Ecclesiae opus sit se munere suo abdicare ac novas omnino et inopinatas vivendi formas inducere. Ceterum, ut exemplo utamur, modernismi, ut aiunt, errores, quos etiam nunc reviviscere cernimus in novis quibusdam religiosae vitae rationibus a germana religione catholica alienis, nonne specimen exstant contentionis illius, qua profanae huius saeculi doctrinae atque inclinationes sinceram Ecclesiae Christi doctrinam ac disciplinam vitiare conantur? Iamvero, ut multa huiusmodi pericula, quae variis ex partibus instant, efficaciter praecaveamus, aptum dari posse remedium arbitramur, si Ecclesia altiorem sui ipsius conscientiam assequi studeat et clarius noscat, quid revera ipsa sit secundum Iesu Christi mentem, quam Divinae Litterae et Apostolica traditio integram servant, ecclesiastica autem traditio interpretatur et explicat; quae quidem, ut probe novimus, fruitur lumine et ductu Spiritus Sancti, qui, si opem eius imploraverimus eique obtemperaverimus, semper praesens aderit, ut promissa Christi certo impleantur: *Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia et suggeret vobis omnia, quaecumque diœero vobis.*[14]

Eadem dici possunt de erroribus, quos intra ipsius Ecclesiae fines serpere animadvertimus; quibus quidem ii obnoxii sunt, qui ex parte tantum Ecclesiam eiusque munus cognoscunt, cum divinae revelationis et magisterii a Christo ipso instituti rationem, ut par est, non habeant.

Ceterum haec necessitas, qua quis ad vera iam cognita intra se ipsum consideranda permovetur, ut eadem in suo animo tamquam in interiore contempletur speculo, ingenio et indoli homi-

[14] Io. 14, 26.

num nostrae aetatis plane respondet. Hi quidem animi sui penetralia libenter explorant, eorumque mentes tunc in veritatis securitate acquiescunt, cum ex conscientia veluti lumen accipiunt. Fatendum sane est, hanc veri inquirendi rationem gravibus periculis non carere; magni enim nominis philosophi hanc humani intellectus navitatem investigaverunt, eamque dixerunt perfectissimam atque supremam operandi formam, immo rerum omnium, quae sunt, mensuram et fontem praedicaverunt; atque eo sunt progressi, ut ad obscura, desperata, absurda et falsa omnino consectaria pervenerint. Nihilo setius hoc minime prohibet, quominus mentis educatio ad perscrutandum verum, quod in conscientiae penetralibus relucet, per se magni sit aestimanda, hodieque quasi nostri temporis praestantissimum animi cultus specimen habeatur; immo si haec educatio apte coniunctam habeat illam mentis conformationem, qua homo veritatem detegit ubi ea in rebus ipsis sane continetur, fieri etiam potest, ut ex hac inspiciendae conscientiae exercitatione quis possit se ipsum, suam ut hominis dignitatem, suasque ingenii vires agendique facultates magis magisque cognoscere.

Constat praeterea recentioribus hisce temporibus Ecclesiam diligentiore studio in se inquirere coepisse; ad id autem egregiam operam contulerunt viri doctrina insignes, homines magno animo praediti et ad cogitandum acuti, theologorum scholae auctoritate praestantes, coetus rebus pastoralibus et missionalibus promovendis, religiosae vitae experimenta feliciter suscepta, ac praesertim memoranda doctrinae documenta a Romanis Pontificibus in lucem edita.

Longum est paucis attingere copiosissima theologorum scripta, quae de Ecclesia agunt, quaeque nostro ac superiore saeculo e sinu Ecclesiae prodierunt; quemadmodum pariter longum est omnia recensere acta, quibus catholicae Ecclesiae Episcopi et haec Apostolica Sedes tantae molis tantaeque gravitatis argumentum pertractandum susceperunt. Revera ex quo Oecumenica Tridentina Synodus damnis mederi conata est, a gravissimo illo rerum discrimine profectis, quod membra plurima ab Ecclesia Christi saeculo xvi seiunxerat, plures floruerunt theologiae cultores, auctoritate praestantes, qui doctrinam de Ecclesia excoluerunt, ac propterea effecerunt, ut huius ge-

neris studia magna caperent incrementa. Hic satis esto ea commemorare, quae de hoc argumento a Concilio Oecumenico Vaticano I sancita sunt, ut manifesto intellegatur, quantopere necesse sit, ut non solum Pastores et Magistri, sed etiam catholici homines et christiani universi in doctrinam de Ecclesia intentum animum convertant, atque in hac quaestione immorentur, quasi in necessaria statione, per quam ad Christum et ad eius opus pateat iter; quodsi Concilium Oecumenicum Vaticanum II superioris Oecumenicae Synodi continuatio et complementum est appellatum, hoc idcirco contigit, quod ipsi doctrinam de Ecclesia iterum tractandi ac definiendi munus demandatum est. Brevitatis causa, plura de hac re addere nolumus, cum haec materia vobis probe comperta sit, utpote quae ad catecheticam institutionem et ad pietatis formam hodie in Ecclesia sancta late propagatam pertineat; nihilominus temperare Nobis non possumus, quin saltem duo acta in memoriam revocemus, quae Nobis peculiari laude digna videntur: scilicet Encyclicas Litteras, quae a verbis *Satis cognitum*[15] incipiunt, et pariter Litteras Encyclicas, quibus est initium *Mystici Corporis:*[16] alteras a Summo Pontifice Leone XIII, anno MDCCCXCVI, alteras a Pio XII, anno MCMXLIII, datas; quae acta fuse ac dilucide doctrinam tradunt de divino illo Instituto, per quod Christus Redemptionis opus in terris pergit et de quo in praesens disserimus. Sufficiat exordium tantummodo meminisse alterius Pontificalis acti, quod in sacrae theologiae provincia, quae ad Ecclesiam spectat, summam iam auctoritatem adeptum est, et copiosam suppeditat materiam ad pie considerandum illud divinae misericordiae mysterium, quod ad nos omnes .pertinet. Audiantur enim praeclara ipsa verba Decessoris Nostri: *Mystici Corporis Christi, quod est Ecclesia, ex ipsius Redemptoris labiis primitus excepta doctrina, ex qua magnum iii sua luce ponitur beneficium, satis numquam elatum laudibus, arctissimae coniunctionis nostrae cum tam excelso capite, res eiusmodi profecto est, quae praestantia dignitateque sua omnes homines, quotquot divino moventur Spiritu, ad contemplationem invitat, eorumque mentes collu-*

[15] *Acta Leonis XIII,* **XVI, 1896, pp. 157-208**

[16] *A.A.S.* **XXXV, 1943, pp. 193-248.**

strando, ad salutifera ea opera, quae praeceptis hisce consentanea sint, summopere excitat.[17]

Invitationi huiusmodi respondere cupientes, quam censemus adeo etiam nunc urgere animos nostros, ut hoc tempore maximis Ecclesiae necessitatibus parere videatur, opportunum duximus eandem per has Encyclicas Litteras iterare, ut, uberiorem eiusdem *Mystici Corporis* scientiam adepti, aptius huius mysterii divinos sensus percipere possimus; qua agendi ratione validissimis auxiliis confirmabimus animos nostros, ac magis magisque studebimus nostri officii partibus et humani generis necessitatibus apprime servire. Neque id arduum negotium videtur, cum animadvertamus hinc scripta quam plurima prodiisse ad illustrandam Ecclesiam sanctam composita, hinc vero curas sollicitudinesque Concilii Oecumenici Vaticani II ad hoc ipsum argumentum praecipue converti. Hic perplacet Nobis merita honestare laude doctos illos viros, qui, recentiore hac praesertim aetate, magisterio catholico in exemplum obsecuti, atque ingenii acumine praestantes et ad sacras disciplinas cum investigandas tum exponendas maxime idonei, in huius generis studia laboriosam, sollertem frugiferamque operam contulerunt. Qui non solum in sacrae theologiae scholis, sed in disceptationibus quoque cum eruditis litteratisque hominibus, in christianae veritatis defensione et evulgatione, atque etiam in spirituali christifidelium curatione, et in colloquiis cum fratribus a catholica Ecclesia seiunctis, multiplicibus scriptis doctrinam de Ecclesia illustraverunt, quorum nonnulla prestantissima sunt, et eximia commoda parant.

Quare fore confidimus, ut magnum Concilii opus Spiritus Sancti auxilio ac lumine perfrui pergat, et ad felicem exitum perducatur tam prompta voluntate divinae gratiae impulsibus parendi, tam alacri ardore germana Iesu Christi praecepta altius pleniusque perscrutandi et legitimos eius progressus investigandi, qui decursu temporum necessario habiti sunt; tam sollicita cura in eo posita, ut caelestium veritatum studia ad animos hominum coniungendos valeant, eosque ad clariorem lucem et concordiam adducant, non autem vanis disceptationibus aut dolendis discidiis disiungant; ita ut ex Concilio glo-

[17] **A.A.H. XXXV, 1943, p. 193.**

riam Deus, gaudium Ecclesia, mundus salutiferum exemplum accipiat.

Hisce in Encyclicis Litteris consulto abstinemus a quavis sententia Nostra proferenda circa doctrinae capita ad Ecclesiam spectantia, quae iudicio Concilii Oecumenici, cui praesidemus, iam proposita sunt. In praesens enim volumus, ut tani grave et tantae auctoritatis consessus investigandi disceptandique libertate fruatur; quemadmodum autem Nostrum postulat apostolicum Magistri ac Pastoris officium, quo uti Ecclesiae Caput fungimur, opportuno tempore ac modo Nostram aperiemus mentem, ac tunc nihil magis optabimus, quam ut sententia Nostra cum Patrum Concilii iudicio plane concordet.

Attamen praeterire non possumus, quin breviter saltem salutis fructus attingamus, quos orituras speramus sive e Concilio ipso, sive ex laboribus, quos Ecclesia, ut supra diximus, suscipiat oportet, ut ad pleniorem firmioremque sui conscientiam perveniat. Qui quidem fructus cum propositis cohaerent apostolici muneris Nostri, cuius dulcia ac praegravia officia inivimus; ad quos fructus quodammodo ipsa Pontificatus Nostri forma spectat, quam vobis, Venerabiles Fratres, strictim, sed sincere describere cupimus, ut ad proposita Nostra in rem adducenda vestro consilio, assensu vestro, sociaque vestra opera Nos adiuvare velitis. Ac dum vobis pandimus animum, Nobis videmur per vos alioqui Ecclesiae Dei filios universos; immo spem fovemus, ut vox Nostra ad eos quoque perveniat, qui extra Christi o vilis aperta ostia versantur.

Primum fructum, quem Ecclesiam ex pleniore sui ipsius conscientia percepturam speramus, ex eo provenire arbitramur, quod ipsa vitalem suam cum Christo coniunctionem rursus compertam habeat. Agitur sane de re notissima, sed tamen summi momenti ac prorsus necessaria, quae numquam satis intellegi, considerari, praedicari potest. Quid non dicamus de hac veritate, quae totius sacri patrimonii nostri veluti caput praecipuum est habenda? Peropportune accidit, quod doctrinam huiusmodi vos probe nostis; quare in praesens nihil aliud addere volumus, nisi ut eandem vobis enixe commendemus, ita ut ei semper praecipuum tribuatis momentum, ab eaque normas ductumque sumatis cum in spirituali vita cuiusque vestrum excolenda, tum in Dei verbo nuntiando. Ad hoc, magis

quam adhortatio Nostra, valeant monitoria verba Decessoris Nostri Pii XII, qui in memoratis Encyclicis Litteris *Mystici Corporis* haec declaravit: *Assuescamus necesse est in Ecclesia ipsum Christum videre. Christus est enim, qui in Ecclesia sua vivit, qui per eam docet, regit, sanctitatemque impertit; Christus quoque est qui varie sese in variis suis socialibus membris manifestat.*[18] O quam gratum iucundumque Nobis esset in Sacrarum Litterarum, SS. Patrum, Doctorum, Sanctorumque sententiis aliquantum immorari, quae Nostrum subeunt animum, dum hoc pulcherrimum fidei nostrae caput Nobiscum recogitamus! Nonne Iesus ipse asseveravit, se vitem, nos autem palmites esse?[19] Nonne menti ob versatur nostrae tota S. Pauli uberrima doctrina, qui in memoriam hoc revocare non cessat: *vos unum estis in Christo Iesu;*[20] qui sine intermissione nos hortatur, ut : *crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus; ex quo totum corpus ...;*[21] qui hoc item admonet: *... omnia et in omnibus Christus?*[22] Ad Ecclesiae autem Doctores quod attinet, satis esto hunc locum S. Augustini afferre: *... gratulemur et agamus gratias, non solum nos christianos factos esse, sed Christum. Intelligitis, fratres, gratiam Dei super nos capitis? Admiramini, gaudete: Christus facti sumus. Si enim caput Ille, nos membra; totus homo, Ille et nos ... Plenitudo ergo Christi, caput et membra. Quid est caput et membra? Christus et Ecclesia.*[23]

Probe novimus hoc mysterium esse, et quidem Ecclesiae mysterium. Quodsi in illud* considerandum mentem nostram intentam habebimus, fieri non poterit, quin exinde animi nostri plurimis beneficiis cumulentur, iis nempe, quibus Ecclesia nostro hoc tempore potissimum indigere videtur. Christus praesens aderit, immo eius vita in singulorum animis et in universo Corpore Mystico vim virtutemque suam ostendet, per fidei vivae et vi vineae exercitationem, secundum iam allatam S. Pauli Apostoli sententiam: *Christum habitare per fidem in cordi-*

[18] *A.A.S.* XXXV, 1913, i). 238.
[19] Cfr. Io. 15, 1 ss.
[20] *Gal.* 3, 28.
[21] *Eph.* 4, 15-1 G.
[22] *Col.* 3, 11.
[23] *In Io. tract,* 21, 8: PL. 35, 1568.

bus vestris.[24] Ac revera conscientia de Ecclesiae mysterio pertinet ad virtutem fidei, quae maturitatem iam assecuta sit, totamque vitae actionem imbuerit. Eadem illum gignit *sensum Ecclesiae,* quo christianus veri nominis penitus affici debet; christianum dicimus, qui divini verbi disciplina educatus et excultus fuerit; quem sacramentorum gratia et caelestes Paracliti impulsiones aluerint; evangelicarum virtutum exercitatio roboraverit; communitatis ecclesiasticae consuetudo mentisque cultura conformaverit; qui denique vehementer gaudeat se dignitatem participare regalis illius sacerdotii, quod populo Dei attribuitur.[25]

At Ecclesiae mysterium non eiusmodi veritas est, quae scientiae theologicae finibus contineatur, sed in ipsam vitae actionem transire debet; adeo ut christifideles, antequam claram de hac veritate notionem animo concipiant, eam quasi experimento naturae suae consentaneo, cognoscere possint. **Com**munitas autem fidelium se ad Mysticum Christi Corpus pertinere certe noverit, cum animadverterit, ad Hierarchiae ecclesiasticae ministerium, ex divino mandato, munus spectare christianos homines initiandi, generandi,[26] instituendi, sanctificandi, moderandi; quare ecclesiastica Hierarchia quasi superna via a Christo instituta est, qua ipse utitur, ut mysticis suis membris prestantissima veritatis et gratiae dona impertiat, atque Corpori Mystico in terris peregrinanti propriam conferat aspectabilem compaginem, nobilem unitatem, aptam variorum munerum perfunctionem, congruentem varietatem, spiritualem pulchritudinem. Imagines impares omnino sunt ad veritatem altitudinemque huius mysterii convenienter illustrandam, notionibus menti nostrae accommodatis; at post Mystici Corporis imaginem a S. Paulo Apostolo adhibitam, quam supra memoravimus, illius quoque mentionem facere oportet, qua Christus Iesus usus est, imaginis nempe aedificii, cuius ipse fabricatorem et auctorem se esse dixit; quod aedificium fundatur in homine natura sua quidem caduco et fragili, sed a Christo tamquam in firmam petram mutato, mira-

[24] *Eph,* 3, 17.

[25] Cfr. *I. Peti.* 2, 9.

[26] Cfr. *Gal.* 4, 19; *1 Gor.* i, 15.

bili Dei beneficio defuturam numquam: *super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.*[27]

Quodsi hunc *Ecclesiae sensum,* ad corroborandum aptum, in nobismetipsis commovere atque in christifidelium animis, nobili ac vigili educandi arte, excolere studebimus, plura quae difficilius componi videntur, et quae eruditorum hominum ingenia exercent circa doctrinam de Ecclesia — cuiusmodi sunt quaestiones curnam Ecclesia spectabilis et spiritualis simul habenda sit, libera et disciplinae simul obnoxia, communitatis indolem praeferat et secundum sacrae Hierarchiae ordines disponatur, iam sit sancta et nihilominus ad sanctitudinem semper contendat, contemplationi et simul activae vitae det operam, et id genus cetera — re ipsa clare patebunt, cum vita ipsa Ecclesiae cognita fuerit experimento, doctrinae lumine illustrato et confirmato. At ex hoc *Ecclesiae sensu* aliud potissimum commodum proficiscetur, scilicet optima quaedam pietatis forma, quae Sacrarum Litterarum, SS. Patrum Ecclesiaeque Doctorum lectione alatur, necnon iis omnibus subsidiis ad hanc conscientiam in Ecclesia fingendam idoneis, quae sunt : catechetica institutio ex ordine impertita; actuosa sacrae liturgiae participatio, quae quidem suis verbis, signis effusisque ad Deum precibus incomparabilis exstat pietatis palaestra; tacita ac fervida caelestium veritatum meditatio; generosa denique opera in excolenda contemplatione collocata. Revera christianae perfectionis studium nunc etiam uberrimus fons est habendus, unde Ecclesia suas spirituales vires haurit; itemque via propria ac ratio ad fructuose excipienda Spiritus Christi lumina; nativa ac necessaria forma, qua Ecclesiae religiosa et socialis actio exprimitur; certissimum denique praesidium et semper reviviscentis roboris causa inter profani huius saeculi difficultates.

Necesse praeterea est, ut qui sacrum Baptismum susceperint ac propterea vi huius sacramenti in Corpus Christi Mysticum, hoc est in Ecclesiam, sint inserti, iidem huiusmodi eventui maximum tribuant momentum; peculiarique modo agnoscant, se ad celsiorem evectos esse condicionem, immo ad supernaturalem regenerationem, qua experiri possint felicitatem filiorum

[27] MT. 16, 18.

adoptivorum Dei, dignitatem Christi fratrum propriam, beatam sortem, id est gratiam et gaudium inhabitationis Spiritus Sancti; adeo ut ad novum vitae genus verissime sint vocati, in quo nihil humani amittitur, praeterquam quod infelix status hereditarii peccati deponitur, quidquid vero humanum est, ad pulcherrima edenda perfectionis specimina et ad fructus gignendos uberrimos et sanctissimos provehi potest. Nomen igitur christianum ac sacri Baptismi susceptio non eiusmodi res sunt, quae parvum habeant pondus, aut quas neglegi liceat; eadem vero penitus ac feliciter cuiusvis christiani hominis conscientiam afficere debent, ita ut, haud secus ac primaevae Ecclesiae fiebat temporibus, a christifidelibus veluti *illuminatio* existimentur, quae super ipsorum animos vivificum devocans divinae Veritatis lumen, iis caelum aperiat, mortalem vitam illustret, potestatemque faciat ambulandi, ut filios lucis addecet, ad Dei visionem versus, aeternae beatitudinis fontem.

Perspicere facile est, quaenam exsequendarum rerum proposita nobis nostroque muneri hinc suadeantur. Ac non sine animi Nostri delectatione cernimus haec proposita ubique in Ecclesia iam ad effectum deduci et sapienter incensoque religionis studio promoveri. Nos autem eadem probamus, dilaudamus et benedictione Nostra confirmamus.

II

Valde deinde exoptamus, ut Dei Ecclesia talis sit qualem Christus voluerit, scilicet unam, sanctam atque plane intentam perfectioni acquirendae, ad quam ipse eam vocavit et idoneam reddidit. Etenim, cum eam divinus Redemptor perfectissimam mente effinxerit, Ecclesia, dum in terris peregrinatur, ad perfectionem ita contendat oportet, ut eam reapse praeferat. Quocirca haec summa est quaestio, in qua vita Ecclesiae vertitur, quae quanta sit eius vis et efficientia ostendit, eam exstimulat, redarguit, sustentat, ei causa est gemituum et precationum, paenitentiae et spei, laboris et fiduciae, periculi atque meriti. Agitur enim de re, quae veritatibus inhaeret divinitus patefactis et cum ipsa hominum vita arte coniunctis; videlicet nequit homo, nisi doctrinam respiciat, quam Christus docuit et

Ecclesia ex eius praecepto tradit, iudicium de semetipso ferre vel de sua ipsius natura, de perfectione, qua fuerat initio exornatus, atque de perniciosis calamitatibus, primigeniam noxam secutis, de sibi data potestate boni faciendi et de auxilio, cuius indiget, ut id appetat et efficiat, de huius vitae pondere et fine, de bonis, quae concupiscit vel iam possidet, de regula perfectionis et sanctimoniae adipiscendae ac de modis rationibusque, quibus vita eius ad summum usque pulchritudinis plenitudinisque gradum perveniat. Impenso idcirco Ecclesia studio tenetur vias Domini agnoscendi, quod numquam deficere debet; immo Nobis valde optandum videtur, ut disputationes, ad perfectionem spectantes, quae magna cum utilitate ac varietate per saecula in ipsa Ecclesia habitae sunt, pro summo, quod obtinent, momento animos iterum accendant, non quidem ut novae conficiantur formulae disciplinae, sed potius ut novae gignantur vires ad eam ipsam sanctimoniam persequendam, quam Christus nos docuit quamque ut cognosceremus et appeteremus et consequeremur, facultatem nobis fecit suis exemplis et verbis, suo auxilio et disciplina; qui praeterea more institutoque Ecclesiae confirmatur, communi eius membrorum actione stabilitur et a praeclaris sanctis capitibus illustratur.

Huiusmodi vero religiosae ac moralis perfectionis studium magis magisque excitatur externis etiam condicionibus, in quibus Ecclesia vitam agit; nequit enim ea immobilis manere atque incuriosa vicissitudinis humanarum rerum, quae circa sunt et multiplicem vim habent ad eius agendi rationem, eique modum et condiciones imponunt. Pro comperto sane est, Ecclesiam ab humana consortione non seiungi, sed in ea versari, ideoque ipsius filios ab eadem moveri ac duci, eiusque cultum civilem imbibere, legibus obtemperare, mores induere. Haec vero Ecclesiae consuetudo cum humana societate continenter difficiles parit quaestiones, quae nunc potissimum praegraves sunt. Christiana enim vita, quam Ecclesia defendit ac provehit, sicut ea omnia praecavere debet, quibus vel decipi vel contaminan vel coerceri possit, quasi ab erroris malive contagione se tueatur, ita non modo se conformet oportet ad cogitandi et vivendi formas, quas tempora inducunt eique veluti iniungunt, dummodo praecipuis suae ipsius religiosae et moralis doctri-

nae praeceptis ne répugnent, verum etiam oportet ad eas formas accedere easdemque emendare, honestare, provehere, et sanctificare nitatur. Exinde Ecclesia ad id compellitur, ut continenter in se inquirat moresque suos introspiciat ; quod profecto nostra aetas tam instanter tamque graviter exposcit.

In hac quoque re peropportuna existimanda videtur Oecumenici Concilii celebratio, quod, cum id imprimis sibi proponat, ut singularem induat notam, quam pastoralem appellant, ut canonicam renovet disciplinam, utque christianae vitae usum, congruenter ad divinam suam naturam, faciliorem reddat, idcirco iam nunc optime promeretur, antequam scilicet pleraque decreta promulgentur, quae ab eodem exspectantur. Nam universalis haec Synodus sive Pastorum sive fidelium animos excitat et accendit ad servandam atque augendam supernaturalem christianae vitae integritatem, omnesque commonet, se conscientiae officio teneri, ut hanc notam moribus suis vere ac firmiter imprimant; remissos adducit ut boni fiant; bonos meliores efficit, hos ad magnanimitatem, magnánimos autem ad sanctimoniam incitat. Accedit quod novas sanctitatis acquirendae vias ostendit, amorem ad sollertiam acuit, novumque elicit ardorem virtutum summaeque christianae perfectionis.

Profecto ad Concilium Oecumenicum statuere spectabit, quae in legibus et disciplina Ecclesiae sint emendanda ac renovanda; coetus seu Commissiones, quae Concilium sequentur, ac praesertim Commissio Codici Iuris Canonici recognoscendo, quae iam est instituta, consulta Oecumenicae Synodi in certam ac definitam formam redigere studebunt. Vestrum igitur erit, Venerabiles Fratres, significare Nobis, quae decerni oporteat, ut sancta Ecclesia facie pura eniteat ac iuvenescat. At rursus palam innotescat propositum Nostrum hoc esse, ut huic renovationi prorsus faveamus. O quoties huiusmodi renovationis propositum saeculis elapsis consociatum fuit cum Oecumenicorum Conciliorum celebratione! Iterum ergo consocietur, non quidem in praesenti, ut certa quaedam haeresum genera de Ecclesia tollantur, vel ut quibusdam vulgo invalescentibus vitiis remedia afferantur, quae Dei beneficio intra Ecclesiae saepta minime serpunt, verumtamen ut Christi Corpus Mysticum, quatenus est societas aspectabilis, novo religionis vigore im-

buatur, adeo ut, a multis membrorum noxis mundatum, ad novas adipiscendas virtutes stimuletur.

Quod profecto ut, Deo opitulante, contingat, Nobis liceat nonnulla mentis cogitata patefacere, quae apta videntur sive ad hanc renovationem faciliorem reddendam, sive etiam ad animos confirmandos — nequit enim haec renovatio sine aliquo incommodo fieri — sive denique ad prima quaedam lineamenta describenda, quae si respiciantur, huiusmodi renovationem aptius ad effectum adduci posse opinamur.

Atque imprimis regulas quasdam statuere oportet, secundum quas haec renovatio sit efficienda. Quae sane neque catholicae Ecclesiae essentiam attingere potest, neque partes illas, quae ad praecipuam eius formam necessario pertinent. Quare ipsa renovationis voce inepte uteremur, si illam ad hoc significandum adhiberemus. Non enim possumus Dei Ecclesiam sanctam et dilectam infidelitatis nota insimulare, cuius nos esse membra in summi beneficii loco ponimus, et a qua illud etiam testimonium datur animo nostro-, *quod sumus filii Dei.*[28] Quod profecto non superbiae nobis tribuatur, non arrogantiae, non pertinaciae, non ineptiae ac stultitiae, sed indicium habeatur firmae illius fidei ac iucundae persuasionis, qua certe credimus, esse nos membra viventia et sincera Mystici Corporis Christi, veros Evangelii Christi heredes, legitimos Apostolorum successores, penes quos integra et viva perstat, quasi hereditate tradita, primigenia eorumdem Apostolorum institutio et doctrina, id est ingens illud veritatis et sanctitatis patrimonium, in quo catholicae Ecclesiae, ut hodie est, nota propria consistit. Quod si hac de re gloriamur vel potius gratias Deo semper agimus,[29] id etiam causa esse debet, cur nos graviore officio obstrictos sentiamus sive erga Deum, cui erit nobis tanti beneficii reddenda ratio; sive erga Ecclesiam, in qua tum hanc persuasionem, tum studium et propositum huius veluti thesauri servandi excitare debemus, quem S. Paulus *depositum* appellat;[30] sive denique erga fratres, a nostra communione seiunctos, atque homines universos, ut omnes una nobiscum donum Dei participent.

[28] *Rom.* 8, 10.
[29] Cfr. *Eph.* 5, 20.
[30] Cfr. *I Tim.* 6, 20.

Si ergo hac in re de renovatione loquimur, non agitur de rebus permutandis, sed potius de confirmando proposito, quo movemur, ut faciem et lineamenta, quae Christus Ecclesiae suae dederit, servemus, quin immo eandem Ecclesiam in perfectam speciem et formam resti tu amus, quae et eius pristinae imagini respondeat, et consentanea sit necessario illi progressui, quo ea, quasi arbor e semine, a primigeniis institutis suis ad horum temporum statum iuste et legitime est perducta. "Neminem vero fallat opinio, Ecclesiae aedificium, quod iam magnificum templum, amplum atque augustum, in Numinis gloriam factum est, ad exiguos antiquitatis modos coangustandum esse, tamquam si una haec tenuitatis forma sit vera et legitima; nec quemquam studium rapiat renovandi ipsam Ecclesiae structuram, instaurata charismaticorum ratione, perinde ac si nova et vera ea sit Ecclesiae condicio, quae e paucorum cogitatis oriatur, qui quidem, cum animorum ardore ferveant et aliquando putent se divino quodam instinctu moveri, inanibus suis ineptae restaurationis somniis contaminare possint germanam Ecclesiae conformationem. Ecclesiae, ut est, nos inservire debemus eamque amare sapienti rerum gestarum intellectu, humilique voluntatis Dei inquisitione, qui Ecclesiam regit eique adest, etiam cum sinit eius vultus splendori et actionis sanctitati, ob humanas infirmitates, aliquid caliginis oriundi. Hanc ipsam autem sanctitatem atque splendorem nos inquirimus ac promovere studemus.

Opus igitur est in nobis huiusmodi opiniones confirmari, ut aliud periculum vitemus, in quod optata rerum mutatio adducere potest non quidem nos, qui pascimus greges quosque recta sacri officii conscientia tenet, sed multos christifideles, qui perperam arbitrantur, Ecclesiae renovationem in eo praesertim sitam esse, ut sua sensa et mores profanis huius saeculi moribus et inclinationi ipsa accommodet. Quandoquidem profanae vitae blanditiae aetate nostra maximopere prolectant, propterea accommodatio illa multis non modo necessaria, immo vero sapiens esse videtur. Qua re fit ut, si quis est, in quo nec fides divina altas radices egerit, nec legum ecclesiasticarum sit tenax observantia, is opportunum tempus advenisse putet, se ad hanc vivendi rationem conformandi, tamquam si haec optima sit, unaque ea, quam christianus possit ac debeat suscipere. Quae nimia

ad id genus accommodationem proclivitas gliscit tum ad philosophiae provinciam — in qua mirum quantum huius saeculi mos et consuetudo pollent, cum contra animus debeat esse liber nullique obnoxius, solius veritatis cupidus, et ad probatorum magistrorum auctoritatem docilis — tum etiam ad vitae actionem, in qua nempe magis magisque anceps et difficile est, quid sit rectum, quidve recta vitae ratio, definire.

Porro alias naturalismus, qui dicitur, conatur si primam christianae fidei notionem dissolvat; alias relativismus, quem vocant, utpote qui omnia rata habeat omniaque aeque valere putet, infitiatur in christianis institutis quidquam inesse simplex et absolutum; alias consuetudo, quae increbruit, amputandi in vita christiana quidquid aut laborem aut incommoditatem parit, christianam disciplinam et rerum divinarum contemplationem fastidiosae inanitatis incusat. Quin immo fit nonnumquam, ut apostolicum studium aditum habendi faciliorem ad profanos hominum coetus, aut sibi hominum, et praesertim iuvenum qui nunc sunt, voluntates conciliandi, quosdam iubeat aequissimas vitae rationes, nostrae fidei proprias, deponere, aut genus illud gravitatis dimittere, ex quo et illa alios adeundi sollicitudo et illa erudiendi alios efficacitas, significationem vigoremque sumunt. Qua de re, nonne quidam tum e iuniore clero, tum e sodalitatibus religiosis, optimo certe ducti consilio, ut aut ad popularium multitudines aut ad singulares quosdam coetus propius accedant, hos assimulare cupiunt potius quam ab iis distingui, eo scilicet effectu, ut per inanem imitationem labores suos vi et efficacitate exuant? Iamvero gravis illa Christi sententia: opus esse nos quidem esse in mundo, non autem.de mundo, in tempora haec nostra quadrat aptissime, licet sit factu difficilis. Bene ergo eveniet nobis, si Christus, qui *semper vivit ad interpellandum pro nobis,*[31] etiam in praesenti hanc pro nobis precationem praestantissimam et peropportunam caelesti Patri adhibeat : *Non rogo, ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a malo*[32]

Nostrae autem eiusmodi hortationes non illuc sane pertinent, ut credatur omnem perfectionem aut in earum immobili-

[31] Cfr. *Helr.* 7, 25.
[32] Io. 17, 15.

tate agendi rationum contineri, quas Ecclesia per anteacta saecula suscepit, aut in eo ut quadamtenus non accedamus ad communes agendi modos, cum ingenio hominum nostri huius temporis congruentes, qui tamen probari possint. Quapropter in mente Nostra versabitur semper, tamquam finis et opus Pontificatus Nostri, verbum illud Decessoris Nostri Ioannis XXIII ven. mem., quo rerum accommodatio significatur ad nostri aevi necessitates. Quod verbum, praeterquam quod Concilio Oecumenico, veluti ratam confirmatamque regulam, fere praefinivimus, identidem praeterea in Ecclesiae memoriam redigemus, ut eius semper renascens alacritas vel magis instimuletur, ut ea qua pollet circumspiciendi facultate, vigilantem animum ad nostrorum temporum indicia advertat; ut denique pro sua iuvenali alacritate, semper et ubique, *omnia ... probet, et quod bonum est teneat.*[33]

Verumtamen ad communem omnium nostrum hortationem et utilitatem iterum• asseveratur oportet, Ecclesiam non magis suas commutando leges exteriores posse ad revirentem iuventutem suam redire, quam seipsam ad Christi obsequium ita componendo, ut iis legibus diligenter pareat, quas ipsa sibi eo consilio condidit, ut Christi semitas sequatur. In hoc vertitur eius renovationis vis; in hoc eius metanoia, quam Graeco nomine appellant; in hoc demum eius perfectionis exercitatio. Poterit quidem Ecclesia cuiusdam suae legis vel praecepti conservationem vel faciliorem vel simpliciorem reddere, ob fiduciam in libertate christianorum hominum hodie collocatam, utpote qui et officiorum suorum magis conscii sint facti, et maturiores sapientioresque in viis exquirendis, quibus officia sua retineant; nihilominus tamen necessaria et praecipua vis legis integra manet. Nam christianae vitae condicio, qualem Ecclesia proponit et consideratis definit describitque praeceptionibus, quoquo modo fidem, sedulitatem, sui castigandi devovendique studium postulat; quoquo modo in illam *artam viam* coget, quam divinus Redemptor adumbravit;[34] a nobisque, Christum hac aetate sequentibus, haud minorem requiret animi vigorem, immo fortasse maiorem, quam a praeteritae aetatis fidelibus;

[33] Cfr. *I Thes.* **5,** 21.

[34] Cfr. MT. 7, 13.

requiret alacritatem eius servandae oboedientiae, quae hodie non minus quam superiore tempore necessaria et difficilis ducitur, quaeque maiore praemio digna est, quod divinis potius quam humanis movetur causis. At enim neque congruentia cum mundi sensu; neque recusatio eius disciplinae, quam s"anum christianae perfectionis studium poscit; neque de dissolutis huius temporis moribus haudquaquam laborare; neque se a legitimorum prudentiumque praepositorum auctoritate vindicare; neque erga inconstantes hominum huius aetatis sententias ignavia: haec omnia, dicimus, nullo modo possunt Ecclesiam vel corroborare, vel idoneam facere ad donorum Spiritus Sancti vim virtutemque accipiendam, vel eam ut veram Christi consectatricem confirmare, vel in eandem inicere sive caritatem de fratribus sollicitam, sive facultatem cum aliis salutis nuntium participandi. E contrario unae res, quae sequuntur, ad illa bona comparanda Ecclesiae valent : et eius voluntas vivendi iuxta Dei gratiam, et eius fidelitas erga Christi Evangelium, et animorum coniunctio inter sacrae auctoritatis ordines et christianae communitatis homines. Non mollis et ignavus Christi sectator est, sed fortis et fidelis.

Sermo Noster, ut probe novimus, longius produceretur, si rationem vitae christianae, ut hac obtinet aetate, licet praecipua tantum persequendo, describeremus ; nolumus autem nunc considerationem in huiusmodi negotium .intendere. Ceterum notae sunt vobis necessitates horum temporum ad mores quod attinet; ideoque non cessabitis fideles vestros commonere, ut animis comprehendant, quanta sit vitae christianae dignitas, integritas, gravitas; neque arguere praetermittetis, meliore quo fieri poterit modo, etiam palam, morum discrimina et vitia, quibus aetas haec nostra laborat. Omnes quidem memoria tenemus graves illas hortationes, quas Sacrae Litterae clamant: *Scio opero, tua, et laborem et patientiam tuam, et quia non potes sustinere malos;*[35] quibusque permoti pastores pervigiles et industrii esse studebimus; Concilium Oecumenicum nova nobis et salutaria impertiet instituta: ad quae accipienda et exsequenda iam nunc animos nostros debemus componere.

[35] *Apoc.* 2, 2.

Abstinere autem non possumus, quin duas res peculiares attingamus, quae ad praecipuas quasdam necessitates et officia Nobis videntur pertinere, quaeque mentem adducunt ad considerandas generales vias atque rationes, quibus recta vitae ecclesiasticae renovatio nitatur.

Ac primum quidem servandae paupertatis spiritum seu studium significamus. Est enim Nobis persuasum hoc praeceptum in sancto Christi Evangelio tam aperte declarari et postulari ; tam penitus insidere superno illi consilio, ex quo Dei adipiscenda regno destinamur; tantum in discrimen vocari ob invectam hac nostra aetate aestimandorum bonorum consuetudinem; item id paupertatis studium tam necessarium esse, sive ut tot errata, quae praeterito tempore admisimus ac damna, quae cepimus, cognoscamus, sive ut intellegamus, ad quam normam noster vivendi agendique modus dirigatur oporteat, et qua accommodatiore ratione Christi religio a nobis sit animis annuntianda ; id denique tam difficile reapse haberi, ut in hisce Encyclicis Litteris Nostris consulto de eo monendum Nobis esse arbitremur: non quod Nobis in animo sit peculiaria praecepta canonica de hac re statuere, sed quod ea ducimur mente, ut a vobis, Venerabiles Fratres, assensionis, consilii, exempli postulemus adiumentum. Scilicet confidimus fore ut vos, qui cum auctoritate aestimatis et enuntiatis eximias illas impulsiones, quas divinus Paraclitus in sancta Ecclesia excitat et movet, exponatis quomodo Pastores et fideles eloquium suum vitaeque institutum ad paupertatis praeceptum conforment, Paulo Apostolo ita hortante: *hoc sentite in vobis, quod et in Christo Iesu;*[30] et ut demonstretis, quae iudicia regulasque simul proponamus, quibus ecclesiastica vita astringatur, ut Dei potius auxilio et animi bonis quam caducis humanis subsidiis fidamus; eas videlicet normas, quibus nosmetipsi atque huius saeculi homines moneamur, illa animi bona rebus oeconomicis longe praestare, harumque possessioni et usui eum modum et ordinem esse statuendum, qui muneri apostolico, quo fungimur, conducat atque conveniat.

Quae de excellentia atque necessitate spiritus paupertatis, quae Christi Evangelii peculiaris est nota, breviter diximus,

[30] *Phil.* 2, 5.

Nos non exsolvunt officio monendi, hoc paupertatis studium minime impedire, quominus rei oeconomicae momentum recte aestimemus eademque licite utamur, quae his temporibus maximum incrementum cepit, et in qua innititur civilis cultus progressus, praesertim ad rationes humanas socialesque quod attinet. Quin etiam censemus, interiore hac animi libertate, quam parit evangelicae paupertatis studium, acriores nos reddi aptioresque ad intellegendos humanos eventus, qui cum re oeconomica conectantur; nempe ubi aequum ac saepe severum iudicium a nobis est ferendum de divitiis ac de vitae commodis; ubi quam promptissime ac largissime est egentibus subveniendum; ubi denique enitendum, ut opes non contentionum, cupiditatis vel superbiae inter homines causa exsistant, verum ut, duce iustitia et aequitate, communi utilitati inserviant, atque adeo diligentiore providentia distribuantur. De iis omnibus, quae ad huiusmodi externa bona, caelestibus quidem et aeternis bonis posthabenda sed ad praesentem vitam necessaria, pertinent, Evangelii asseclae valent prudens ferre iudicium atque hac in re auxilium humanissime praebere : primum enim doctrina, artes, ac praesertim opus quam maxime studia nostra excitant; tum fructus exinde collectas, id est panis, sacer est habendus, sive mensae sive arae destinatur. Doctrina socialis ab Ecclesia tradita huiusmodi est, ut nullum de hac re dubitioni locum relinquat; oblatam autem hanc occasionem libenter nanciscimur, ut tam salutaria praecepta auctoritate quoque Nostra confirmemus.

Deinde caritatis studium etiam attingere iuvat. Huiusmodi vero argumentum nonne in animis vestris altis iam radicibus haeret? Nonne caritas caput et veluti centrum est illius providentis Dei consilii sive in Vetere sive in Novo Testamento patefacti? Nonne ad caritatem Ecclesia in spiritualis vitae usu contendit? Nonne denique ad caritatem plenius iucundiusque in dies cognoscendam conducunt sive sacrae theologiae investigationes, sive christianae pietatis exercitatio, utpote quae mentem permoveant ad assidue meditandos divinarum Litterarum et Sacramentorum thesauros, quorum Ecclesia est heres et custos, magistra atque administra? Revera Nos — idem sentientes ac Decessores Nostri atque Sancti illi, quos aetas nostra caelesti ac terrestri Ecclesiae adiunxit, itemque pietà-

tis sensus declarantes christiano populo Ínsitos — plane persuasum habemus, oportere caritatem debitum sibi locum, hoc est summum atque praecipuum, hac aetate obtinere in bonorum ordine, quae ad religionem et ad mores spectant; idque non tantum in existimatione et opinione, verum etiam in christianae vitae actione et usu. Haec profecto dicimus quod attinet sive ad caritatem erga Deum, qui dilectionem suam in nos abunde effudit, sive ad caritatem, quam inde haustam nosmetipsi in fratres nostros, scilicet in homines universos, vicissim transfundere debemus. Caritas omnia explanat. Caritas ad recta omnia inducit. Nihil omnino est, quod per caritatem effici ac renovari nequeat. Caritas *omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.*[37] Quis nostrum haec ignoret? Quodsi haec novimus, nonne hoc tempus est caritatis exercendae?

Haec vobis proposita excelsae humilisque christianae perfectionis imago, mentem Nostram ad Mariam Virginem sanctissimam sponte appellit; ipsa enim plene ac mirandum in modum hanc perfectionem in se rettulit, immo ad eius normam his in terris suam vivendi rationem instituit, atque nunc in caelesti sede eiusdem fruitur fulgore ac beatitudine. Hisce nostris temporibus in Ecclesia pietas et cultus Deiparae feliciter florent; quare, hac oblata opportunitate, libenter illuc animum intendimus, ut in sanctissima Virgine Maria, Christi Genetrice, atque adeo Dei hominumque Matre, absolutissimum christianae perfectionis exemplum, germanarum virtutum speculum, atque humanae naturae prodigiale specimen, admiremur. Persuasum Nobis est, Deiparae cultum plurimum prodesse ad evangelicam disciplinam exercendam; quamobrem, cum in sanctis divini Servatoris locis peregrinati sumus, ab ipsa — quae est inter omnes beatissima, suavissima, humillima atque intaminata, quippe cui privilegium collatum sit aeterno Dei Verbo carnem, primigeniae innocentiae fulgentem pulchritudine, ministrandi — veram christianae legis professionem discere studuimus; ad eandem nunc supplices convertimus oculos, tamquam ad amantissimam vivendi magistram, dum vobiscum, Venerabiles Fratres, sermonem habemus de Ecclesiae sanctae vita, quoad pietatem et mores renovanda.

[37] *I Cor.* **13, 7.**

III

Tertio hoc loco est animadvertendum quam mentem quamve voluntatem oporteat catholicam Ecclesiam gerere erga huius temporis homines: est nimirum illi investigandum quasnam consuetudines cum hominum societate in praesenti faciat. Accidit enim ut, si Ecclesia seipsam cotidie altius noscat, et exemplar nitatur exprimere, quod Christus illi proposuit, plurimum existimetur ea differre ab hominum sensu et usu, inter quos vivit, ad quosque se applicare studet.

De qua distantia et discrimine palam nos Evangelium iis locis admonet, ubi de *mundo* agit, hoc est vel de hominum communitate, a lumine fidei atque a gratiae dono aliena; vel de humana societate, quae de optimo etiam rerum statu, in quo se versari putat, inaniter gloriatur, cum persuasum habeat, sibi suas vires esse satis ad prosperitatem expletam, diuturnam, fructuosam adipiscendam; vel de humana gente, quae pessimam esse rata suarum rerum condicionem, se vehementer abicit, atque sua vitia, impotentias suas, suas animi aegrotationes asseverat esse non modo necessaria, et insanabilia, sed etiam exoptanda, proinde quasi sint certissima suae libertatis et sincerae suae originis indicia. Atqui Christi Evangelium, quod, saepe subtili et nonnumquam acerrima sinceritate adhibita, hominum miserias et novit, et arguit, et condonat, et sanat, neque hinc vanam eorum opinionem admittit qui naturalem hominis bonitatem affirmant, tamquam si homo sibimet sufficiat, neque aliud desideret nisi ut suo arbitratu seipsum explicare possit; neque illinc assentitur iis, qui sine spe in insanabili humanae naturae corruptela quiescunt. Omnino Christi Evangelium est lumen, est novitas, est robur, est vitae restitutio, est salus. Hoc propterea Evangelium novum et diversum parit vitae genus, de quo cum Novi Testamenti paginae identidem mirabilia praedicant, tum vero S. Paulus haec nos nominatim admonet: *Nolite conformari huic saeculo, sed reformamini in novitate sensus vestri, ut probetis quae sit voluntas Dei bona et beneplacens, et perfecta.*[38]

[38] *Rom.* 12, 2.

Porro discrepantia inter vitam christianam et profanam ex eo.etiam proficiscitur quod iustificationem re vera sumus consecuti, huiusque rei exinde conscientiam adepti sumus; quae quidem iustificatio in nos manavit, idcirco quia mysterii Paschalis, imprimis per sacrum Baptismum, participes facti sumus, quem scilicet veram regenerationem ducamus oportet, nos eodem S. Paulo his verbis docente: *...quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus. Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem; ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus.*™

Itaque peropportune nostri huius temporis christianus homo sibi repraesentat singulare hoc et mirabile vitae genus ; utpote quo permoveri queat tum ad laetandum de sua dignitate, tum ad contagionem, quae circumcircá urit, humanae miseriae fugiendam, tum ad se subducendum ab humani fastus praestigiis.

Quibus de rebus Gentium Apostolus ita suae aetatis christianos hortabatur : *Nolite iugum ducere cum infidelibus. Quae enim participatio iustitiae cum iniquitates aut quae societas luci ad tenebrasi ... aut quae pars fideli cum infideli?*[40] Hanc ob causam qui in praesenti educatores praeceptoresque in Ecclesia agunt, eos necesse est catholicam iuventutem commonefacere praestantissimae condicionis suae, atque officii, quod inde nascitur, vivendi in hoc mundo, non autem ad huius mundi sensum, convenienter ad hanc precationem, a Christo Iesu pro discipulis suis factam: *Non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a malo: de mundo non sunt, sicut et ego non sum de mundo.*[41] Quam precationem asciscit sibi Ecclesia.

Nihilominus tamen huiuscemodi discrimen non idem significat atque disiunctionem ; neque neglegentiam declarat, neque metum, neque contemptionem. Etenim cum Ecclesia se ab hominum genere discernit, adeo huic non obsistit, ut potius cum eo coniungatur. Nam, haud secus atque medicus, qui, quoniam pestilitatis insidias novit, seipsum quidem aliosque

[39] *Ibid.* **6, 3-4.**
[40] **LT** *Cor.* **6, 14-15.**
[41] Io. **17, 15-16.**

a contagione prohibet, sed simul aegrotis sanandis studiosam dat operam, ita Ecclesia, non modo misericordiam ab optimo Deo sibi impertitam, per sui solius commodum impertitam esse non putat, neque, ob praeclaram suam condicionem, huius expertes sentit esse neglegendos; sed propter eam causam quod salutem ipsa accepit, idcirco propensiorem voluntatem amoremque vehementiorem confert cum erga eos qui proximi sint, tum erga eos, ad quos, per conatum omnes faciendi salutis consortes, adire possit.

Si revera Ecclesia, quemadmodum diximus, novit qualis ex Dei voluntate ipsa exsistat, tum in eam provenit singularis virium plenitudo; ad quam veluti adiunguntur sive necessitas ea in omnes infundendi, sive perspicua conscientia pariter mandati divinitus accepti, et nuntii quocumque vulgandi. Ex his videlicet initium capiunt et debitum Evangelii disseminandi, et officium docendi omnes gentes, et partes traducendi apostolicas curas in aeternam hominum salutem quaerendam. Profecto non est satis constanter in fide versari. Quamvis enim haud quidem sit dubium, quin veritatis et gratiae thesauri, hereditate nobis a christianae fidei patribus traditi, sint servandi integri atque tuendi, S. Paulo monente: *depositum custodi;*[42] tamen neque custodia, neque defensione plane explentur officia, quibus obstringitur Ecclesia erga data sibi dona. Quippe bona, a Christo Ecclesiae tributa, suapte veluti natura postulant, ut simul ea aliis subiciat, simul dispertiat inter alios; quandoquidem, ut palam est nobis, in eo nuntio: *Euntes ergo docete omnes gentes*[43] supremum continetur iussum a Christo Apostolis descriptum. Quorum nempe nomine delegatum officium designatur, quod nullo modo praeteriri potest. Ad Nos quod attinet, intimam huiusmodi caritatis impulsionem, quae eo tendit, ut in externum ipsa transeat donum caritatis, usitato iam nomine colloquium appellabimus.

Iamvero Ecclesiae in colloquium veniendum est cum hominum societate, in qua vivit; ex quo fit, ut eadem veluti speciem et verbi, et nuntii, et colloquii induat.

Cum futurum sit ut, quemadmodum pro explorato habetur,

[42] *I Tim.* 6, 20.
[43] MT. 28, 19.

Concilium ad hanc Ecclesiae peculiarem praecipuamque agendi rationem intendat cogitationes suas et studia, nolumus propterea huius generis argumentis parem dare operam, ne Concilii Patribus non sit integrum eadem distincte pertractare. Nobis hoc unum in animo est, Venerabiles Fratres, quaedam vobis ad meditandum proponere, antequam in tertiam Concilii sessionem coeatis; ut nimirum Nobis et vobis clarius pateat, quibus primum causis Ecclesia ad colloquium incitetur, quae deinde rationes sint sibi sequendae, quod denique sibi propositum-habeat. Voluntas namque Nostra hoc dumtaxat fert, ut animos cpmparemus, neque ullas quaestiones definite expediamus.

Nec, pro eo quod persuasum habemus huius exempli colloquium fore Nostro Apostolico officio consentaneum et proprium, Nobis est secus agendum; utpote qui vias et rationes pastoralis muneris sustinendi quasi hereditate a Decessoribus Nostris proximi saeculi acceperimus. Initio docemur a Leone XIII, Pontifice mira magnitudine et sapientia, qui, prudentem illum scribam imitatur in Evangelio laudatum, qui *similis est homini patri familias, qui profert de thesauro suo nova et vetera,*** cum dignitate repraesentato Apostolicae Sedis magisterio, totus incubuit ad quaestiones explicandas, quas recens aetas invexisset, nimirum Christi verbis adhaerescens. Docemur deinde ab eius Successoribus qui, ut in confesso est, eius vestigia sunt persecuti.

Nonne Decessores Nostri, imprimis autem Pius XI et Pius XII, veluti patrimonii loco, nobis praestantissimum doctrinarum thesaurum reliquerunt, quibus eo providenter nisi sunt, ut non recondita quadam ratione usi, sed linguae commercio nostri huius temporis proprio, divinas cogitationes cum hominum cogitationibus quodammodo coniungerent? Et quid aliud est huiusmodi apostolicum conatum, nisi certum colloquium? Ad hoc, nonne proximus Decessor Noster fel. rec. Ioannes XXIII, visus est fidenter et aperte agere, ut divinas veritates, quoad fieri posset, ad usum captumque hominum, qui nunc sunt, admoveret propius? Nonne Concilium ipsum ex eo, quod sibi proposuit, pastorali munere, illuc contendit iure meritoque, ut

christianus nuntius in cogitationes influat, in verba, in cognitiones, in mores, in sensa hominum, qui in terrarum orbe hodie vivunt et animis aestu ant? Antequam mundum ad fidem traducamus, immo vero ut traducamus, ad mundum oportet accedamus, cum eoque loquamur.

Quod attinet ad Nos tenuissimos, quamvis collibeat de Nobismetipsis tacere, aliorumque oculos in Nos neutiquam convertere, facere tamen non possumus quin, dum Nosmet ultro sive collegio Episcoporum sive christiano populo sistimus, consilium Nostrum aperiamus in eò perstandi incepto, in eoque conatu — si per exiguas vires Nostras licuerit, sique praesertim Dei gratia concesserit facultatem — ut reverenter, ut sedulo, ut amanter adeamus ad homines, inter quos Deus dedit ut viveremus. Adibimus scilicet ea mente homines, ut primum eorum animos intellegamus; ut tum iis veritatis et gratiae dona subiciamus, quorum Nos Deus constituit custodem- ut postremo eos divinae Redemptionis consortes faciamus et spei, quae inde est nobis iniecta. Haerent enim animo Nostro infixa ea Christi verba, quae per tenuem et constantem laborem Nostra facere velimus : *Non enim misit Deus Filium in mundum, ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.*[45]

En igitur tenetis, Venerabiles Fratres, quae sit huiusce colloquii excellentissima origo, in ipsius Dei mente posita. Suapte natura religio necessitudinem quandam flagitat inter Deum et hominem, quae precatione declaratur, utpote qua aliquod colloquium habeatur. Tum etiam revelatio — id est ratio superna, quam Deus ipse cum hominibus instauravit — quasi quoddam colloquium haberi potest, quo Verbum Dei sive per Incarnationem, sive in Evangelio loquitur. Colloquium paternum et sanctum inter Deum et homines, quod post miserum Adae casum abruptum erat, postea per aetates et tempora redintegratum est. Re enim vera historiae humanae salutis hoc longum et varium colloquium produnt, quod Deus mirifice/cum hominibus inchoat cum iisdemque multimodis protrahit. In huiuscemodi prorsus Christi inter homines quasi sermocinatione[46] aliquid Deus de se demonstrat, de suae vitae arcano,

[45] Io. 3, 17.
[46] Cfr. Bar. 3, 38.

de sua videlicet unica essentia, Personis trina. Simul autem significat, hinc qualis a Nobis agnosci velit, uti Amor plane; illinc qua ratione velit sibi et honorem et officium a nobis adhiberi, amorem certe ut nihil supra nobis imperans. Ad colloquium id genus, quod identidem fit crebrum et fiduciae plenum, cum puer vocatur, tum mysticis disciplinis initiatus homo, cuius animi vires eo sane explentur.

Hoc igitur nomine opus est nos veram huiusmodi et inenarrabilem colloquii consuetudinem intueri, quam Deus Pater, per Iesum Christum in Spiritu Sancto aperuit et nobiscum instituit: si modo nos, hoc est Ecclesia, intellegere cupimus, quaenam sit nobis cum hominibus ineunda atque intendenda necessitudo.

Itaque quoniam salutis colloquium primus ipse Deus coepit, quia *ipse prior dilexit nos*[47] oportet idcirco nos primi petamus cum hominibus colloquium, neque exspectemus dum alii ad colloquium nos vocent.

Cum salutis colloquium a caritate bonitateque Dei ortum sit, quia *sic Deus-dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret,*[48] necesse propterea est, nos nulla alia re nisi ferventi et sincero amore ad colloquium permoveri.

Ex eo quod colloquium salutis neque ad merita relatum est eorum quibuscum serendum esset, neque ad exitus, quos esset habiturum, siquidem *non egent qui sani sunt medico,*[49] proinde aequum est nostrum etiam colloquium neque circumscribi finibus, neque ad nostram utilitatem accommodari.

Adeo afuit ut quisquam vi cogeretur venire ad colloquium salutis, ut is magis amoris impulsione invitaretur. Qua invitatione, quamquam grave onus eius animo impositum est, ad quem pertinuit,[50] relicta tamen est ipsi potestas aut veniendi ad colloquium, aut illud fugiendi; quin immo Christus sive miraculorum numerum,[51] sive eorumdem vim probativam cum ad condiciones tum ad voluntatem audientium aptavit;[52]

[47] *I Io.* 4, io.
[48] Io. 3, 16.
[49] Lc. n. 31.
[50] Cfr. MT. 11. 21.
[51] Cfr. *Ibid-.* 12, 38 ss.
[52] Cfr. *Ibid.* 13, 13 ss.

eo nimirum consilio, ut iidem iuvarentur ad libere assentiendum divinae revelationi, neque exinde suae assensionis praemio carerent. Eodem modo munus Nostrum, quamvis veritatem certam et salutem necessariam nuntiet, nullam tamen praeferet externae coercitionis rationem; immo contra, legitimas vias humanae comitatis, intimae persuasionis, communisque colloquii inibit; atque salutis donum praebebit, uniuscuiusque sive privati hominis sive civis salva libertate.

Quia salutis colloquium omnibus ad unum patuit, ad omnesque nullo discrimine spectavit,[53] ideo colloquium nostrum, quoad possimus, oportet sit universale, hoc est catholicum, omnibusque aptum, extra eos qui aut illud prorsus fugiant, aut ementiantur se illud accipere velle.

Quia salutis colloquium, antequam plane succederet, plerumque et parva habuit initia, et gradus processusque accepit subsequentes,[54] propterea decet nos ad colloquium vocantes, ut hominum ita temporum tardas intueri progressiones, et horam exspectare, qua illud Deus fructuosum efficiat. Neque tamen hanc ob causam in crastinum nos id reiciemus, quod hodie ad finem perducere possumus. Par enim est, nos tum in sollicitudine esse de horae opportunitate, tum de magno temporis pretio, ut oportet, sentire.[55] Hodie, hoc est cotidie, colloquium nostrum redintegrandum est; et quidem prius a nobis quam ab iis, ad quos dirigatur.

Etenim, ut cuique manifestum est, consuetudines inter Ecclesiam et hominum societatem multis diversisque modis effici ipsae possunt. Si rem dumtaxat ratione existimamus, potest Ecclesia eo consuetudines huius generis minuere quo non minus, hoc animo ut certe semetipsam a profanorum hominum societate cohibeat; potest illud sibi proponere, ut mala per eandem serpentia anquirat, eaque publice exsecretur, et quasi sacro bello suscepto insectetur; potest contra, ad profanam societatem eatenus accedere, ut ipsa conetur si aut potentia praeponderet, aut Dei nomine dominetur; et alia generis eiusdem. Attamen videtur Nobis posse Ecclesiam, aliis

[53] Cfr. *Col.* 3, 11.
[54] Cfr. MT. 13, 31.
[55] Cfr. *Eph.* 5, 16.

sibi non praeclusis rationum modis, tales cum hominum genere necessitudines coniungere, quae verius colloquii naturam praeferant; quod quidem hinc non sit univocum, illinc sit consentaneum sive cum eorum ingenio, cum quibus sermo nobis est conferendus, sive cum rerum adiunctis; aliud enim cum pueris est colloquium, aliud cum adultis; aliud cum iis qui in Christum credunt, aliud cum iis qui in illum non credunt. Quod profecto exigunt: primum mos, qui tam late manavit, hoc modo intellegendi rationes inter sacra et profana; deinde incitatus agendi cursus, qui tantopere humanae societatis faciem, quae aetate nostra est, commutavit; tum plures eiusdem societatis significationes; postremo maturitas, ad quam venit nostri huius temporis homo; qui, sive religionem ipse colat, sive neglegat, civili tamen cultu idoneus factus est ad cogitandum, ad loquendum, ad colloquium cum dignitate serendum.

Insuper qui huius necessitudinis genus adiungit, ex altera parte esse sibi statutum ostendit, ut et urbane agat, et magni aestimet alios, et benevolentiam bonitatemque erga alios declaret; ex altera abhorret a praeiudicatis aliorum vituperationibus, a contentionibus iniuriosis et passim excitatis, denique a quovis inani colloquio, ostentationis causa, petendo. Quodsi ipso colloquio ad id non spectamus, ut ad veram religionem is statim adducatur, quocum colloquimur, quippe cuius dignitati libertatique parcere velimus, tamen, cum eius quaeramus utilitatem, animum eius exoptamus ad pleniorem sensuum et opinionum communionem componere.

Quam ob rem colloquium in nobis eiusmodi mentem requirit, quam in iis parere alereque velimus, qui circa nos sunt: mentem dicimus illius propriam, qui quam grave sit apostolicum mandatum sentiat;qui autumet se non posse suam .ab aliorum salute seiungere; qui denique in eo curas continenter defigat, ut nuntius, qui sibi concreditus est, in communem omnium hominum sermonem permanet.

Itaque colloquium quasi ratio quaedam est putandum apostolici obeundi muneris, atque animorum iungendorum veluti instrumentum. Illud autem has habere proprietates, quae pone succedunt, oportet. Primum omnium *perspicuitate* colloquium praestare aequum est; cum id postulet atque effiagitet,

ut quid dicatur, ab eo qui audit plane intellegi possit; cum idem cogitationum tamquam transfusio habendum sit; cum fere invitamentum sit ad animi mentisque praecipuas virtutes explicandas atque excutiendas. Quae proprietas una per se ipsa sufficit, ut colloquium in numero ducatur praestantissimorum earum rerum, quas hominum sollertia et eruditio efficiunt; simul prima haec colloquii necessitas sufficit, ut, quicumque apostolica alacritate movemur, nostri sermonis formas recognoscamus, sintne videlicet necne intellectu faciles, captui populi aptae, politaeque. Deinde colloquium nostrum necesse est ea *lenitas* comitetur, quam Christus ut a se ipso disceremus hortatus est: *discite a me, quia mitis sum et humilis corde;*[56] quandoquidem indecorum est colloquium nostrum superbia tumere, aculeata usurpare verba, alios acerbe laedere. Ab eo auctoritatem ipsum repetit, quia verum declarat, quia caritatis dona disséminât, quia virtutis exempla supponit, quia iussis non utitur, quia nihil iniungit. Idem adhuc pacatum est, rationes respuit immoderatas, contraria tolerat, ad liberalitatem inclinat. Tum *fiducia* opus est, praeterquam in sermonis cuiusque sui virtute, in alterius etiam voluntate admittendi alterius verba. Quocirca colloquium pariter mutuam fovet familiaritatem et amicitiam, pariter colloquentium animos iungit ad assentiendum Bono illi, quod sane nullius consilium recipit omnia in commodum sui trahendi. Postremo colloquium *prudentiam* educandi postulat, quae diligentissime expendit quaenam sint audientis affectiones animi et honestas,[57] quaeve eius condiciones: utrum scilicet puerulus sit, an imparatus, an suspiciosus, an inimicus. Qui autem loquitur, in eo laborat, ut audientis animi sensus cognoscat ut, si ratio id flagitaverit, aliquid de se immutet, deque rerum a se exponendarum modis; ne umquam audienti vel ingratus vel obscurus fiat.

In colloquio, quod tali provisione seratur, veritas cum caritate, intellegentia cum amore copulantur.

Neque haec satis. Nam in colloquio facile perspicitur variis viis ad lumen fidei perveniri posse, ipsasque in unum eun-

[56] MT. 11, 29.
[57] MT. 7, 6.

denique finem posse confluere. Quae viae, etiamsi devcrtuntur, possunt tamen aliquando alia aliam complere, et ratiocinationem nostram de communi semita aliquatenus deducere; ita ut quandoque cogamur vel nostras investigationes altius explorare, vel dicendi genus in melius convertere. Ac vero lenta huiusmodi quasi exercitatio cogitandi illud praestabit, ut in ipsis aliorum sententiis elementa quaedam veritatis inveniamus; ut quod alios docere velimus magna fide exponamus ; ut denique in nostra laude poni possit, quod doctrinam nostram sic aliis proposuerimus, ut non modo eidem, si velint, respondere possint, sed etiam eam sensim combibere. Quod nos efficere profecto sapientes poterit itemque magistros.

Deinceps quasnam colloquio salutis formas figurasque explicandi tribuamus?

Sane multiplices; utpote quod experimenta, si opus sit, admittat; subsidia sibi opportuna exquirat; nullis praeiudicatis opinionibus praepediatur; in dicendi genere neutiquam haereat infixum, quod sua ipsum vi iam careat, neque iam hominum animos permoveat.

Iamvero exsistit hoc loco quaestio gravis : quo modo Ecclesiae munus sit hominum vitae accommodandum, certo quodam tempore, certo quodam loco viventium, certo quodam vigente sive communis eruditionis sive rerum socialium statu.

Quousque oportet Ecclesia se ad rerum temporumque rationes conformet, in quibus sua munera gerat? Quomodo sibi ipsa praecaverit, ne pericula relativismi, quem vocant, fidelitatem suam erga sua dogmata suasque morales praeceptiones labefactent? At igitur qua ratione evadat ipsa idonea ad omnes homines adeundos, ad omnesque salute donandos, de Paulo Apostolo capto exemplo, qui de se scribebat: *omnibus omnia factus, ut omnes facerem salvos?*[58] Quoniam hominum coetui nulla salus afferri extrinsecus potest, opus est utique, ut primum, non secus atque Verbum Dei, quod seipsum fecit hominem, eorum vitae formas induamus, quibus Christi nuntium delaturi sumus; opus est deinde ut, nullo nobis dato praecipuo iure, nulloque interiecto perplexi sermonis discrimine, in communem aliorum morem, dum tamen sit humanus et ho-

[58] *I* Cor. 9, 22.

nestuSj abeamus: in morem praesertim minimorum, si modo illud consequi volumus, ut alteri nos et audiant et intellegant; opus est deinde ut, antequam loquamur, multum operae hominis voci, quin potius animo audiendo demus, utque postea hominem non tantum intellegamus et observemus, verum etiam quantum fieri possit, eius voluntati obsequamur; opus est deinde, ut ea re quod hominum pastores, patres et magistri esse cupimus, idcirco eorum fratres agamus. Colloquium enim cum amicitia, tum vero adhibita officia maximopere aiunt. Quae omnia, ex praeceptis et exemplis Christi, necesse est nos memoria aeque tenere et ad effectum adducere.[59]

Atqui periculum manet, utpote cum apostoli qui munera obeat, in periculo versetur passim. Profecto fratrum adeundorum sollicitudo eo nos nullo pacto moveat oportet, ut veritatem vel extenuemus, vel de ea aliquid imminuamus; cum hinc colloquium nostrum nulla ex parte possit officii remissionem recipere fidei nostrae servandae, hinc apostolica opera nostra haudquaquam possit mediis et incertis consiliis componere et transigere praecepta quae, re et ratione, christianae fidei professionem et definiunt et moderantur. Nam irenismus et syncretismus, quos nominant, nihil aliud significare ad ultimum videntur, nisi scepticismi modos, sive quoad vim sive quoad rem verbi Dei, quod nuntiare nobis animus est. Is enim unus efficaciter apostoli munus praestabit, qui cum omni fide Christi doctrinam servet. Itemque ille potest unus se ex errorum, qui serpunt, contagione vindicare, qui omnino in suos transferat mores christiana praecepta, quae profiteatur.

Opinamur quidem Concilium Oecumenicum, quaestiones pertractans ad Ecclesiam pertinentes quatenus in humana consortione nostrorum temporum operatur, magisterio suo nonnullas traditurum esse normas, sive quoad doctrinam sive quoad usum, aptas ad recte serendum colloquium cum hominibus huius aetatis. Pari etiam modo arbitramur, cum res attineat ad munus Ecclesiae apostolicum, quod proprie vereque dicitur, et ad varias ac mutabiles condiciones, in quibus illud exercetur, supremam eiusdem Ecclesiae auctoritatem sapienter efficaciterque certos fines, normas, vias, prout casus ferat, esse constitutu-

[59] Cfr. Io. 13, 14-17

ram, eo consilio ut colloquium eiusmodi vivax et fructuosum continenter reddatur.

Hoc tamen argumento seposito, iterum monere volumus de summo momento, quod verbi divini praedicatio servat et his potissimum temporibus accipit in apostolatus catholici provincia, scilicet quatenus ad colloquium illud spectat, quod nostra nunc interest. Pro ea enim nulla alia ratio pervulgandi cogitata, licet ob technicorum inventa, scripta edita, instrumenta radiophonica ac televisifica adhibita singulari vi et efficientia praedita sit, potest substitui. Iamvero apostolatus et sacra praedicatio idem fere valent ; primaria vero apostolatus forma est praedicatio. Ministerium igitur nostrum, Venerabiles Fratres, imprimis est ministerium verbi. Quod, quamvis a nobis comprensum habeatur, in praesenti tamen in memoriam revocandum esse videtur, ea mente ut actio nostra pastoralis ad rectum finem dirigatur. Redeundum igitur est ad studium non quidem humanae eloquentiae vel inanis rhetorices, sed germanae artis verbi divini annuntiandi.

Praecepta oportet requiramus ex quibus ea fiat simplex, perspicua, vehemens, gravis, ut naturalem imperitiam, qua in tam celsi et arcani subsidii, id est verbi divini, usu praepedimur, exuamus, et ut nobili certatione eos aequemus, quotquot arte dicendi his temporibus nostris maximum pondus habent, utpote quibus datum sit loqui ubi publica hominum opinio fingi tur. A Domino ipso flagitandum est tam grave animosque pelliciens donum,[60] ut digni simus, a quorum opera fides reapse et efficaciter initium sumat,[61] et nuntius noster ad fines orbis terrarum pertingat.[62] Quae igitur Constitutione Concilii de sacra Liturgia circa ministerium verbi praescribuntur, ea studiose sciteque exsequantur. Catechesis quoque, populo christiano aliisque, ut fieri potest, tradenda, semper peritia sermonis, apta ratione et via, Usu assiduo commendetur ; confirmetur verarum virtutum testimonio ; nitatur ad progressus faciendos ; curetque ut audientes ad certam fidem perducantur, et ad noscendam

[60] Cfr. *Ier. 1,* 6.
[61] Cfr. *Rom.* 10, 17.
[62] Cfr. *Ps.* 18, 5 ; *Rom.* 10, 18.

convenientiam verbi divini cum vita hominum atque ad aliquantulum divini luminis dispiciendum.

Ii demum sunt significandi, cum quibus colloquium nostrum habeamus, sed nolumus, ad hoc etiam quod attinet, Concilii consulta antevertere; quae, si Deo placuerit, brevi innotescent.

Universe autem de colloquendi munere agentes, in quod Ecclesia, novo studio impulsa, his temporibus oportet accendatur, illud tantum iuvat monere eam paratam esse debere ad sociandum sermonem cum omnibus hominibus bona voluntate praeditis, sive intra limina ipsius sunt sive extra.

Neminem enim a materno animo suo putat alienum; neminem ad suum ministerium non pertinere arbitratur; nemo ei est inimicus, nisi quis ipse ei velit adversari; non frustra appellatur catholica; non in cassum ei officium creditum est in hominum familia unitatem, amorem, pacem fovendi.

Ecclesia praegrave pondus tanti muneris nequaquam ignorat; immo probe novit, quanta sit, si numerorum ratio ducitur, inaequalitas inter ipsam et homines terram incolentes; perspectum habet quantum niti possit; agnoscit etiam suas infirmitates suorumque membrorum errata ; id praeterea sibi persuasum habet non in nisu quodam apostolico, non in opportunitate huius vitae positum esse, ut evangelicus nuntius accipiatur; siquidem fides est donum Dei, qui solus in mundo ordinem tempusque salutis praestituit. Scit tamen Ecclesia se esse veluti semen, fermentum, sal et lucem mundi. Singularem novitatem huius aetatis nostrae animadvertens quidem, ea simplici cum fiducia inter rerum vicissitudines progreditur et homines ita quasi affatur : penes me ea sunt quae quaeritis, quibus indigetis. His autem verbis non terrenam felicitatem pollicetur, sed opem porrigit, lucem dicimus et gratiam, qua ad illam, quo melius fieri potest, perveniatur ; atque homines de vita futura, quae naturam exsuperat, docet. Cum iis etiam de veritate, iustitia, libertate, rerum progressione, concordia, pace, cultu civili sermocinatur. Quarum rerum reconditam vim Ecclesia optime novit, quippe cui a Christo ea sit patefacta. Ita fit, ut Ecclesia habeat, quod singulis hominum generibus nuntiet: pueris puellisque, adulescentibus, iis qui doctrinis sunt eruditi et ingenio florent, qui ad opus faciendum incumbunt et sociales efficiunt ordines, qui in artibus et in publica re ver-

san tur; maxime autem pauperibus, a fortuna derelictis, dolore vexatis atque etiam morientibus: ut uno verbo dicamus, omnibus.

Dixerit quispiam, haec asserentes nos nimio studio nostri muneris ferri, nec satis perpendere, quo loco revera sit, respectu Ecclesiae catholicae, societas hominum. Quod non ita se habet, siquidem veras eius condiciones plane cognitas habemus. Quas ut summatim comprehendamus, in genera, ut nobis videtur, dividere possumus, quasi orbes circum centrum ductos, in quo manus divina nos collocavit.

Immensus imprimis circulus patet, cuius fines oculis terminari nequeunt et in prospectus longinquitatem abeunt; agitur scilicet de universa humana consortione, de mundo. Quanto spatio hic a nobis absit, recte quidem aestimamus, sentimus tamen eum non esse a nobis alienum. Quidquid est humanum, nostra interest. Communis enim cum tota gente humana nobis est natura, seu vita, cum omnibus muneribus, quibus locupleta tur, et cunctis, quibus premitur, difficultatibus. Parati sumus hanc primariam consortionem universalem participare, ea quae praecipue eius necessitates impensius postulant, admittere, nova et interdum altissima, quae eius ingenia pepererunt, plaudendo comprobare. Nos vero veritates morales maximi momenti omnibusque salutares in medium proferimus et in hominum conscientiis confirmamus. Ubicumque homines se ipsos et mundum intellegere student, commercium cum iis possumus habere; ubicumque populorum coetus sunt congregati ad constituenda iura et officia hominis, libenter in iis, cum licet, considimus, idque honori nobis ducimus. Quodsi in homine *anima naturaliter christiana* inest, eam revereri volumus et observare et colloqui cum ea.

Nos autem ipsos ceterosque omnes monemus, hanc voluntatem nostram et propriae utilitatis cupidine prorsus carere, siquidem nulla commoda politica vel temporalia affectamus, et eo pertinere, ut, quidquid honesti in humanis terrenisque rebus perficitur, accipiamus, seu ad gradum evehamus supernaturalem atque christianum. Ecclesia enim non aequatur cum cultu civili, est tamen eius fautrix.

Verum haud ignoramus in amplissimo hoc circulo multos, immo, pro dolor, plurimos reperiri, qui nullam religionem pro-

fiteantur; non paucos etiam scimus asserere se Deum negare, secundum multiplices quidem rationes. Nec nos latet nonnullos impietatem hanc suam palam ostendere atque ut institutum humanae educationis artisque politicae propugnare, quippe qui inepte et exitiabiliter sibi persuaserint se homines ab obsoletis falsisque opinionibus de vita et mundo liberare, substituentes pro iis, ut dictitant, sententias e doctrinis haustas et progredienti huic aetati consentaneas.

Haec res profecto gravissima est earum, quae nostris contingunt temporibus. Pro certo autem habemus placita, quibus negatio Dei nitatur, esse natura sua falsissima, non congruere cum iis, quae mens ut ultima et necessaria requirit, rationalem ordinem mundi veris et efficacibus fundamentis destituere, in vitam humanam inducere non iudicium aptum ad solvendas quaestiones, sed inane quoddam dogma eam dehonestans et affligens et quemvis ordinem socialem radicitus comminuens, qui eo contineatur. Non igitur causa est liberationis, sed casus funestissimi origo, eo spectantis ut restinguatur lumen Dei viventis. Quamobrem ingruenti huius negationis malo omnibus viribus obsistemus, veritatis tuendae potissimo studio ducti, sanctissimo conscientiae officio moti, ex quo Christum eiusque Evangelium fidelissime nos oportet confiteri, flagranti nec umquam deponendo amore impulsi, quo humanae consortionis fortunas curemus; id ipsum agemus, invicta etiam spe erecti fore, ut mortales, qui nunc sunt, religionis forma, quam catholica fides proponit, se compelli sentiant ad persequendum cultum civilem, qui deficit numquam, sed ad naturalem et supernaturalem progreditur perfectionem animi humani, idonei, divinae gratiae munere, ad possidenda pacifice honesteque bona temporalia et in fiduciam proclivis potiendorum bonorum perennium.

Has ob causas cogimur, quemadmodum Decessores Nostri coacti sunt et quotquot religionis praestantiam et momentum cordi habent, opinionum commenta, quibus Deus negatur et Ecclesia opprimitur, reprobare; quae quidem placita cum publicae moderationis forma oeconomica, sociali et politica saepe cohaerent, ut maxime in communismo atheo accidit. Dicere licet non tam nos ea instituta damnare, quam ipsa et publicae rei moderatores, eadem sequentes, nobis circa doctrinam plane

refragari, nosque vi opprimere. Re quidem vera, nostra haec deploratio potius est existimanda afflictorum hominum questus, quam sententia iudicum.

Quo in rerum statu difficile cogitari quit de colloquio, ne dicamus id haberi non posse, quamvis animus noster, hodieque nulla praeiudicata opinione impeditus, minime homines a se submoveat, qui ab illa sunt disciplina et eiusmodi publicae moderationis formis addicti. Ei qui diligit verum, semper integra est disputatio; tamen difficultates immensum augescunt propter ea quae ob moralem obstant rationem, eo quod sufficiens in iudicando et agendo deest libertas et in disserendo pravus usus fit verborum, quae non ad investigandam et exprimendam veritatem, ut se habet, adhibentur, sed propriae utilitati consulto iubentur servire.

Hac de causa, loco colloquii, silentium habetur. Ut exemplum afferamus, Ecclesia, quae a silentio nomen accepit, tacet, cum solum cruciatus eius loquantur, qui iis iunguntur quos hominum societas oppressa et abiecta perpetitur, scilicet ubi animi iura obruuntur potestate eorum qui ei imperant. Si autem disputationem ingrederemur, quomodo in tali rerum condicione seri possent colloquia? Haec scilicet non essent nisi *voce clamantis in deserto.*[63] Solum silentium, vox doloris, patientia et caritas numquam deficiens fiunt testimonium, quod Ecclesia dare potest et ne mors quidem infringere.

Quodsi religionem et bona animi humani, quae ea profitetur ac fovet, firmiter et candide obtinemus atque defendimus, tamen pro pastorali sollicitudine in mente atheorum huius aetatis abditas causas oportet deprehendamus, ob quas conturbantur Deumque esse negant. Eas implicatas et multiplices esse facile intellegimus, ita ut prudenter de iis sit iudicandum eaedemque efficacius refutandae; nonnumquam inde oriuntur, quod poscitur, ut ordo rerum divinarum altiore purioreque ratione proponatur quam ea, quae in quibusdam imperfectis sermonis cultusque modis invaluit; quos ut emendatiores magisque perspicuos reddamus, pro viribus studendum est nobis, quo satius sacra, quorum sunt indicia, explicent. Animadvertimus eos, sollicito quodam studio eoque saepe nobili ductos simulque

[3] **Me i, 3.**

animi ardore commotos et vanarum rerum cogitatione inflammatus, iustitiam ac rerum progressionem somniare atque in sociali disciplina ad ea quae optima sibi ac veluti divina videntur, coniti. Haec quidem apud ipsos vicem supplent eius, quod Absolutum et Necessarium est, ac documento sunt, eosdem illo, quod ex animis evelli nequit, desiderio Principii et Finis superni teneri; quae omnia nos, sacrum magisterium patienter sapienterque obeuntes, hominum naturam transcendere et immanentia esse doceamus oportet. Eos item cernimus accurate uti, interdum non sine simplicioris mentis incitatione, adiumentis ratiocinationis humanae eo consilio ut de mundo universo notionem a scientia profectam comparent sibi. Quae inquisitio eo minus potest improbari quo magis in cogitando artis logicae sequitur vias, saepe haud dissimiles iis, quae in scholis ex optima disciplina traduntur; eadem vero, invitis iis ipsis, qui ad atheismum defendendum hoc modo subsidium certissimum arbitrantur se in venisse, vi sua intima impellit, ut ad summum Deum, ad metaphysicae ac logicae doctrinae rationem, rursus ac definite agnoscendum procedatur. Quis ex nobis hunc necessarium ratiocinandi ordinem, quem consulto homo *atheus-politicus-scientia eruditus* quodam loco sistit, lumen exstinguens supremum quo universum possit intellegi, non adiuvet efficiatque, ut tandem perveniatur ad eam notionem veritatis obiectivae universi cosmici, qua animus praesentia divina percellatur et os singultim humilia proferens verba faustas fundat preces? Interdum vero eos, mentis quadam magnitudine ornatos atque mediocritatis et cupidinis proprii commodi impatientes, quibus tot partes societatis humanae temporibus nostris inquinantur, videmus dicendi modos et sententias de Evangelio nostro deprompta callide usurpare ad significandam hominum necessitudinem mutuumque auxilium et miserationis affectum : nonne huiusmodi voces, quibus bona moralia significantur, olim poterimus ad ipsos fontes, christianos videlicet, revocare?

Iuvat igitur ea memorare, quae Ioannes XXIII, Decessor noster fel. mem., in Encyclicis Litteris, a verbis *Pacem in terris* incipientibus, scripsit, scilicet formulam disciplinae eorum qui ita sentiant, postquam exarata sit et constituta, iam non mutari, ipsa tamen incepta eorumdem posse gradatim alio

converti ac mutationibus etiam permagnis obnoxia esse;[64] qua de causa non desperamus, eos quondam cum Ecclesia in colloquium posse venire, fructuosius sane quam id quod nostra habetur aetate, et quo nihil aliud significatur quam debita improbatio nostra et questus.

Sed antequam mentem a contuendo mundo, qui nunc est, avertamus, facere non possumus quin suavissimum concipiamus votum: percupimus nempe ut propositum nostrum hoc habendi colloquium et incrementis provehendi secundum varios et mutabiles, quos praefert, modos, ad pacem inter homines stabiliendam valeat: quatenus videlicet colloquium eam instat viam, qua rationes inter homines intercedentes ad prudentiae et sinceritatis normam dirigantur, et quatenus utilitates experientiae et sapientiae affert, quibus omnes ad praestantissima bona superna consideranda revocentur. Colloquium ergo nostrum, quod ingredimur, quodque ad nostra ipsorum commoda minime spectat, ab omni opinionis arbitrio est seiunctum, ex aperto profluit animo, natura sua paci liberae et honestae favet; abhorret a simulatione, ab aemulatu, a fraude et insidiis; notat, ut scelus et calamitatem, bellum, quo populus aliquis lacessitur vel quod imperii amplificandi aut dominationis exercendae causa suscipitur; ac necessario ad humanam pertinet coniunctionem, quae obtinet in summa nationum parte, in earum corpore, in earum veluti fundamentis prout'sive ordines societatis sive familiae sive singuli spectantur, idque contendit, ut cuncta instituta et omnium animos ad intellectum amansque studium ^pacis eiusque servandae officium adducat.

Circa nos deinde circulum itidem amplissimum prospectamus, qui a nobis est minus longinquus. Eo imprimis homines comprehenduntur, qui Deum unum et summum adorant, quem nos quoque colimus. Mentionem scilicet inicimus de filiis gentis Iudaeae,, reverentia et amore nostro sane dignis, qui eam retinent religionem, quam Veteris Testamenti propriam esse dicimus; deinde de iis, qui Deum adorant religionis forma, quae monotheismus dicitur, maxime ea qua Mahometani sunt astricti; quos propter ea quae in eorum cultu vera sunt et probanda, merito admiramur; ac demum de sectatoribus amplarum religio-

[64] Cfr. *A.A.8.* LV, 1963, p. 300.

num Africanarum et Asiaticarum. Liquet nos variis hisce religiosi cultus rationibus non posse assentiri, neque esse neglegentes et incuriosos quasi cunctae, suo quaeque modo, sint eodem loco habendae et quasi ii qui illas profitentur, sinantur non inquirere, num Deus modum ab omni errore immunem ac certum ipse revelaverit, quo cognosci velit, amari, ministrari. Quin immo, sinceritatis officio ducti, ea quae nos credimus, oportet manifestemus, videlicet veram religionem esse unam eamque esse christianam, atque spem habeamus fore ut ab omnibus, qui Deum quaerant et adorent, ut talis agnoscatur.

Nolumus tamen reverenter non respicere bona spiritualia et moralia, quae in variis religionibus, christiano nomine non insignibus, insunt; una enim cum iis provehere iuvat ac tueri alta et praeclara, quae in campo libertatis religiosae, fraternitatis humanae, eruditionis ac doctrinae, beneficientiae socialis et ordinis civilis sunt communia. Quod ad haec magna attinet, quae nobis sunt cum illis consociata, colloquium a nobis poterit fieri, neque omittemus, quominus eius copiam demus quotiescumque, mutua sinceraque reverentia servata, benevole, accipietur.

En autem circulus propior nobis, quo ii continentur, qui a Christo appellationem traxerunt. In hac regione iam habetur collocutio, quae oecumenica vocatur, et quibusdam in partibus feliciter progredi coepit. De hoc argumento implicato deque multae prudentiae re copiosius quidem est disserendum; institutus autem hic sermo noster non deponetur. Cui in praesenti eum tantum modum adhibemus, ut pauca quaedam eaque non ignota cursim attingamus. Libenter hoc sequemur institutum ex quo ante ea, quae omnium sunt communia, in lucem proferantur quam ea, quae dividunt, commonstrentur. In hoc enim egregie utiliterque versatur colloquium nostrum; quod persequi ex animo sumus parati. Sed etiam maiora libet affirmare: scilicet circa plura ad differentias pertinentia, veluti ad traditionem, pietatis formas, leges canonicas, Dei cultum, promptos nos esse ad perpendendum, quomodo legitimis optatis fratrum a nobis adhuc seiunctorum obsecundare possimus. Nihil enim antiquius habemus quam ut eos in perfecta unitate fidei et caritatis complectamur. Verumtamen asseverare debemus, non esse

in nostra potestate positum, ut de integritate fidei et caritatis officiis quidquam detrahamus. Perspicimus quidem, ad haec quod spectat, quosdam diffidere ac repugnare; sed Ecclesia catholica, quandoquidem sua sponte consilium cepit unum Christi ovile restituere, non desinet maxima uti prudentia et consideratione; non desinet confirmare praerogativas, ob quas fratres extra eius limina degentes ab ea sunt adhuc alieni, non ex ambitione, in memoria rerum gestarum nisa, vel ex insana quadam indagatione theologica manasse, sed ex voluntate Christi; easque, si vera ipsarum vis ponderetur, omnibus prodesse, nempe communi unitati, communi libertati, communi plenitudini vitae christianae conducere. Ecclesia catholica, preces fundendo et paenitentiam agendo, se ad optatam reconciliationem idoneam dignamque reddere numquam desistet.

Qua in re dolor haeret animo Nostro, quod multi fratres ab Apostolicae Sedis communione seiuncti opinantur, Nos ipsos, qui reconciliationi favemus, huic esse impedimento propter primatum honoris et iurisdictionis, quem Christus Petro Apostolo tribuit et Nos per successionem ab eo accepimus. Nonne sunt qui dicunt, ablato Romani Pontificis primatu, Ecclesias seiunctas posse cum Ecclesia catholica in unum corpus facilius coniungi? Obsecramus igitur fratres a nostra communione segregatos, ut considerent quomodo eiusmodi opinatio vero careat fundamento, non solum propterea quod sine Pontifice Maximo religio catholica iam non esset talis, sed etiam quod, si in Christi Ecclesia Petri munus pastorale summum, efficax, decretorium deesset, unitas dissolveretur. Hanc autem in cassum aliquis conaretur restituere, rationes secutus, quae pro vera norma a Christo tradita essent substitutae; merito enim ait S. Hieronymus: *tot in Ecclesia efficerentur Schismata quot sacerdotes*[65] Id etiam monere volumus, hunc praecipuum veluti cardinem sanctae Ecclesiae non esse supremam auctoritatem superbia spirituali tumentem vel humanae dominationi inhiantem, sed primatum famulatus, ministerii, amoris. Non inanis igitur funditur sonus, cum Christi Vicario inditur nomen quo appellatur *servus servorum Dei.*

Itaque huc nostrum colloquium spectat; quod priusquam

[65] Cfr. *Dial, contra Luciferianos,* n. 9; PL. 23, 173..

fiat sermonis communicatio cum fratribus, pium efficitur commercium cum Patre caelesti, impensa cum precatione, bona cum spe.

Laeti fidentesque animadvertimus, Venerabiles Fratres, variae huius et amplissimae regionis christifideles spirituali quodam ardore incitari, qui futuras secundasque praenuntiare videtur progressiones huius negotii, quod in eo vertitur, ut christiani universi in una Christi Ecclesia componantur. Spiritum Sanctum deprecamur, ut oecumenicis affiet inceptis; iterumque libet declarare, quantopere animus Noster sit commotus, quanto gaudio affectus congressu illo, caritatis pleno spemque novam inciente, qui Hierosolymis Nobis fuit cum Athenagora Patriarcha. Observanter grateque eos consalutamus, qui, nomine Ecclesiarum a Sedis Apostolicae communione seiunctarum, Concilio Oecumenico Vaticano II intersunt. Rursus confirmamus, Nos vigil ac religiosum studium conferre ad res omnes spirituales, quae cum quaestione de unitate copulatae sunt conexaeque, quibusque homines singuli, coetus, communitates, flagranti gravique pietate illustres, moventur. Cunctis iis christianis cum caritate ac reverentia dicimus salutem, fore confisi ut, praesertim sincero amantique animo serendis colloquiis, causa Christi et unitatis, qua ipse Ecclesiam suam voluit vigere, provehatur.

Extremum, colloquium nostrum ad filios pertinet, qui in domo Dei sunt, hoc est in Ecclesia una, sancta, catholica et apostolica, cuius Romana Ecclesia est *mater et caput.* O quam velimus domesticum huiusmodi colloquium et plenitudine fidei, et caritate, et sanctis operibus oblectari! Quam crebrum et familiare illud esse velimus! Quam patens apertumque omnibus veritatibus, omnibus virtutibus, omnibusque animi bonis, quibus christianae hereditas doctrinae continetur! Quam sincerum, idemque ingenua pietate incitatum! Quam promptum ad varias nostri huius temporis hominum voces audiendas! Quam aptum postremo ad catholicos homines plane bonos efficiendos, prudentes, liberos, aequabiles, fortes!

Quodsi optandum est, ut intimae Ecclesiae necessitudines eo sensu imbuantur, qui inter se colloquentes socios eiusdem communitatis deceat, cuius quidem caritas est fundamentum, nihil tamen de oboedientiae virtute derogandum est, cum sive

recta cuiusvis societatis compositio, sive maxime sacrae auctoritatis ordo, qui in Ecclesia viget, omnino hinc imperandi ius, illinc obtemperandi officium postulent. Enimvero in Ecclesia potestas a Christo est constituta, ipsius vice fungitur, est eius verbi veluti publicum instrumentum, tantique Pastoris repraesentat amorem. Ex quo sequitur, ut oboedientia a fide proficiscatur, in palaestram vertatur evangelicae humilitatis, et eum qui pareat participem faciat sapientiae, unitatis, optimi exempli, caritatisque, quibus Ecclesiae corpus regitur. Sequitur praeterea, ut et qui iussa iniungit, et qui iussa facit, uterque laudem sibi colligat imitantis Christum, qui est *factus oboediens usque ad mortem.*[66]

Huc accedit quod, in huiusmodi collocutionis causa, ipsa potestatis exercitatio in oboedientiam transit; si tamen qui praeest conscius est, se veritatis caritatisque operam et officium in oboedientem conferre. Oboedientiam autem statuimus esse cum normarum canonicarum conservationem, tum obsequium legitimo praeposito impensum; dummodo duo haec alacri et aequo animo praestentur, quemadmodum liberos et amantes filios decet. Siquidem liberiores spiritus, invidae obtrectationes, contumacia et arrogantia ab ea prorsus dissident caritate, quae nimirum in Ecclesia mutuam coniunctionem, concordiam ac pacem alit fovetque; quin etiam vitia illa colloquium in altercationem vertunt, in discidium, in simultates: spectaculum sine dubio iniucundum, quod tamen, pro dolor, nonnumquam praebetur, contra hanc Pauli monitionem: *non sint in vobis schismata.*[67]

Profecto cupimus vehementer, ut colloquium illud, quod iamdiu in ipso Ecclesiae gremio seritur, novo ardore inflammetur, nova sumat argumenta tractanda, novos evocet colloquentes; ut videlicet vigor et sanctimonia augeantur Mystici Corporis Christi, hisce in terris viventis. Quamobrem quaecumque ad praecepta pervulganda valent; quorum Ecclesia est custos et administra, iis omnibus sine ulla dubitatione a Nobis favetur. Cumque supra iam intimam animi vitam, ad liturgiae sensum agendam, rerumque divinarum nuntiationem tetigerimus, par est nunc Nos de scholis quoque, de scriptionibus

[66] *Phil.* 2, 8.
[67] *1 Cor.* 1, 10.

prelo impressis, de apostolatu ad res sociales pertinente, de sacris ad ethnicos expeditionibus, de caritatis exercitatione commemorare : quae porro omnia non dubitamus, quin Concilium Oecumenicum nobis ad disputandum proponat. Quotquot autem in vivax salutiferumque Ecclesiae colloquium, ducibus legitimis Praesulibus, veniunt, eos hortemur iisque bene precemur oportet; in quibus maxime nominamus: sacerdotes, religiosos sodales, carissimosque laicos homines, qui vel in Actione Catholicae ordinibus, vel in aliis consociationibus et apostolatus operibus pro Christo militant.

Laetamur recreamurque magnopere, quod colloquium istud, sive in Ecclesiae gremio sive extra, iam initium sumpsit. Ecclesia enim in praesentia vivacior est quam antea numquam! Attamen si res quis diligentius expendit, ei omnia adhuc videntur infecta; quoniam opus, quod nunc inchoatur, numquam finem esse capturum videtur. Haec enim quaedam quasi lex est nostrae terrestris peregrinationis, temporis cursu circumscriptae. Haec eadem est, Venerabiles Fratres, communis condicio muneris nostri, quod ut renovetur fiatque diligentius et alacrius, omnia hac tempestate sollicitant.

Nobis autem haec vos admonentibus placet non solum de opera a vobis navata confidere, sed etiam Nostram vobis dicare vicissim. Quam voluntatum operumque conspirationem petimus simulque pollicemur, anno exacto postquam in Petri solium ascendimus, atque ab Apostolo gentium cum nomine tantillum quoque spiritus — Dei ita placeat — Nobis ascivimus.

Quod superest, dum huiusmodi animorum nostrorum coniunctione, quae a Christo ducit originem, ingentem haurimus laetitiam, primis hisce Litteris Encyclicis Nostris finem afferentes, immortalis Dei nomine, vobis, fratris patrisque animo, Apostolicam Benedictionem impertimus, quam libenter ad Ecclesiam totam ad universamque hominum societatem pertinere cupimus.

Datum Romae apud S. Petrum, in festo Transfigurationis D. N. Iesu Christi, die VI mensis Augusti, anno MDCCCCLXIV, Pontificatus Nostri secundo.

PAULUS PP. VI

An. et vol. LVI 31 Augusti 1964 (Ser. HI, v. VI) - N. 11

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico - Città del Vaticano — *Administratio:* Libreria Editrice Vaticana

ACTA PAULI PP. VI

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

SEULENSIS
(SUVONENSIS)

Ex quibusdam territoriis archidioecesis Seulensis nova efficitur dioecesis, nomine « Suvonensis ».

PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Summi Pastoris universae Ecclesiae munus, quod humeris Nostris impositum est, id aliquando requirit ut, opportunius dispositis dioecesium territoriis, novas cönstituamus ecclesiasticas circumscriptiones ; non enim est dubium, quin hoc sit christifidelibus curandis aptissimum opus. Libenter propterea accipientes quod Sacra Congregatio de Propaganda Fide huiusmodi super negotio faciendum putavit, ex Seulensi nempe archidioecesi aliam cathedralem Sedem condi oportere, de sententiaque edocti venerabilis Fratris Antonii Del Giudice, Archiepiscopi titulo Hieropolitani et in Corea Apostolici Delegati, ea quae sequuntur decernimus ac iubemus. Ex archidioecesi Seulensi territoria separamus, quibus continentur civitas vulgo Su-Won appellata, atque civiles distri-

ctus, uti dicunt, Bu-Cheon-Kun, Si-Hung-Kun,Hwa-Seong-Kun, Pyeong-Taek-Kun, Kwang-Ju-Kun, Yong-In-Kun, An-Seong-Kun, I-Keon-Kun, Yang-Pyeong-Kun, Yeo-Ju-Kun, in civili provincia Kyong-Ki-Do sita, ex iisque dioecesim constituimus, *Suvonensem* appellandam atque nativo clero Coreano committendam. Quam eandem iubemus metropolitanae Seulensi Sedi, una cum suo Episcopo, obnoxiam esse. Nostra praeterea est voluntas, ut sacrorum Antistes suam ponat sedem in urbe vulgo Su-Wen, magisteriique cathedram in sacra aede Deo dicata in honorem Sancti Ioseph, ibidem exstante, quam ad cathedralis templi dignitatem attollimus, cum iuribus et privilegiis propriis. Permittimus denique ut consultores dioecesanos sacer Suvonensis Praesul ad tempus deligat, quoadusque scilicet Canonicorum collegium ibi constitui possit. Tandem ut hae Litterae Nostrae ad exitum adducantur curet venerabilis Prater Antonius Del Giudice, quem diximus, vel sacerdos ab eo delegatus. Qui vero negotium perfecerit congrua documenta exarabit ad Sacrumque Consilium Fidei Propagandae quam primum mittet.

Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur.

Datum Eomae, apud S. Petrum, die septimo mensis Octobris, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo tertio, Pontificatus Nostri primo.

IACOBUS A. Card. COPELLO
S. B. E. Cancellarius

GREGORIUS P. Card. AGAGIANIAN
S. Congr. de Prop. Fide Praefectus

Franciscus Tinello
Apostolicam Cancellariam Regens

f Iosephus Rossi, Ep. tit. Palmyrenus, *Proton. Apost.*

Caesar Federici^ *Proton. Apost.*

Loco £B Plumbi

In Ap. Cane, tao., vol. CXIII, n. 88.

II

ZAMBOANGENSIS
QSABELLOPOLITANAE)

Detractis quibusdam territoriis ab archidioecesi Zamboangensi, in Insulis Philippinis, nova conditur praelatura *nullius,* nomine « Isabellopolitana ».

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Providens Dei continensque in Christi Ecclesiam praesidium id quidem ab ipsius primordiis effecit, ut non solum tamquam civitas in monte cunctis hominibus magis in dies praestaret, verum etiam ad amplectendos eorum quam plurimos valeret. Quod sane quandoque fieri et per aptiorem hisque diebus magis accommodatam Sedium dispositionem nemo est quin videat. Roganti ideo venerabili Fratri Salvatori Siino bo. me., qui tunc temporis Archiepiscopus titulo Pergensis Apostolicum Nuntium in Insulis Philippinis agebat, ut ex quibusdam archidioecesis Zamboangensis territoriis nova constitueretur sui iuris praelatura ((nullius», Ioannes XXIII, immortalis recordationis proximus Decessor Noster, de consilio S. R. E. Cardinalium Sacrae Congregationi Consistoriali praepositorum, concedere non dubitavit ; id enim et operum adhuc in christianum populum ibidem susceptorum praeclarum fore testimonium, et futurorum spei plenum fundamentum. Audita ergo hac super re sententia venerabilis Fratris Aloisii Dei Rosario, Archiepiscopi Zamboangensis, eorumque omnium suppleto consensu qui in hoc negotio aliquid iuris haberent vel se praesumerent habere, de apostolica potestate Summus idem Pontifex ab archidioecesi Zamboangensi integra territoria seiungi decrevit, quae civilem circumscriptionem vulgo Basilan City appellatam constituebant, ex iisque praelaturam « nullius)) condi, ab urbe vulgo Isabela *Isabellopolitanam* nuncupandam iisdemque finibus cingendam ac civilis circumscriptio ex qua facta est. Novae praelaturae sedes ut in urbe Isabela poneretur insuper iussit, praelaticiique magisterii cathedra in curiali templo ibidem struendo Deoque dicando in honorem Immaculati Cordis Beatae Mariae Virginis, sacris scilicet Praesulibus congruis iuribus datis iustisque obligationibus impositis. Statuit denique ut metropolitanae Sedi Zamboangensi eadem praelatura subderetur, una cum suo sacrorum Antistite. Nos vero, qui tanti

nominis catholicae Ecclesiae Pastori successimus, eadem rata habuimus atque confirmavimus. Mensa insuper praelaticia, quae dicitur, ex Curiae emolumentis fìat, a fidelibus sponte datis pecuniis, atque bonis quae ex praescripto canonis **1500** C. I. C. Isabellopolitanae Sedi obvenerint; minus saltem Seminarium ibidem Praelatus struat, alumnis recipiendis qui ad sacerdotale munus vocati sint, quorum sive ingenio sive animi virtutibus praestantes Romam mittat, in Pontificium Collegium-Seminarium Philippinum, philosophicis ac theologicis disciplinis imbuendosi clerici, si qui sint, intra praelaturae ((nullius» Isabellopolitanae fines degentes legitimo domicilio, eidem ascribantur tamquam proprius clerus; acta denique et documenta conditam praelaturam quoquo modo respicientia a Curia metropolitana Zamboangensi ad Isabellopolitanae Sedis quam primum mittantur, in condendo tabulario custodienda. Haec omnia quae iussimus ut exsequatur curet dilectus Filius Augustinus Cacciavillan, Apostolicae Sedis negotiorum ad interim Gestor in Insulis Philippinis, vel sacerdos ab eo delegatus. Qui autem negotium perfecerit, documenta exarabit et ad Sacram Congregationem Consistorialem quam primum mittet.

Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efiicacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur.

Datum Romae, apud S. Petrum, die duodecimo mensis Octobris, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo tertio, Pontificatus Nostri primo.

IACOBUS A. Card. COPELLO
S. B. E. Cancellarius

CAROLUS Card. CONFALONIERI
S. Congr. Consistorialis a Secretis

Franciscus Tinello
Apostolicam Cancellariam Begens

f Iosephus Rossi, Ep. tit. Palmyrenum, *Proton. Apost.*
Franciscus H. Ferretti, *Proton. Apost.*

Loco £B Plumbi

In Ap. Cane, tao., vol. CXIII, n. 97.

III

KITUIENSIS

Apostolica praefectura Kituiensis ad gradum dioecesis evehitur, eodem nomine servato.

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Christi evangelium, quod seminis instar sodales Societatis a S. Patricio pro Missionibus Exteris, nullis parcentes laboribus, in Kituiensi apostolica praefectura sparserunt, iam eo crevit ut christiana familia ibi locorum adulta et satis perfecta videatur. Quamobrem opportunum visum est Sacrae Congregationi Fidei Propagandae eandem praefecturam ad gradum dioecesis evehere, quandoquidem id rogavit venerabilis Frater Vido DeL Mestri,. Archiepiscopus titulo Tuscamiensis et Apostolicus in Africa Orientali Delegatus. Quod libenti animo probantes, summa Nostra potestate sequentia decernimus. Apostolicam praefecturam *Kituiensem* ad gradum dioecesis attollimus *eiusdem nominis,* iisdemque finibus servatis quibus praefectura cingebatur. Volumus autem ut modo conditam dioecesim metropolitanae Sedi Nairobiensi suffraganea sit, eiusque Praesul Nairobiensi Archiepiscopo. Quod vero ad regimen attinet, eam sodalibus Societatis a S. Patricio pro Missionibus Exteris concreditam volumus, qui sueta industria, scientia, animorumque studio, sicuti hucusque fecerunt, in Ecclesiae prosperitatem insistent, in eiusque dilatationem. Episcopi domicilium et Sedes in urbe Kitui appellata erit, cathedra autem eius magisterii in sacra aede in ea exstante. Volumus insuper ut Consultores dioecesani deligantur ad iuris normam, qui Episcopo consilio assint. Eius etiam erit Seminarium statim condere, pueris excipiendis qui ad sacerdotium vocentur ; hoc enim maxime confert ad Ecclesiae firmitatem. Ceterum quae mandavimus exsequenda curabit venerabilis Frater Vido Dei Mestri, quem diximus, vel quem ille delegaverit, factis ad id necessariis facultatibus. Qui vero rem perfecerit, onus habebit effectae rei documenta, rite signata sigilloque impressa, ad Sacram Congregationem Fidei Propagandae quam primum mittendi.

Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res

est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis eflicacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur.

Datum Romae, apud S. Petrum, die sexto decimo mensis Novembris, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo tertio, Pontificatus Nostri primo.

IACOBUS A. Card. COPELLO
£. R. E. Cancellarius

GREGORIUS P. Card. AGAGIANIAN
S. Congr. de Prop. Fide Praefectus

Franciscus Tinello
Apostolicam Cancellariam Regens

f Iosephus Rossi, Ep. tit. Palmyrenus, *Proton. Apost.*
Caesar Federici, *Proton. Apost.*

Loco £8 **Plumbi**

In Ap. Cane, tab., vol. CXIV, n. 16.

IV

MYSURIENSIS
(CHIKMAGALURENSIS)

A dioecesi Mysuriensi quibusdam detractis territoriis, nova dioecesis constituitur, « Chikmagalurensis » nomine.

PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Indicae regionis condicio, eius scilicet prope immensa populorum multitudo, itemque prosperior in dies rerum catholicarum felicitas propensiorem quidem a Nobis in eam requirit voluntatem. Optima enim spe ducimur, ut Christi relligio quam latissime et ibidem praedicetur et, aptioribus oblatis subsidiis, ab incolis suscipiatur. Qua de re, libenter accepimus quod Sacrum Fidei Propagandae Consilium faciendum constituit, novam nempe e dioecesi Mysuriensi dioecesim condere, audito antea hoc super negotio Moderatore Generali Societatis Parisiensis missionum ad exteras gentes, cui eadem dioecesis adhuc concredita fuit. De suprema

ideo et apostolica potestate Nostra a dioecesi, quam diximus, civiles districtus distrahimus, quibus appellatio per vulgus Shimoga, Chikmagalur et Hassan, ex iisque novam dioecesim constituimus, *GMJcmagalurensem* appellandam iisdemque circumscribendam finibus ac territoria e quibus fit. Haec circumscriptio suffraganea erit metropolitanae Sedi Bangalorensi; item eius Episcopus metropolitano iuri Archiepiscopi Bangalorensis subdetur. Eam praeterea curis saecularis cleri nativi concredimus, haud sane dubitantes quin in maximum catholicae Ecclesiae bonum hoc sit cessurum. Praecipimus etiam ut Chikmagalurensis sacrorum Antistes sedem suam ponat in urbe Chikmagalur, magisterii vero sui cathedram in sacra aede, eadem in urbe exstante, Deo sacra in honorem Sancti Ioseph; ut pro Canonicis consultores dioecesanos deligat, qui. auxilio et consilio assint; ut denique minus saltem Seminarium struendum curet, iis pueris recipiendis et efformandis, qui Dei instinctu ad sacerdotium vocentur. Ad haec omnia demum perficienda Apostolicum in India Internuntium delegamus, cuius rogatu nova Chikmagalurensis dioecesis fundata est. Is autem poterit etiam alium delegare, dummodo ecclesiastica sit insignitus dignitate. Qui autem rem ad exitum adduxerit, documenta de more exarari curabit ad Sacramque Congregationem de Propaganda Fide mittere, rite signata atque sigillo impressa.

Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis eûicacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur.

Datum Romae, apud S. Petrum, die sexto decimo mensis Novembris, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo tertio, Pontificatus Nostri primo.

IACOBUS A. Card. COPELLO
8. R. E. Cancellarius

GREGORIUS P. Card. AGAGIANIAN
B. Congr. de Prop. Fide Praefectus

Franciscus Tinello
Apostolicam Cancellariam Regens

f Iosephus Rossi, Ep. tit. Palmyrenus, *Proton. Apost.*
Caesar Federici, *Proton. Apost.*

Loco 83 Plumbi

In Ap. Cane, tab., vol. ÇXIV, n. 29.

V

QUITENSIS
(LATACUNGENSIS)

Ex quodam territorio archidioecesis Quitensis nova fit dioecesis, « Latacungensis » appellanda.

PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Novam dioecesim catholica in Ecclesia condere non tantum magni pretii opus, sed etiam christifidelibus aptius curandis est conveniens quandoque subsidium. Postulationibus propterea venerabilis Fratris Alfredi^ Bruniera, Archiepiscopi titulo Claudiopolitani in Honoriade et in Aequatoriana Republica Apostolici Nuntii, qui, post auditum dilectum Filium Nostrum Carolum Mariam S. R. E. Cardinalem de la Torre, Archiepiscopum Quitensem, rogavit, ut ex quodam archidioecesis Quitensis territorio novam fundaremus ecclesiasticam circumscriptionem, assentiri putavimus seqtientiaque decernere et statuere. De suprema et apostolica auctoritate Nostra, eorum scilicet, si oporteat, consensum supplentes qui hoc super negotio aliquod ius habeant vel se praesumant habere, ab archidioecesi Quitensi territorium civilis provinciae vulgo Cotopaxi appellatae distrahimus, sic ut in praesens lege civili terminatur, ex eoque dioecesim constituimus, cuius nomen *Latacungensis,* iisdem circumscribendam finibus ac provincia quam nominavimus. Novae ideo dioecesis hi erunt fines : ad septentrionem, archidioecesis Quitensis ; ad occidentem solem, praelatura ((nullius» Fluminum ; ad meridiem, dioeceses Guarandensis et Ambatensis; ad orientem denique solem, vicariatus apostolicus Napensis. Conditae dioecesis Sedem in urbe vulgo Latacunga cognominata Episcopus ponet; magisterii vero cathedram, in curiali templo ibidem exstante, quod Deo in honorem Sancti Vincentii Martyris est dicatum. Sive cathedrali sacrae aedi sive Episcopo omnia proinde iura damus, impositis praeterea sacrorum Antistiti congruis obligationibus. Quarum hae praecipuae sunt : consultores dioecesanos eligendi, qui sibi usque dum Canonicorum collegium condatur auxilio et consilio assint; minus saltem Seminarium, ad normam iuris Canonici legumque Sacrae Congregationis de Seminariis et Studiorum Universitatibus, struendi et Romam eos discipulorum mittendi qui ingenio animique virtutibus praestantes sint, in Pontificium Collegium Pianum Latinum Americanum recipiendos, ut philosophicis theologicisque disci-

plinis imbuantur; metropolitanae iurisdictioni Archiepiscopi Quitensis una cum sua dioecesi se subiciendi. Cathedralis Sedis Latacungensis mensa episcopalis, quae dicitur, ex ipsius Curiae emolumentis fiet, ex fidelium sponte oblatis pecuniis, ex bonorum denique parte, quae ad normam canonis 1500 C. I. C. eidem obveniet. Simul ac hae Litterae Nostrae ad effectum deductae fuerint, sacerdotes ei Ecclesiae addicantur, in qua beneficium vel officium habeant; ceteri autem sacerdotes, clerici Seminariique tirones ei, in qua legitime degant. Quod praeterea attinet ad regimen, administrationem dioecesis, Vicarii Capitularis, sede vacante, electionem aliaque id genus, quae sacri canones praescribunt serventur. Documenta tandem et acta, quae novam dioecesim quoquo modo respiciant, a Quitensi Curia ad Latacungensem transmittantur, in tabulario religiose custodienda. Ut ea quae iussimus perficiantur curet venerabilis Frater Alfredus Bruniera, quem diximus, vel ab eo legatus vir, dummodo sit in ecclesiastica dignitate constitutus. Qui vero negotium egerit documenta de more conficiat et ad Sacram Congregationem Consistorialem quam primum mittat.

Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efificacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur.

Datum, Romae, apud S. Petrum, die quinto mensis Decembris, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo tertio, Pontificatus Nostri primo.

IACOBUS A. Card. COPELLO
8. R. E. Cancellarius

CAROLUS Card. CONFALONIERI
8. Congr. Consistorialis a Secretis

Franciscus Tinello
Apostolicam Cancellariam Regens

Franciscus H. Ferretti, *Proton. Apost. Decanus*
Ioannes Calieri, *Proton. Apost.*

Loco £g Plumbi

In Ap. Cane, tab., vol. CXIV, n. 35.

VI

MOSHIENSIS
(DE SAME)

Territorio civilis districtus, quem dicunt, Pare a dioecesi Moshiensi separato, nova praefectura apostolica conditur, « Samensis » nomine.

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Adpetens Natalis Christi, a cuius beatissima nativitate aeterna hominum salus prima sumpsit exordia; itemque succedens brevissimo temporis intervallo Epiphania Domini, hoc est praesentiae atque gloriae Divini Infantis manifestatio, ita pietatem et religionem Nostram acuunt, ut nihil magis optemus quam ut Redemptor noster, mundi lux (cf. *Io.* 8, 12), in cuius fulgore Propheta cecinit gentes esse ambulaturas (cf. *Is.* 60, 3), non modo ab omnibus hominibus cognoscatur, verum etiam et adoretur summeque a cunctis diligatur, utpote in quo uno spes omnis mortalium reposita sit. Quam ob rem, cum venerabilis Frater Vido Dei Mestri, Archiepiscopus titulo Tuscamiensis idemque Apostolicus in Africa Orientali Delegatus, consilium ceperit novae praefecturae apostolicae in Territorio Tanganyikae constituendae, idque Sacra Congregatio Fidei Propagandae probaverit, Nos certa spe fore hanc rem, si acta fuerit, perutilem, haec statuimus et decernimus. A dioecesis Moshiensis territorio districtum civilem, quem vulgari lingua Pare cognominane detrahimus, in novaeque praefecturae apostolicae formam redigimus, *Samensis,* ab urbe principe « Same », appellandae, iisdemque finibus circumscribendae atque limites territorii Pare patent. Quam praefecturam Patribus Congregationis S. Spiritus concredimus, id hortantes ut nulli labori pareant modo dum regnum Christi eiusque imperium in homines latius proferant. Ceterum has Litteras Nostras venerabilis Frater Vido Dei Mestri exsequi studeat, vel per se ipse vel per legatum, quem aptiorem existimaverit, factis nempe ad rem facultatibus necessariis vel utilibus. Re vero acta, idem documenta exarari faciet, eademque sinceris exemplis ad S. Congregationem Fidei Propagandae cito mittet. Quodsi alius eo tempore Africae Orientalis Delegationi praeerit, hic mandata Nostra faciat.

Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore

volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitate nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur.

Datum Romae, apud S. Petrum, die decimo mensis Decembris, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo tertio, Pontificatus Nostri primo.

IACOBUS A. Card. COPELLO
S. *R. E. Cancellarius*

GREGORIUS P. Card. AGAGIANIAN
8. Congr. de Prop. Fide Praefectus

Franciscus Tinello
Apostolicam Cancellariam Regens

Franciscus H. Ferretti, *Proton. Apost. Decanus*
Ioannes Calieri, *Proton. Apost.*

Loco £8 Plumbi

In Ap. Cane, tab., vol. CXIV, n. !¡S.

VII

MEXICANAE - TEXCOCENSIS
(TLALNEPANTLANAE)

Detractis quibusdam territoriis ex archidioecesi Mexicana et dioecesi Texcocensi, nova dioecesis conditur, « Tlalnepantlana » nomine.

PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Aliam ex aliis dioecesim constituere non solum, ut par est, peropportunum quandoque fert aditum aptius fidelium necessitatibus subveniendi, sed alios etiam eligendi sacrorum in Ecclesia Antistites, qui in Apostolorum locum subiecti praesint. Haec quidem arbitratus venera-

bilis Frater Aloisius Raimondi, Archiepiscopus titulo Tarsensis et in Republica Mexicana Apostolicus Delegatus, idemque sententia consilioque usus venerabilium Fratrum Michaelis Darii Miranda et Gómez,. Archiepiscopi Mexicani, et Francisci Ferreira Arreóla, Episcopi Texcocensis, Apostolicae Sedi proposuit ut, rectius dispositis Mexicanae Sedis atque Texcocensis territoriis, nova ibi locorum dioecesis conderetur. Qua propter, auditis venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus qui praesunt Sacrae Congregationi Consistoriali, summa Nostra potestate sequentia decernimus ac iubemus. Ab archidioecesi Mexicana territorium separamus, quod complectitur municipia vulgo nuncupata Coyotepec, Cuautitlan, Chapa de Mota, Huehuetoca, Huixquilucan,. Iturbide, Jilotepec, Jilotzingo, Naucalpan, Nicolas Romero, Soyaniquilpan, Teoloyucan, Tepotzotlan, Tlalnepantla, Tultitlan, Villa del Carbon et Zaragoza ; a dioecesi autem Texcocensi, integrum territorium municipii vulgo Coacalco cognominati, ex iisque novam dioecesim fundamus, *Tlalnepantlanam* appellandam iisdemque cingendam finibus ac municipia e quibus fit. Cuius proinde haec erunt confinia : ad septemtrionem, dioecesis Tullanensis ; ad orientem solem, dioecesis Texcocensis,-. ad meridiem, archidioecesis Mexicana; ad occidentem denique solem, dioecesis Tolucensis. Novae dioecesis sedes atque Episcopi domicilium in urbe Tlalnepantla erit; episcopalis vero cathedra in curiali templo Sanctissimo Christi Corpori dicato, eadem in urbe exstante, quod ad cathedralis gradum evehimus, cum iuribus congruis. Episcopo autem, praeterquamquod debita iura damus, officia etiam et obligationes imponimus, cum dignitate et munere coniuncta. Quae inter haec praecipua memoramus : eius esse, una cum sua Ecclesia, metropolitanae iurisdictioni Archiepiscopi Mexicani subiacere; Canonicorum collegium constituere, ad normam aliarum sub plumbo Litterarum : usque dum tamen id fiat, consultores dioecesanos deligere qui sibi auxilio et consilio assint ; minus saltem Seminarium struere, iuxta normas Iuris Canonici peculiaresque Sacrae Congregationis de Seminariis et Studiorum Universitatibus leges, pueris excipiendis ad sacerdotium vocatis ; eos Seminarii tirones, qui sive animi sive ingenii virtute excellant, Romam mittere in Pontificium Collegium Pianum Latinum Americanum, ut philosophicis theologicisque disciplinis imbuantur. Decernimus praeterea ut constitutae dioecesis mensa episcopalis, quae dicitur, Curiae emolumentis fiat, fidelium sponte oblatis pecuniis et bonorum parte, quae ex praescripto canonis 1500 C. I. C. eidem obveniet; ut simul ac hae Litterae Nostrae ad effectum deductae sint, sacerdotes ei dioecesi ascribantur in

cuius territorio legitimum officium vel beneficium habeant, ceteri autem sacerdotes, clerici Seminariique alumni ei, in qua legitime degant; ut acta et documenta, quovis modo novam dioecesim respicientia, a Curiis Mexicana et Texcocensi ad Curiam Tlalnepantlanam mittantur, in tabulario religiose custodienda; ut denique ad novae dioecesis regimen et administrationem quod attinet, Vicarii Capitularis, sede vacante, electionem, aliaque id genus, sacrorum canonum praescripta adamussim serventur. Omnia quae statuimus ut ad exitum perducantur venerabilis Frater Aloisius Raimondi curet, vel ab eo legatus vir, dummodo in ecclesiastica dignitate constitutus. Qui autem rem perfecerit, documenta de more exarari iubebit ad Sacramque Congregationem Consistorialem quam primum mitti, rite signata sigilloque impressa.

Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur.

Datum Romae, apud S. Petrum, die tertiodecimo mensis Ianuarii, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo quarto, Pontificatus Nostri primo.

IACOBUS A. Card. COPELLO
8. R. E. Cancellarius

CAROLUS Card. COXFALONIERI
8. Congr. Consistorialis a Secretis

Franciscus Tinello
Apostolicam Cancellariam Regens

t Iosephus Rossi, Ep. tit. Palmyrenus, *Proton. Apost.*
Silvius Romani, *Proton. Apost.*

Loco © Plumbi

In Ap. Cane, tab., vol. CXIV, n. 56.

LITTERAE APOSTOLICAE

I

Titulus ac privilegia Basilicae Minoris conferuntur templo Sacratissimo Cordi Iesu in urbe Bogotá dicato.

PAULUS PP. VI

Ad perpetuam; rei memoriam. — «Pax et reconciliatio nostra», Sacratissimum Cor Iesu a Bogotensi civitate quin immo ab universa Columbiana Natione singulari studio excolitur impensisque adoratur obsequiis. Cuius pietatis sedes est ecclesia, suavissimi huius mysterii nomine insignis, quae anno MDCCCLXXXI a quibusdam Christifidelibus ad publicos hortos, « Parque de los Mártires » vulgo appellatus, eadem in urbe, stipe collata, fuit exstrui coepta. Cum vero sub finem saeculi XIX et postero ineunte ea Respublica quateretur bellicis turbis, Bernardus Herrera Restrepo, Bogotensis Archiepiscopus, salubri consilio proposuit, ut tota Natio Sacratissimo Cordi Iesu devoveretur huiusque religiosae sponsionis monumentum perenne foret templum, maiestate et splendore conspicuum, quod supra diximus eo loco esse excitatum. Cui sacro Pastori laudabili cum alacritate obsecuti, Moderatores Reipublicae, decreto anno MCMII lato, ad pacem inter cives coagmentandám, nomine proprio et universi populi Columbiani votum conceperunt efficiendi, ut ecclesia illa inchoata communi auxilio mature aedificaretur. Ex quo tempore idem opus « templum voti a Natione suscepti » nuncupari consuevit. Mirabili vero Dei beneficio tranquillitas ordinis fuit brevi restituta et a cuncta gente praebitum adiumentum ad hoc Divini Cordis sanctuarium paulatim perficiendum. Qua ex parte digna est, quae memoretur, assidua industria Missionariorum Filiorum Immaculati Cordis Beatae Mariae Virginis, quorum curis eadem ecclesia, postmodum paroecialis effecta, est concredita. Quae, quamvis nondum absoluta, anno MCMXVI, astantibus Henrico Gasparri, Archiepiscopo titulo Sebastensi et Apostolico tunc Delegato ea in regione, sacris Praesulibus, summis Reipublicae Auctoritatibus, ingenti fidelium multitudine, sollemni ritu est consecrata, nec defervescente studio per annorum decursum nobilibus aucta operibus et ornamentis; tholus quoque ei est impositus et in summa fronte locatum signum Iesu Christi, Divinum Cor universae Nationi veluti aperientis. Quantum vero ardorem religionis hoc templum excitaret, in anniversariis memoriis voti illius est luculenter ostensum. Etenim vicesimo quinto anno revoluto ab eo decreto, praeclara celebrata sunt sollemnia, quorum causa Pius Pp. XI, Decessor

Noster fel. rec, gratulatorias Litteras ad Bogotensem Archiepiscopum, et ad Columbiae Praesidem dedit; qui formulam, qua tota Eespublica Sacratissimo Cordi nova quadam impulsione devoveretur, animo commoto palam enuntiavit. Quinquagesimo autem anno expleto, Pius Pp. XII, item Decessor Noster, eam Nationem per aetheris undas est allocutus atque Praeses Reipublicae, coram Venerabili Fratre Antonio Samorè, Archiepiscopo titulo Ternobeno, Apostolico tunc ea in Civitate Nuntio, ceteris Praesulibus, Magistratibus, frequentissimo Christifidelium coetu, Columbiam Sacratissimo Cordi Iesu iterum devovit. Post quae sollemnia dies, quo Ecclesia hunc divinae dilectionis thesaurum celebritate annua recolit, a suprema potestate civili eidem Nationi festus est constitutus. Hoc igitur templum, magnitudine molis, « Romanico)) structurae genere, cultu vario, artificiosis pretiosisque rebus spectabile, religione vero maxime commendatum, dignum sane est, ad quod mentem Nostram peculiari ratione convertamus. Quapropter libentissime precibus obsecundare statuimus, quibus dilectus filius Moderator Provinciae Columbiae Congregationis Missionariorum Filiorum Immaculati Cordis Beatae Mariae Virginis, amplissima suffragatione Dilecti Filii Nostri Aloisii Sanctae Romanae Ecclesiae Presbyteri Cardinalis Concha, Archiepiscopi Bogotensis, suffultus, Nos rogavit, ut eidem ecclesiae Basilicae Minoris nomen et ius tribueremus. Quae cum ita sint, Nos e Sacrae Rituum Congregationis consulto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum, Bogotense templum, Sacratissimo Cordi Iesu dicatum, ad honorem et dignitatem *Basilicae Minoris* evehimus, omnibus adiectis iuribus et privilegiis, quae ecclesiis hoc nomine insignibus rite competunt. Contrariis quibusvis non obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque, ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari ; sicque rite iudicandum esse ac definiendum ; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xiv mensis Februarii, anno MCMLXIV, Pontificatus Nostri primo.

© HAMLETUS I. Card. CICOGNANI
a publicis Ecclesiae negotiis

II

Beata Maria Virgo a Mercede praecipua caelestis Patrona pro universo Exercitu Aequatoriano constituitur.

PAULUS PP. VI

Ad perpetuam rei memoriam. — Quae « dulciter » in filios Dei, « fortiter » tamen ((in inimicos sanctae Crucis » se gerit, Deipara Virgo Maria, sicut populi christiani est praesidium, ita quasi « adversus mundi rectores tenebrarum harum » ab Ecclesia <(terribilis ut castrorum acies ordinata)) iure meritoque canitur. Ipsa enim afflante, nonnulli Servi Dei, ad haereticorum vel paganorum errores profligandos vel mala arcenda, Ordines Regulares strenue condiderunt : Dominicus — ut exemplis utamur — contra Albigenses Praedicatorum Ordinem, Petrus vero Nolascus pro christianis de potestate Mahometanorum liberandis Ordinem de Mercede. Nil mirum proinde, si tam impensa ubique sit, ac praesertim inter milites, in Beatam Virginem de Mercede religio. Haud aliter accidit, prout Nobis innotuit, in Àequatoriana Republica, ubi Exercitus milites ipsam Deiparam Virginem, eodem nomine insignem, caelestem Patronam apud Deum elegerunt. Ut autem hic marialis patronatus Apostolica fulciretur auctoritate, Episcoporum Reipublicae Aequatorianae Coetus, cui id muneris demandatum est, supplicem libellum, per Venerabilem Fratrem Bernardinum Echeverría Ruiz, Episcopum Ambatensem atque eiusdem Coetus Secretarium, Nobis attulit, quo huiusmodi indultum enixe expetivit. Nos autem, ad marialem Aequatorianorum militum augendam pietatem ipsosque superno munimine et auxilio roborandos ac defendendos, huiusmodi votis precibusque annuendum perlibenti censuimus animo. Quapropter, e Sacrae Rituum Congregationis consulto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum, Beatam Virginem Mariam a Mercede universi Exercitus Aequatoriani praecipuam apud Deum *Patronam* confirmamus, seu denuo constituimus, declaramus et renuntiamus, omnibus adiectis honoribus ac privilegiis liturgicis, quae principalibus coetuum Patronis rite competunt. Contrariis quibuslibet minime obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere ; illisque, ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc

et. in posterum plenissime suffragari ; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter contigerit attentari.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXI mensis Februarii, anno MCMLXIV, Pontificatus Nostri primo.

© **HAMLETUS** I. Card. **OICOGNANI**
a publicis Ecclesiae negotiis

III

Sanctus Albertus Magnus cognominis religiosae provinciae, in Foederatis Septemtrionalis Americae Civitatibus exstantis, praecipuus Patronus eligitur.

PAULUS PP. VI

Ad perpetuam rei memoriam. — Ordinis Dominiciani decus, Sanctus Albertus, quem magnum clarumque cum ob divinarum disciplinarum physicorumque prudentiam, tum ob religiosae virtutis splendorem ipsum inditum cognomen demonstrat, verissimum exemplar, studio atque imitatione dignissimum, a suis sodalibus semper est habitus. Etenim, aetati Patris Legiferi proximus, peculiare conditae familiae munus, quod est «Contemplata aliis tradere », sua vivendi ratione visus est comprehendere; quam ob rem ut summa eum constantique pietate prosequi, sic res institutaque Ordinis in eius tutelam tradere alumni Sancti Dominici solent. Et item media in regione Foederatarum Americae Civitatum religiosa provincia est iam pridem constituta, eademque, cum ab illo Caelite nomen sumpserit, singularis debitum venerationis ei officiosa persolvit. Non solum enim in provinciae finibus domus coenobialis invenitur Sancti Alberti patrocinio commissa, sed recens quidem etiam Institutum Albertianum est conditum naturalibus disciplinis excolendis, in eoque elaborant sodales, ut, Alberto auctore ac duce, eae pervestigentur rationes quae christianae sapientiae cum recentiore doctrina intercedant atque etiam ut, Pio Pp. XII obsecuti, qui Decessor Noster desideratissimus Albertum rerum naturae peritis praecipuum Patronum decrevit (cf. Apostolicas Litteras *Ad Deum* in *A. A. S.* 1942, pp. 89-91), sacrum ministerium ad doctorum praesertim virorum bonum et utilitatem obeant. Tot ergo de causis dilecto filio provinciae, quam supra diximus, Praeposito visum est id esse ab Apostolica Sede impetrandum,

ut idem Cáeles sacrae dicionis, tanto iam nomine illustris, Patronus rite ac definite ediceretur. Quod votum, commendatione Generalis Procuratoris Ordinis Fratrum Praedicatorum auctum, benigne admittere statuimus, plane confisi decretum patrocinium cunctis auxilio usque validiori fore sodalibus ad propriae et suae vitae sanctimoniam accurandam suique apostolatus propositum, magni sane momenti, assequendum. Itaque, ex Sacrae Rituum Congregationis consulto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra, deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum, Sanctum Albertum Magnum, Episcopum Confessorem et Ecclesiae Doctorem, religiosae provinciae Ordinis Fratrum Praedicatorum, quae, eiusdem Caelitis nomine insignis, in Foederatis Septemtrionalis Americae Civitatibus est constituta, principalem apud Deum caelestem *Patronum* eligimus ac declaramus, omnibus adiectis iuribus ac privilegiis liturgicis, quae praecipuis religiosorum coetuum Patronis rite competunt. Contrariis quibusvis nihil obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere ; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque, ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xxv mensis Februarii, anno MCMLXIV, Pontificatus Nostri primo.

© **HAMLETUS** I. Card. **CICOGNANI**
a publicis Ecclesiae negotiis;

Templum S. Urbano Papae Martyri dicatum, quod exstat in urbe Trecis, titulo ac dignitate Basilicae Minoris decoratur.

PAULUS PP. VI

Ad perpetuam rei memoriam. — Quod exstat Trecis, in Gallica urbe ecclesiastica itemque civili iurisdictione insigni, templum Sancto Urbano Pontifici et Martyri sacrum, est certe pro aedificationis elegantia partiumque convenientia pulcherrimum, quippe cum Gothici generis expressum referat exemplum. Id ipso in loco paternae domus erigendum, nomineque gloriosi Decessoris appellandum curavit pietas Urbani Pp. IV,

cui sapientissimo sollemnis Corporis Dominici auctori laus perennis est ab Ecclesia tribuenda. Hac igitur origine nobilissimum, post longum temporis spatium est solidatum, donec ineunte saeculo vicesimo ad perfectam sui exaedificationem pervenit. Antea quidem canonicorum virorum collegio fuit ornatum iussuque Pontificis illius Apostolicae Sedi proxime subiectum; hodie vero sua conspicuum venustate, cognominis paroeciae est caput plurimasque a fidelibus, utpote quod in media exsurgat urbe, religionis causa celebratur. Floret ibi cultus divinus sacrisque faciendis multa ac pretiosa possidetur supellex ; neque desunt piae sodalitates, e quibus una, in primario ordine ascripta, honorem adorationemque Eucharistico Sacramento proprii vi muneris adhibet. Reliquiae etiam Caelitum Sanctorum, in thecis artificiosis inclusae, studio diligentiaque asservantur, atque ossa Urbani Pp. IV, Tricassinorum ornamenti, Perusio allata Leonis Pp. XIII temporibus ibidem condita sunt. Quae omnia reputanti, Venerabili Fratri Iuliano Le Couëdic, Trecensi Episcopo, pontificiam pro tam clara ecclesia expetere dignitatem visum est, cum praesertim duae instarent saeculares celebrationes. Siquidem in hunc ipsum annum septimum incidet saeculum ab instituto Corporis Dominici festo et ab excessu illius Pontificis, quorum memoriam sollemnissime agere ut religionis antistites ita publici magistratus percupiunt. Censentes igitur votum studiosi Praesulis libenti animo iisdemque de causis esse admittendum, Nos, e Sacrae Rituum Congregationis consulto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra, deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum, templum Trecense, Deo in honorem Sancti Urbani Papae Martyris dicatum, titulo ac dignitate *Basilicae Minoris* afiicimus et exornamus, omnibus adiectis iuribus et privilegiis, quae templis eodem nomine insignibus rite competunt. Contrariis quibusvis nihil obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere ; illisque, ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter contigerit attentari.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXIX mensis Februarii, anno MCMLXIV, Pontificatus Nostri primo.

© **HAMLETUS** I. Card, **CICOGNANI**
a publicis Ecclesiae negotiis

V

Titulo ac privilegiis Basilicae Minoris ecclesia Beatae Mariae Virginis a Pietate («Notre-Dame de Pitié» v. n.), intra Pictaviensis dioecesis fines, honestatur.

PAULUS PP. VI

Ad perpetuam rei memoriam. — Exstat, intra pervetustae Pictaviensis dioecesis fines et in paroecia vulgo « La Chapelle-Saint Laurent)), celebre Sanctuarium, Deo in honorem Beatae Mariae Virginis a Pietate, seu gallice ((Notre-Dame de Pitié » nuncupatum, cuius remota origo, saltem a txiv saeculo, uti fertur, a ligneo Simulacro, effigiem Deiparae Virginis cum Christo Iesu demortuo prae se ferente, repetenda videtur. Illuc fideles innumeri undique conveniunt eorumque tanta est erga mariale illud Simulacrum pietas, ut, multis aerumnis fortiter superatis, novum iugiter pulchriusque Sanctuarium, priore deleto, condendum aere proprio curaverint. Hodiernum vero, anno MCMXXVII conditum, peramplum multisque ornatum altaribus, sollemniter fuit consecratione dicatum. Ad fovendam insuper fidelium religionem, qui mensibus Augusto et Septembri precaturi accurrunt, multi adstant, maximo cum animarum spirituali incremento, sacerdotes confessarii. Cuius sacrae Aedis fama, una cum propinquo Monte Calvariae, quem dicunt, ubi Christi recoluntur cruciatus, longe lateque adeo pervenit, ut Romani Pontifices permultis beneficiis et indultis eam ditaverint. Quae cum ita sint, Venerabilis Frater Henricus Vion, Episcopus Pictaviensis, enixe a Nobis postulavit, ut Sanctuarium ipsum ad dignitatem Basilicae Minoris benigne evehere dignaremus. Nos autem, Decessorum Nostrorum vestigiis inhaerentes, huiusmodi preces perlibenter explere statuimus. Quapropter, e Sacrae Rituum Congregationis consulto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum, ecclesiam Beatae Virginis Mariae a Pietate, seu ((Notre-Dame de Pitié », intra Pictaviensis dioeceseos fines positam, titulo et honoribus *Basilicae Minoris* augemus atque honestamus, omnibus adiectis iuribus ac privilegiis, quae eidem titulo rite competunt. Contrariis quibusvis nihil obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque, ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc et in posterum, plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac defi-

niendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter, contigerit attentari.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die i mensis Martii, anno MCMLXIV, Pontificatus Nostri primo.

SB HAMLETUS I. Card. CICOGNANI
a publicis Ecclesiae negotiis

VI

Titulo ac privilegiis Basilicae Minoris collegialis ecclesia Beatae Mariae Virg. « Dominae Nostrae ad Capellani Antiquam », seu « Unserer Lieben Frau zur Alten Kapelle », Ratisbonae exornatur.

PAULUS PP. VI

Ad perpetuam rei memoriam. — « Insignis et imperialis ecclesia collegialis », ut priscis iam temporibus appellabatur, in urbis Ratisbonae decus cedit eximium; quin immo antiquitate, religione, artificiosis operibus ita commendatur, ut in praeclarioribus Bavariae templis christianis locum obtineat. Primitus enim sacra aedes palatina ducum Bavarorum et regum imperatorumque Carolingorum constituta, a Sancto Henrico II circiter annum millesimum fuit penitus refecta eo structurae genere, quod Romanicum vocitant. Saeculo vero xvui ad « barocae » artis rationem, ut aetatis illius inclinatio ferebat, fuit immutata. Sed vel ampliore laude haec celebratur ecclesia, quod pervetusta sedes est pietatis marialis. Quasi pretiosissimus enim thesaurus ibi summa fidelium alacritate imago Deiparae Virginis colitur, quam Benedictus Pp. VIII, Decessor Noster, Sancto Henrico, quem memoravimus, eiusque nobili uxori Cunegundi dono dedit, cum augusto diademate redimirentur. Qui piissimus imperator marianam eam effigiem mariano huic templo suo Ratisbonensi tradidit. Ad illam igitur populus supplex se effundere consuevit, ibi mirum etiam in modum munera a clementissima Matre caelesti impetravit. Praeterea ara maxima, utpote fulgentissimum opus, vasa pretiosa, vestes sacrae, maxime quae e nomine Henrici appellantur, signa, sculpta, Sacramentum Paenitentiae, uti opinantur, interpretantia, aliaque ornamenta communi consensu probantur. Quae omnia reputans cum animo, Venerabilis Frater Rudolfus Graber, Ratisbonensis Episcopus, Nos rogavit, ut tam spectatam religionis sedem nomine ac iure Basilicae

Minoris donaremus. Quibus precibus libenter obsecundantes, Nos, e Sacrae Rituum Congregationis consulto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum collegialem ecclesiam Ratisbonensem ((Dominae Nostrae ad Capellani Antiquam » seu « Unserer Lieben Frau zur Alten Kapelle », uti appellant, ad dignitatem et honorem *Basilicae Minoris* evehimus, omnibus adiectis iuribus ac privilegiis, quae templis eodem nomine insignitis rite competunt. Contrariis quibusvis nihil obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere ; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere ; illisque, ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari ; sicque rite iudicandum esse ac definiendum ; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die **v** mensis Martii, anno **MCMLXIV**, Pontificatus Nostri primo.

© **HAMLETUS** I. Card. **CÌCOGNANI**
a publicis Ecclesiae negotiis

VII

Sanctus Raphael Archangelus caelestis Patronus Inspectorum Annonae in Urbe eligitur.

PAULUS PP. VI

Ad perpetuam rei memoriam. — ((Angelus Domini sanctus Raphael » *(Tob.* **3,** 25), qui, ut est in Litteris Divinis, Tobiae sollertes curas adhibuit eiusque res tutatus est et auxit, merito ab iis invocatur, qui hominum necessitatibus pro mandato sibi munere consulunt. Quorum in numero sunt urbani Inspectores Annonae, qui, in officio versantes ad corporalia civium commoda pertinente, Caelitem illum habent exemplar ac deprecaturem, ut ipsi ad christianae legis rationem commissas sibi obeant partes. Hi igitur submisse Nos rogaverunt, ut eundem Archangelum sui ordinis seu coetus renuntiaremus supernum Patronum. Quibus precibus, Venerabilis Fratris Nostri Clementis Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis Micara, Episcopi Veliterni Nostrique Vicarii Generalis in Urbe, amplissimo commendationis officio suffultis, libenti animo sta-

fuimus obsecundare. Itaque, e Sacrae Rituum Congregationis consulto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum Sanctum Raphaelem Archangelum caelestem apud Deum *Patronum* Inspectorum Annonae in Urbe facimus, constituimus, declaramus, omnibus adiectis honoribus ac privilegiis liturgicis, quae coetuum Patronis rite competunt. Contrariis quibusvis nihil obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere ; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere ; illisque, ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die **VII** mensis Martii, anno **MCMLXIV**, Pontificatus Nostri primo.

© **HAMLETUS** I. Card. **CICOGNANI**
a publicis Ecclesiae negotiis

EPISTULAE

I

Ad Exc.mum P. D. Hermannum Schaufele, Archiepiscopum Friburgensem, quinquaginta et quingentis exactis annis ab inito Constantiensi Concilio.

PAULUS PP. VI

Venerabilis Frater, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Festa anniversaria memoria Oecumenici Concilii Constantiensis, cuius initium abhinc **DL** annos factum urbs Constantia et archidioecesis Friburgensis recolent, gratam praebet Nobis occasionem a te, Venerabilis Frater, exposcendi, ut incolis perveteris civitatis et christifidelibus archidioecesis paterni animi Nostri sensus, tantae commemorationi quodammodo praesentis, et flagrantissima vota Nostra significanda cures.

Quonam momento et quanam magnitudine fuerit dioecesis Constan

tiensis, cuius heres, post perturbationes rerum saeculi undevicesima metropolitana sedes Friburgensis est, aperte liquet, tum si tempus ortus eius repetitur, nempe circiter dimidium saeculi sexti, tum si ampla finium latitudo, quam assecuta est, consideratur. Quantum vero ea contulerit ad religiosae rei incrementa in patria vestra provehenda, ex eo colligitur, quod in Germanorum regione prima eadem fuit missionali indole praedita dioecesis, ac una simul cum propinquis urbe Sancti Galli et Insula Reichenau, christianae humanitatis cultu inclitis, medii aevi vitam ad religionem et ad disciplinas artesque pertinentem, penitus fovit et frugifere aluit. Cumprimis profecto SS. Conradus et Gebardus, perinsignes Episcopi, qui saeculo decimo floruerunt, nunc quoque civitatis caelites patroni, solida firmamenta fidei eius incolarum confirmarunt.

Hisce ex causis percommode urbs Constantia hospitalem sedem obtulit patribus Concilii Oecumenici sexti decimi, quod a nonnullis alterum Concilium a catholicis moribus reformandis nuncupatur. In eo, ad quattuor annos producto, expeditae et extricatae sunt quaestiones quae, saltem ex parte, Occidentali, ut aiunt, schismate ortae sunt, et ad reformandam catholicae rem conversae sunt sollicitudines.

Non omnia, quae proposita fuerant huic Concilio, absoluta sunt. Tamen iure merito ei attribuendum est, quod Ecclesiae unitatem in periculum labentem restauravit. Id sane potissimum evenit, cum feliciter Ecclesiae summus Antistes Martinus V electus est. Cum post gravissima discrimina rerum, quae Ecclesiae internam vitam turbaverunt, id contigisset, summus pontificatus iterum apparuit Ecclesiae unitatis fundamentum manifestum, et utpote tale universe est agnitum. Quam ob rem, Concilium Constantiense veluti signum exstitit micuitque fidelitatis erga Ecclesiam et coniuncte erga successorem S. Petri, supra quem Christus Ecclesiam aedificavit. Quapropter rei congruens est huiusmodi sollemnem magni eventus commemorationem, eo praecipue pertinere, hoc singulare habere insigne, ut dignis laudibus tunc denuo resplendens in suo uno ac indubio Capite Ecclesiae unitas tot post noxias et procellosas dissensiones extollatur.

Antistites et christifideles archidioecesis Friburgensis indemnem tutati sunt hereditatem Concilii Constantiensis, etiam cum saeculo undevicesimo nubila et ardua vertebant tempora; tunc enim ii religionis iura ac libertates insigniter sibi vindicarunt. Proinde possunt plus vicies centena milia catholicorum tuae archidioecesis secum rè-

spectare felices eventus historiae ecclesiasticae, qui in eorum finibus locum obtinuerunt, gratias agentes Deo, omnium bonorum Datori, et cum incolis urbis Constantiae concelebrare singularem anniversariam memoriam anni, quo Concilium inceptum est.

Quod ad Nos attinet, Dei mansurum tutamen et caelestium donorum copiam iis, qui sollemnia huius rei causa parant, tibi, Venerabilis Frater, supremis magistratibus, universis, qui Constantiae cives esse honori sibi vertunt, et archidioecesis Friburgensis christifidelibus ex animo invocamus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die xxvn mensis Maii anno MCMLXIV, Pontificatus Nostri primo.

PAULUS PP. VI

II

Ad E.mum P. D. Ioannem S. R. E. Presb. Cardinalem Landázuri Ricketts, Archiepiscopum Limanum, quem Legatum eligit, ut sexto Eucharistico Conventui, ex universa Hispana Natione Legione celebrando, praesideat.

PAULUS PP. VI

Dilecte Fili Noster, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Perlatum est Nobis Legione, in Tarraconensis Hispaniae urbe perquam nobili atque tum rei civilis tum rei sacrae memoriis praeclara, sextum Eucharisticum Conventum ex universa Hispana Natione proximo mense Iulio celebratum iri. Quam maxime cura et sollicitudine Venerabilis Fratris Aloisii Almarcha Hernández, Legionensis Episcopi, et consociata opera peritorum virorum, qui eum adiuvant, huiusmodi sollemnis Congressio ita paratur, ut facile prospici possit, eam fore religionis studio praecipuam, decursu et exitu splendidam, copia spiritualium fructuum locupletissimam.

Haud paucae autem inceptiones tum in rem deducentur, quae efficientius reddent sanctissimum propositum huic Conventui constitutum, eumque apto congruentique apparatu exornabunt; nam, praeter alia, de arte Dei cultui dicanda, de sacra liturgia, de pietatis sensu Hispanis proprio, de pastoralis vitae necessitatibus et muneribus fuse et cogitate edisseretur.

Eiusdem Eucharistici Congressus caelestes Patroni singulares de-

lecti sunt S. Isidorus Hispalensis et S. Turibius, Limanus Archiepiscopus. Hac non poterat potior optio et electio fieri, propterea quod beati hi Oaelites celsis virtutibus meritisque eximii rutilantissima existimantur Hispaniae gentis lumina, atque praesertim in augustum altaris Sacramentum ardenti cultu enituere. Enimvero S. Isidorus Hispalensis, Latinorum Ecclesiae Patrum postremus, magnitudine animi, doctrinae excellentia et copia, generoso ausu in profutufis inceptis perficiendis artifex fuit spiritualis inter Hispanos compaginis; itemque haud dissimili virtute S. Turibius, Archiepiscopus Limanus, Evangelii praeco in America Latina, apprime probatus pontifex, virtutum opifex, pastor bonus in populo, validus effector fuit coniunctionis et unitatis, qua continentis illius terrae gentes cum Christo et cum Ecclesia cohaerent.

Te, qui S. Turibii episcopalem obtines sedem, concedentes votis eiusdem Legionensis Antistitis, Legatum Nostrum eligimus, renuntiamus, constituimus, qui Nostra auctoritate Eucharistico Conventui ex Hispana Natione sexto praesideas; neque dubitamus fore, ut honorificum munus egregie et fructuose absoluturus sis. Volumus autem ut tantis in peragendis celebritat^bus et coetibus, factus quasi os Nostrum, erga Sanctissimam Eucharistiam, sacrificium et sacramentum Novi Foederis, caput et compendium omnium bonorum, adstantium animos inflammes cultu et amore. Novisti praeterea Oecumenicum Concilium Vaticanum alterum eo potissimum spectare, ut qui christiano decorantur nomine, unum sint, et Divini Redemptoris gregis auspicata restauretur unitas.

Undenam autem ad divini huius impletionem incepti et voti potius sumendae sunt impulsiones viresque, quam e Sanctissima Eucharistia, quae, quemadmodum fons est caritatis, ita elatum est vexillum concordiae et pacis? ((Sicut enim panis ex multis granis constans, unitus est, ita ut grana nusquam appareant, sed sunt quidem ipsa, non manifesta autem sit illorum differentia propter coniunctionem : sic nos et mutuo et cum Christo coniungimur. Non enim ex altero corpore hic, ex altero ille nutritur, sed eodem ipso omnes : ideoque adiecit (S. Paulus Apostolus) *omnes ex uno pane participamus.* Si autem ex eodem et idipsum efficimur omnes, cur non eandem caritatem exhibemus, et ex eadem ratione unum efficimur? w.[1]

Haec verbis Nostris illic loquere et adhortare, summopere annitens,

[1] **S. Ioannes Chrysostomus, *In Epist. I ad Cor.,* Horn. XXIV, 2; Migne, P.L. 61, 200.**

ut ad splendidiorem triumphum faciendum Divini Redemptoris, sub Eucharistico velamine delitescentis, voluntatem suscipias ac strenuam conféras operam. Quod ut feliciter contingat, tibi, Dilecte Fili Noster, superna invocamus auxilia, horumque auspicem, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus, quam ad sollertem Legionensem Episcopum, ad sacrorum Antistites, ad magistratus, ad sacerdotes et christifideles Eucharistico Legionensi Conventui adstaturos pertinere libenter percupimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die xv mensis Iunii anno MCMLXIV, Pontificatus Nostri primo.

PAULUS PP. VI

ALLOCUTIONES

I

Ad Excellentissimum Virum Belisarium Moreno Hueyo, a Republica Argentina ad Apostolicam Sedem missum cum auctoritate Legatum, qui Summo Pontifici Litteras tradidit commissi muneris testes. *

Señor Embajador :

Vivamente agradecemos las nobles expresiones con que Vuestra Excelencia ha acompañado la presentación de las Cartas Credenciales que lo acreditan Embajador Extraordinario y Plenipotenciario de la República Argentina ante la Santa Sede ; y, mientras le damos Nuestra cordial bienvenida, Nos complacemos en manifestar el particular afecto que reservamos a su hidalga Nación.

Llegáis, Señor Embajador, con la experiencia de altos cargos desempeñados, para continuar las felices relaciones existentes entre la Cátedra de San Pedro y vuestro País, una de cuyas características es la fe ardiente y generosa que ha trazado la trayectoria de sus mejores gestas y que ha culminado, durante los últimos años, en jornadas entusiastas de fervor piadoso con motivo del Congreso Eucaristico Nacional de Córdoba, del Congreso Mariano Interamericano y de la Misión General del Gran Buenos Aires.

*** Die 20 mensis Iulii a. 1964.**

Bien sabéis como la Iglesia sigue la vida de vuestra privilegiada Nación, con solicitud y amor de madre, en cuyo corazón no quedan indiferentes los reflejos espirituales que derivan del aumento demográfico, de la constante industrialización, de la instalación de centros de progreso.

Complacidos vemos la actividad intensa y amplia que, paralelamente a este incremento de orden material, se está llevando a cabo en los sectores religioso, social y cultural a los cuales tanto influjo benéfico pueden dar la colaboración de ilustres católicos — hijos de ese ubérrimo País — y el providencial aumento de Clero. La reciente configuración de las antiguas y vastas Diócesis Argentinas, reorganizadas y dobladas en número, permitirá a sus celosos Prelados afrontar más de cerca los problemas pastorales con asistencia vigilante, asidua y coordinada que no podrá menos de redundar en provecho de ese pueblo tan amante de los valores supremos del hombre.

Ante los laudables esfuerzos que la amadísima Argentina realiza por su continuo y estable bienestar, deseamos que ese mismo cristianismo el cual, con beneméritas instituciones, **dio** los fundamentos de una personalidad patria y de un porvenir seguro, irradie siempre energías de espiritualidad que lleguen con renovado esplendor y perenne eficacia a las diversas esferas de vuestra sociedad, principalmente a aquellas que podrían ser más fácilmente víctimas del error.

¡ Que la fe en Cristo y el amor a la Iglesia, patrimonio venerando y sagrado de las más puras tradiciones argentinas, principio y sostén de unión, de concordia fraternal y de vigor fecundo, prosigan inspirando y manteniendo el rango que a vuestra Nación le corresponde para afianzar los ideales de paz y de justicia dentro de sus fronteras, en el ámbito del inmenso Continente Latinoamericano y en el mundo entero !

Los lazos de amistosa colaboración entre la Santa Sede y la Nación Argentina se estrecharán, sin duda, con vuestra labor inteligente. Al asegurarle Nuestra benevolencia para el cumplimiento de sus tareas, invocamos sobre Vuestra Excelencia, sobre el Excelentísimo Señor Presidente de la República y su Gobierno, sobre todo el dilectísimo Pueblo Argentino copiosas bendiciones divinas.

II

Ad Excellentissimum Virum Marcum Agajyellew, ab Aethiopiae Imperatore ad Apostolicam Sedem missum liberis cum mandatis Legatum, qui Summo Pontifici Litteras sui muneris fidem facientes tradidit. *

Tour Excellency,

We are very happy to welcome Your Excellency and to receive from you the letters of Credence with which His Imperial Majesty the Emperor of Ethiopia has named you représentative of that nation to the Holy See.

Ever since Saint Frumentius, the Apostle of Ethiopia, omcially introduced Christianity in the fourth Century, Christianity has continued to grow in your land. And today, Catholics are maMng notable contributions in the fìelds of éducation and public assistance. We are sincerely grateful and appréciative of the kind worls which His Imperial Majesty spoke recently in praise of the activity of the Catholic Church in Ethiopia, and in particular, of his support and «encouragement of the initiatives which the Church has sponsored for the spiritual and material weif are of that nation. We know that Catholics in Ethiopia are loyal **Citizens,** proud of their spiritual héritage and most **Willing** to give of themselves and their means for the development of their country.

More recently Ethiopia has assumed a very important role in the development of that vast continent of which it is a part. It was host to the Assembly of Heads of African States in May, 1963, which gave birth to the Organization of African Unity, an instrument which can serve to bring about better understanding between nations and peace among peoples. We are anxious that Ethiopia play its role in modera events, and We are confident that the good relations existing between Ethiopia and the Holy See will continue to flourish for the mutuai benefit of both. We wish Your Excellency great success in this new responsibility.

We ask you to transmit to His Imperial Majesty the Emperor of Ethiopia Our very best wishes for his continued good health and for the prosperity of his nation and people. May Almighty God bless Ethiopia with His choicest gifts !

*** Die 21 mensis Iulii a. 1964.**

NUNTIUS RADIOPHONICUS

Christifidelibus Hispanae Nationis missus, cum Legione sextus, ex universa Hispania Eucharisticus Congressus celebraretur. *

¡Bendito y alabado sea el Santísimo Sacramento del altar!
Españoles todos amadísimos:

La ciudad de León, también ahora como en otros tiempos corazón de España, ofrece a Cristo en la Eucaristía el amor de la nación entera en el himno de sus vetustas arquitecturas, de sus joyas litúrgicas, de sus piedras románicas. Por las viejas rutas de peregrinación han llegado a la antigua capital del reino leonés romeros de la Península, representantes de Hispanoamérica y de Europa para dar expresión a su fe eucaristica y tributar veneración al Rey inmortal de los siglos.

El Panteón Real, que, bajo bóvedas de belleza mística incomparable, conserva en el silencio y en la espera de la resurrección los despojos mortales de veinte reyes, parece extremecerse en reverente adoración ante el Sacramento del Altar.

Al pie mismo del trono eucaristico, contemplando la cadena, desde tiempo inmemorial nunca interrumpida, de visitas al Sacramento expuesto, está el gran Isidoro, Padre de la Iglesia, cuyo cuerpo hace nueve siglos vino de Sevilla a esta su Basílica ; y ahora como entonces la sangre de Cristo ha sido recogida en el antiquísimo cáliz de ágata, regalo de la Reina Doña Urraca de Castilla.

En las sesiones de estudio, igual que en la meditación silenciosa de las horas de adoración eucaristica, durante estas jornadas se ha repetido el tema de vuestro Congreso, « ut sint unum », y se han gustado las palabras de San Pablo a la Comunidad de Efeso : « Un cuerpo solo y un solo Espíritu, como una sola es la esperanza a la que estáis llamados por vuestra vocación ; un solo Señor (Cristo), una sola fe, un solo bautismo; un solo Dios y Padre de todos, el cual está sobre todos, en todos obra y en todos está **A.**[1]

La unidad plena solamente se alcanzará en el Paraíso cuando Dios

*** Die 12 mensis Iulii a. 1964.**
[1] ***Eph.* 4, 4-6.**

sea todo en todos[2] y los hombres « de toda raza, tribu y lengua »,[3] alaben únicamente a Dios y al Cordero Inmaculado. La unión, deseo testamentario de Cristo, la que a sus discípulos toca realizar en constante esfuerzo, es fruto de un proceso ascético, de una actitud que se inicia con el acercamiento a Dios, porque es ante todo convergencia de voluntades al centro propulsor de la vita verdadera y al norte inspirador de toda verdad. Y este camino hacia le verdad y la vida pasa por Cristo : El es nuestra paz, nos enseña San Pablo ;[4] dándonos su gracia, nos introduce en la familia de Dios ; la Eucaristía, alimento y sustancia del vivir cristiano, sacramento en el centro de las fuentes de la gracia.

En Cristo, Nuevo Adán, se recoge y condensa lo multiplicado y disperso por el pecado, porque en Ë1 todo se recapitula.[5] La división y la discordia quedan vencidas por su mano con esa demolición de la pared divisoria que Ë1 llevó a cabo por su muerte, de tal forma que ya <(no hay judío ni griego ».[6] Cristo, que derribó el muro que separaba a los hebreos de los gentiles,[7] lleva esta obra a más amplia ejecución aboliendo toda posible frontera espiritual : « No hay bárbaro ni escita ».[8]

Este misterio de unificación, de unidad mística divina y humana, en el que se cifra nuestra sociedad con Cristo, y, mediante Ë1 con Dios, con los hermanos, si bien se realiza en una esfera diversa de la puramente temporal, no ignora, sin embargo, la socialidad humana : la supone, la cultiva, la sublima. El cristiano verdadero siente extremecer su alma con los gemidos de la creación, estando preparado para descubrir en la sociedad, como un signo de los tiempos, aquella misteriosa expectación, aquel movimiento hacia expresiones unitarias que fermenta en el pensamiento, en la cultura, en la acción con espera de mayor bien, con ansias de más altas conquistas. Vivir en Cristo no es estar en campo cerrado porque la perspectiva del mundo a la luz del evangelio es siempre rica y profunda, y marca una linea que abarca hombres y cosas, y enlaza todas las situaciones con capacidad de conducirlas al designio primitivo y ordenador de Dios : « Conducidos todos a la unidad por el Unico », como dirá San Agustín.[9]

[3] **Cfr. *1 Cor.* 15, 28.**

[3] ***Act.* *1,* ɑ**

[4] **Cfr. *Eph.* 2, 11-20; cfr. *Eph.* 3, 5-10.**

[5] **Cfr. *Eph.* 1, 10.**

« *Gal.* 3, 28; *Col.* 3, 11.

[7] ***Eph.* 2, 14.**

*** *Col.* 3, 11.**

[9] ***Serm. 195,* 2; ML, 38, 1018.**

El grito de unión de vuestro Congreso, el mensaje con que la Iglesia se presenta hoy especialmente al mundo y con el que invita aun a los que están fuera de Ella, es palabra, es oración de Cristo en el cenáculo. La f e os hará leerlo en la custodia de vuestras procesiones. No se plantea como un ideal de defensa o de ataque, sino como verdad vital que tiene vigencia permanente y debe hacerse sustancia propia mediante la meditación y la plegaria^ el sacrificio, el trabajo, la corrección a veces de la propia mentalidad, y siempre con la comprensión y el amor.

Podrán ser desarrollados los mecanismos del diálogo, pero sin dar lugar a encendimientos condenables; podrán existir divergencias en la apreciación, en las posturas colectivas, mas dentro de la disciplina eclesial, y sin romper la unidad y la concordia social; siempre bajo la ley suprema de la caridad la cual señala límites obligados al tono que ha de regir el intercambio de ideas en la búsqueda de la verdad con toda su riqueza. Esto y sólo así es signo de madurez y será preludio de perfeccionamiento, ansia de auténtica continuidad, proyección hacia nuevas metas.

Ante la insoslayable interacción de ideologías y fuerzas contrastantes se habrá de recordar el « vigilate et orate » del único Maestro. Ante la irrefrenable osmosis de los medios de comunicación se exigirá fortalecimiento en la fe, vigor de vida cristiana, intensificación de la instrucción religiosa, de una formación que sirva no solo para mantener el contacto con Dios y para conservar el patrimonio religioso heredado, sino también, en espontanea y misional expansión, para la edificación del prójimo. De este modo principalmente estará garantizada la unidad católica, bien ahora poseído y que será siempre un don de orden y calidad superior para la promoción social, civil y espiritual del País.

Abre, España, tu alma a la esperanza. Abre tus ojos y mira a Cristo, Pastor, para que con la fuerza convincente e irresistible de su amor hermane cuanto pudiere quedar de aspereza por el dolor de horas tristes ya pasadas. Mira a Cristo, Maestro, para que con el dominio poderoso y suave de sus enseñanzas y de su programa congregue a todos tus hijos : que El en particular asista a los que están lejos de sus lares para que no se enturbie la pureza de su fe, no se pierda la herencia de sus sanas costumbres, sino que al volver a su terruño se sientan de nuevo en la comunidad de hogar, de fe, de vida que con el camino de la emigración dejaron.

Ensancha, España, tu corazón a la caridad. Ahí, en la Eucaristía está el « *Rex et centrum omnium cordium* » ; ahí el pan bajado del Cielo

que se come en torno a la misma mesa ; ahí la vid que distribuye la savia buena a todos los sarmientos : ahí la cabeza que rige y gobierna invisiblemente el cuerpo místico entero; ahí finalmente el libro que resume el misterio de la Iglesia en su ascendente movimiento de adoración al Padre, en su retorno de amor redentor a los hombres, de la Iglesia comunidad de culto y de santificación.

¡ Oh, qué hermosa primavera la de esta Iglesia en España, Hijos amadísimos! Que Cristo, Rey Eucaristico, bendiga el trabajo de los campos, el trajín de las fábricas, el afán de los intelectuales, el apostolado de los sacerdotes. Y que la misericordia del Señor se confirme sobre el amadísimo pueblo español, con su celosa y benemérita Jerarquía, y las Supremas Autoridades civiles de la Nación. A tí, dignísimo Cardenal Legado Nuestro, que, Sucesor en la Sede de Lima del gran leonés Santo Toribio, vienes de esa América donde España sembró con el amor a la Eucaristía una maravillosa unidad de f e ; a Nuestro Venerable Hermano el Obispo de León, y a todos cuantos están de alguna manera unidos en estos momentos a las solemnidades del Congreso Eucaristico, impartimos de corazón la Bendición Apostólica.

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SS.

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

I

PROVISIO ECCLESIARUM

Sanctissimus Dominus Noster Paulus Divina Providentia Papa VI, successivis decretis Sacrae Congregationis Consistorialis, singulas quae sequuntur Ecclesias de novo Pastore dignatus est providere, nimirum :

die 15 Iunii 1964. — Titulari episcopali Ecclesiae Hortensi praefecit R. P. D. Maximinum Romero Lema, Antistitem Urbanum, e clero Compostellano, quem deputa vit Auxiliarem Excmi P. D. Casimiri Morcillo González, Archiepiscopi Matritensis-Complutensis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Mutiensi R. D. Iosephum Guerra Campos, Canonicum collegii metropolitam Compostellana quem deputavit Auxiliarem Excmi P. D. Casimiri Morcillo González, Archiepiscopi Matritensis-Complutensis.

die 22 Iunii. — Titulari episcopali Ecclesiae Seleucianensi R. P. D. Ioannem Bianchi, Cubicularium intimum supra numerum Sanctitatis Suae atque Vicarium Generalem archidioecesis Florentinae, quem deputavit Auxiliarem Excmi P. D. Ermenegildi Florit, Archiepiscopi Florentini.

die 7 Iulii. — Cathedrali Ecclesiae Civitatensi Exc. P. D. Demetrium Mansilla Reoyo, hactenus Episcopum titulo Erythraeum.

— Cathedrali Ecclesiae Huelvensi Exc. P. D. Iosephum Mariam García Lahiguera, hactenus Episcopum titulo Zelitenum.

die 10 Iulii. — Cathedrali Ecclesiae Cabralopolitanae, noviter erectae, R. D. Henricum Dias Nogueira, Iuris Canonici doctorem in Seminario dioecesis Conimbricensis.

II

LAUDENSIS

DECRETUM

De erectione dignitatum Archidiaconatus et Primiceriatus in Capitulo Cathedrali Laudensi.

Cum Exc.mus P. D. Tarcisius Vincentius Benedetti, Episcopus Laudensis, ad augendum decus et ornamentum Capituli Cathedralis Laudensis nuper porrexerit preces, ut in eodem Capitulo Cathedrali, in quo una tantum in praesens exstat *Archipresbyteratus* dignitas, duae novae erigerentur dignitates, nomine *Archidiaconi* et *Primieerii* appellandae, Sacra Congregatio Consistorialis, vigore specialium facultatum sibi a Summo Pontifice Paulo Divina Providentia Pp. VI tributarum, oblatis precibus annuendum censuit.

Quapropter suppleto, quatenus opus sit, eorum interesse habentium vel habere praesumentium consensu, praesenti Consistoriali Decreto, in Capitulo Cathedrali Laudensi dignitates Archidiaconatus et Primiceriatus perpetuo erigit et constituit.

Dignitatum autem hic erit ordo : *Archipresbyteratus* prima, *Archidiaconatus* altera, et *Primiceriatus* tertia.

Ita constitutae dignitates omnibus iuribus et privilegiis cohonestabuntur, quibus capitulares dignitates iure communi fruuntur et gaudent : earumdem vero collatio ad normam sacrorum canonum Apostolicae Sedi reservatur.

Sacra Congregatio Consistorialis tamen, hoc Decreto, Archidiaconatus dignitatem R. P. D. Carolo Salvaderi et dignitatem Primiceriatus R. D. Hyacintho Scolari, eiusdemque Capituli Cathedralis Laudensis canonicis, pro hac vice confert.

Ad haec omnia perficienda eadem Sacra Congregatio Consistorialis deputat memoratum Exc.mum P. D. Tarcisium Vincentium Benedetti, eique necessarias et opportunas tribuens facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad Sacram Congregationem Consistorialem quam primum remittendi authenticum exemplar actus peractae exsecutionis.

Quibus super rebus hoc edit Consistoriale Decretum perinde valiturum ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent.

Contrariis quibusvis minime obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis Consistorialis, die 6 mensis Aprilis anno 1964.

CAROLUS Card. CONPALONIBRI, *a Secretis*

L. © S.

f Franciscus Carpino, Archiep. tit. Serdicen., *Adsessor*

III

LINCOLNENSIS

DECRETUM

Translationis Cathedrae episcopalis

Lincolnensis dioecesis, Apostolicis Litteris « Quo catholico nomini)) die secunda mensis Augusti a. D. MDCCCLXXXVII a Summo Pontifice Leone Pp. XIII erecta, christifidelium frequentia ac Religionis et caritatis operibus magnum rerum incrementum, hisce nostris temporibus, Deo adiuvante, est consecuta.

Quapropter Excmus P. D. Iacobus Vincentius Casey, eiusdem dioeceseos Lincolnensis Episcopus, vota universi cleri omniumque fidelium exprimens, ab Apostolica Sede enixe postulavit ut episcopalis Cathedra in novum aptiusque mox in eadem civitate episcopali struendum templum, Domino Nostro Iesu Christo qui ad vitam rediit dicandum, transferretur.

Porro haec Sacra Congregatio Consistorialis, re mature perpensa ac habito inprimis favorabili voto Excmi P. D. Aegidii Vagnozzi, Archiepiscopi tit. Myrensis et in Civitatibus Foederatis Americae Septentrionalis Delegati Apostolici, rata id ad decus Lincolnensis Ecclesiae valde profuturum, porrectis precibus annuendum censuit.

Quapropter suppleto, quatenus opus sit, eorum interesse habentium vel habere praesumentium consensu, vigore specialium facultatum a Ssrïïo Domino Nostro Paulo Divina Providentia Pp. VI sibi tributarum, praesenti Consistoriali Decreto, perinde valituro ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent, memoratum novum mox struendum tem-

pium, Domino Nostro Iesu Christo qui ad vitam rediit dicandum, ad dignitatem et gradum ecclesiae Cathedralis Lincolnensis evehit, ita ut in eodem episcopalis Cathedra posthac erigi possit ac debeat, collatis simul omnibus praerogativis, iuribus et privilegiis quibus ceterae Cathedrales fruuntur.

Ad haec omnia exsecutioni mandanda Sacra Congregatio Consistorialis deputat memoratum Excmum P. D. Aegidium Vagnozzi, eidem tribuens facultates necessarias et opportunas, etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad eandem Sacram Congregationem Consistorialem authenticum exemplar actus peractae exsecutionis quam primum remittendi.

Contrariis quibusvis minime obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus S. C. Consistorialis, die i mensis Iunii a. D. **MCMLXIV.**

CAROLUS Card. **CONFALONIERI,** *a Secretis*

L. ✠ S.

✠ Franciscus Carpino, Archiep. tit. Serdicen., *Adsessor*

SACRA CONGREGATIO RITUUM

I

MATRITEN.

Beatificationis et canonizationis Servae Dei Mariae a Desponsatione Irigoyen Echegaray, sororis professae Congregationis Servarum Mariae infirmis ministrantium.

SUPER DUBIO

An signanda sit commissio introductionis causae in casu et ad effectum de quo agitur.

Cum venerit Christus Dominus, gloria et splendore triumphali conspicuus, et Angelorum circumdatus agminibus, in sollemni tribunali divini Iudicis partes agens, admiratione et gaudio exsultabunt iusti cum

audierint opera sua exigua et exilia tanti a Christo fieri, ut sibi factum existimet, quod proximis praestitum est : « *Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis* » *(Mt.* 25, 40). Divinus Iudex ab aliis legis praeceptis abstrahere videtur, et ex caritatis et misericordiae operibus, ac si sola iustos et peccatores constituerent, alios salvat, alios damnat. Paulus quoque Apostolus ad Corinthios scripsit absque Caritatis virtute neminem quidquam se fecisse existimet (cfr. / *Cor.* 13).

Divinam vocem : « *infirmus eram, et visitastis me* » *(Mt.* 25, 36) audivisse, et gigantis instar ad christianae perfectionis viam ferendam exsultasse, ad maiora virtutum incrementa iugiter incessisse atque infirmis heroice ministrasse Servam Dei Mariam a Desponsatione Irigoyen Echegaray, sororem professam Congregationis Servarum Mariae infirmis ministrantium, nuperrime compertum est ex discussione super introductionem causae beatificationis eiusdem Famulae Dei.

Ea ortum duxit Pampelone in Hispania, die 25 mensis Novembris anno 1848, atque postridie baptismate Deo renata est. Parentes habuit Tiburtium Irigoyen, Deputationis Navarrensis Provinciae Praesidem, et Leonardam Echegaray, ortus nobilitate censuque et praesertim religione praestantes. Duos habuit fratres sororesque duas, qui omnes, una secum, ab unguiculis in Domini timore et amore rectam domi institutionem receperunt. Sexto aetatis anno nondum expleto, Christi miles sacro Unita Chrismate effecta est, unde et pietate, cordis simplicitate et caritate imbui coepit et in recta Christi semita progredi. Primis divinae et humanae scientiae elementis domi delibatis, Famula Dei religiosis S. Dominici a parentibus tradita est quo aptius ampliusque institueretur ; ibi pia exercitia ardentius inde a primo mane exercebat, singulis hebdomadibus ad Poenitentiae Sacramentum accedebat et, quamvis vivida indole ditata, oboedientia atque operositate eminebat. Duodecimo aetatis anno expleto, uti mos erat, ad sacram Synaxim, ardentissimo aestuans amore, primum accessit, atque in posterum cotidie fere Angelorum pane animam suam saginavit, magisque in dies pia, a mundanis vel licitis deliciis aliena atque in pauperes misericors evasit.

Domum reversa, Famula Dei impensius pietatis et caritatis operibus vacare potuit, affabilis et lenis, parentibus iugiter submissa, die, noctuque etiam aliquando, orationi insistens, a domesticis tamen officiis nihil remittens. Conscientiae suae iudicem et magistrum docili animo sequebatur, Filiarum Mariae sodalitati nomen exsultans dedit, ac dein eidem praeesse non renuit, ceteris coaetaneis egregia specimina pietatis, sedulitatis et caritatis praebens.

Demortuis parentibus, fratres ceterique superstites consanguinei, senio morbisque plerumque confecti, sedulis Servae Dei curis fruiti sunt per decem annos et amplius. Vita deinde altero fratre functo, altero vero iustis coniuncto nuptiis, ipsa, recte riteque suis divitiis distributis cum in pauperibus sublevandis tum maxime in adiuvanda Congregatione Servarum Mariae, potuit tandem eiusdem Instituti religiosam, quam semper optaverat, ingredi domum, die 31 Decembris anni 1881, tertium supra trigesimum aetatis annum agens.

Mox vero, ad Matritensem domum est vocata Famula Dei, et die 12 mensis Martii anni 1882 vestem religiosam induit; rite autem novitiatus tempus emensa, prima nuncupavit vota die 14 Maii a. 1883, et perpetuam emisit deinde professionem die 16 Iunii a. 1889.

Infirmorum ministerio primum addicta, zelo salutis animarum corporumque aegrotorum excelluit; caritate enim indefátigabili, patientia et tenerrima benevolentia adeo omnes aegrotos prosecuta est, ut ab iisdem veluti vera haberetur ***mater;*** infirmis gravioribus et infectis, grassantibus Matriti cholera, typho et variolis, sponte libenterque, ad sui ipsius usque sacrificium, heroum in modum consuluit. Dein vero surditate laborans ab anno 1906, eleemosynis ostiatim colligendis addicta aliisque humillimis ofliciis, tum domi tum per totam Matritensem civitatem bonum Christi odorem diffudit. Phtysi in genibus affecta, anno 1913 duas chirurgicas sectiones patientissime toleravit. Ab ordinariis tum officiis coacta est remittere, at orationi impensius vacavit et consodales pro viribus adiuvit.

Senio tandem confecta, extremis Ecclesiae sacramentis munita, pie obdormivit in Domino die 10 mensis Octobris anni 1918.

Eius autem sanctitatis famam, qua in vita decorabatur, in dies crebrescentem, Deus caelestibus signis visus est comprobare. Hinc causa de Beatorum Caelitum honoribus eidem decernendis agi coepta est. Ordinarii, qui dicuntur, processus in Curia ecclesiastica Matritensi a die 16 Ianuarii a. 1944 ad diem 5 Iulii a. 1945 instructi et absoluti, Romam ad hanc Sacram Rituum Congregationem delati sunt. Interim autem quamplurimae litterae S. R. E. Cardinalium, Archiepiscoporum, Episcoporum atque virorum tam ecclesiastica quam civili dignitate insignium ad Summum Pontificem pervenerunt, causae beatificationis introductionem enixe postulantes.

Servatis igitur de iure servandis, Sacra eadem Rituum Congregatio, scriptis eidem Servae Dei tributis rite perpensis, Decreto diei 4 Aprilis a. 1948, approbante Pio Papa XII, nihil obstare edixit, quo-

minus ad ulteriora procedi posset. Quapropter, instante Revmo P. Theodoro a S. Familia, Excalceatorum Ssmae Trinitatis atque sollertissimo huius causae Postulatore, Emus ac Revmus Dominus Clemens **Cardinalis** Micara, causae Ponens seu Relator, in ordinario huius Sacrae Congregationis coetu die 30 mensis Ianuarii anni huius ad Vaticanum celebrato, dubium disceptandum proposuit : *An signanda sit commissio introductionis causae in casu et ad effectum de quo agitur.* Et Emi ac Revmi Patres, sacris ritibus tuendis praepositi, post relationem ipsius Ponentis, auditis quoque suffragiis Officialium Praelatorum, praesertim R. P. Ferdinandi Antonelli O. F. M., Fidei Promotoris Generalis, omnibus mature perpensis, rescribere censuerunt : *Affirmative,* seu *signandam esse commissionem, si Sanctissimo placuerit.*

Facta deinde de praemissis omnibus Sanctissimo Domino nostro Ioanni Papae XXIII per subscriptum a Secretis relatione, Sanctitas Sua rescriptum Sacrae Rituum Congregationis ratum habuit et confirmavit atque *commissionem introductionis causae Servae Dei Mariae a Desponsatione Irigoyen Echegaray* manu propria signare benigne dignata est.

Datum Romae, die 14 Februarii a. D. 1962.

ARCADIUS M. Card. LARRAONA, *Praefectus*

L. 8 S.

Henricus Dante, *a Secretis*

II

PATAVINA

Beatificationis et canonizationis Servi Dei Leopoldi a Castronovo, sacerdotis professi Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum.

SUPER DUBIO

An signanda sit commissio introductionis causae in casu et ad effectum de quo agitur.

Divus Paulus, gentium Apostolus, studio salutis fratrum e genere suo incensus, eo processit ut haec verba proferret : *Optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem (Rom.* 9, 3).

Hoc dictum transferri potest in Servum Dei Leopoldum a Castronovo, sacerdotem professum ex Ordine Fratrum Minorum Capuccinorum, utpote qui peculiari plane amore fratres a catholica unitate seiunctos complecteretur.

Is in oppido Castronovo ad Catharum in Dalmatia die 12 mensis Maii anni 1866 natus est, et sacro baptismatis fonte rite ablutus, Adeodatum accepit nomen et omen. Parentes habuit Petrum A. Mandic et Carolam Zareviè, morum integritate, puritate fidei, pietatisque studio praestantes, qui duodecim liberos a Deo donatos in recta institutione christiana educandos curarunt.

E quibus hic Servus Dei inde ab adolescentia christianas virtutes, in primis pietatem in augustissimum Eucharistiae sacramentum ac Deiparam Virginem, oboedientiam et castitatem colere coepit. Annos autem natus duodeviginti, mundo paternaeque domui vale dicens, Ordinem Capuccinorum in Veneta Provincia ingressus est; in quo, nomine in Leopoldum mutato, vota simplicia die 5 mensis Maii anni 1885 nuncupavit, ac deinde, studiorum curriculis rite emensis, die 20 mensis Septembris anni 1890 sacerdos consecratus est.

Cum autem perspicue intellexisset se a divina liberalitate ad hoc destinatum esse, ut fratrum, praecipue orientalium et popularium suorum, reditum ad Ecclesiae unitatem promoveret, nihil omisit ut ad hoc mandatum exsequendum aptum evaderet instrumentum. Cumque recens a sacerdotio a Superioribus suis ex uno in alium Provinciae conventum transferretur, ipse in patriam suam proficisci cogitabat, ut officium reducendorum dissidentium tandem aggrederetur. Sed simul atque cognovit id fieri non posse, Superiorum voluntati acquiescens, hoc sacrificium et semet ipsum pro iisdem fratribus victimam Deo obtulit; quin etiam voto saepius renovato se obligavit ad totam vitam suam omnesque ministerii sui labores huic apostolatui consecrandos.

Et re vera, Leopoldus, etsi regiones orientales ei adire non licuit, fuit nihilominus verus orientalium apostolus; in quo apostolatu obeundo quot preces et supplicationes fecerit, quot sacrificia suique ipsius abnegationes obtulerit, quot difficultates sit expertus, quot lacrimas et gemitus fuderit, quot denique et corporis et animi angores ac dolores libentissime toleraverit, solus Deus, qui videt in occulto et scrutatur renes et corda, plane cognoscit.

Eius vitae institutum hoc erat: mane Missae sacrificio celebrato, sedebat in cellula audiendis confessionibus destinata, ibique per totum

diem praesto erat paenitentibus. Quem vitae tenorem servavit ad annos quadraginta, numquam vel minimum lamentatus de nimio vel frigore in hieme vel calore in aestate, nec de multiplicibus doloribus et molestiis corporis quibus iugiter vexabatur. Stomachi laborabat morbo, qui postea cáncer esse apparuit et se in oesophagum propagavit. Somno utebatur brevissimo ; cumque ei suaderetur ut longiorem caperet requiem itemque ut sibi ipsi parceret ac secum mitius ageret, respondebat hoc sibi ideo non licere, quod pro paenitentibus suis precari et aliorum quoque peccata expiare deberet. Praeter corporis incommoda, animi etiam luctationibus et aegritudine probatus est.

Quibus patientissime toleratis, Ecclesiae sacramentis et precibus munitus, Patavii, ubi maiorem vitae partem traduxerat, animam Deo reddidit die 30 mensis Iulii anno 1942.

Mirabile dictu est quam late quamque celeriter sanctitatis fama Servi Dei Leopoldi a Castronovo in universum ferme orbem diffusa sit magisque in dies diffundatur, ut clarissime demonstrant plurimae postulatoriae litterae ab Emis Patribus Cardinalibus, ab Excmis Archiepiscopis et Episcopis, ab Institutorum religiosorum Moderatoribus ad Romanum Pontificem missae pro Causae introductione. Quatuor annis a pretioso Servi Dei obitu vix transactis, processus est inchoatus ordinarius, in quo excussi sunt cum alii multi testes, tum sex Archiepiscopi et Episcopi, quam plurimi sacerdotes, Universitatum studiorum professores, medici doctores. Scriptis eiusdem rite examinatis et perpensis, a Sacra Rituum Congregatione decretum est die 2 mensis Aprilis anno 1954 nihil obstare quominus ad ulteriora procedi posset.

Servatis itaque omnibus de iure servandis, die 15 mensis Maii anno 1962, instante Revmo P. Bernardino a Senis, Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum sollertissimo Postulatore Generali, Emus ac Revmus Cardinalis Arcadius M. Larraona, S. Rituum Congregationis Praefectus Causaeque ipsius Ponens seu Relator, in ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis ad Vaticanas aedes celebratis comitiis, dubium posuit disceptandum : *An signanda sit commissio introductionis causae in casu et ad effectum de quo agitur,* ac de ea retulit. Emi autem et Revmi Patres, audita relatione acceptisque suffragiis Officialium Praelatorum, praesertim R. P. Ferdinandi Antonelli O. F. M., sanctae Fidei Promotoris Generalis, rescribere censuerunt : *Signandam esse commissionem, si Sanctissimo placuerit.*

Facta vero Ssmo Domino nostro Ioanni Papae XXIII ab eodem Fidei

Promotore Generali relatione die subscripto, Sanctitas Sua, votum S. R. O. ratum habens, *commissionem introductionis causae Servi Dei Leopoldi a Gastronovo* propria manu dignata est subsignare.

Datum Romae, die 25 mense Maio, anno Domini 1962.

ARCADIUS M. Card. LARRAONA, *Praefectus*

L. ✠ S.

Henricus Dante, *a Secretis*

III

MATRITEN.

Beatificationis et canonizationis Servi Dei Iosephi Mariae Rubio y Peralta, sacerdotis professi e Societate Iesu.

SUPER DUBIO

An signanda sit commissio introductionis causae in casu et ad effectum de quo agitur.

Christi Ecclesiae summopere interest prae omnium oculis ponere atque extollere viros illos, quorum in singulare et admirabile Dei servitium vita fuit impensa, et mors exstitit in conspectu Domini pretiosa, ut ad virtutum admirationem et imitationem fidelium animi alliciantur.

Quos inter merito recensendus est Servus Dei Iosephus Maria Rubio y Peralta.

Is natus est die 22 mensis Iulii anno 1864, in oppido cui nomen Dalias intra fines Granatensis archidioecesis, parentibus quidem humilibus, agrorum culturae addictis, at pietate et honestate admodum commendatis, eodemque nativitatis die salutaribus baptismi undis renatus. Bonam sortitus indolem, vix pueritiam egressus, in Seminario Almeriensi ecclesiasticis disciplinis vacare coepit. Inde Granátam, dein Matritum studiorum causa petens, magnam ubique virtutis famam adeptus, atque ob morum suavitatem animique candorem omnibus carus, anno 1887 Matriti sacerdotio auctus est. Primo Sacro devotissime litato, curae animarum, primum in paroecia loci Chinchón deinde in paroecia oppidi Estremerà, addicitur. Postea varias in dioecesano Seminario tradidit disciplinas. Relicto autem, ob adversam valetudinem, docendi munere, magistri pietatis apud "Moniales Sancti Bernardi partes gessit

ac denique curiae ecclesiasticae Matritensis notarius nominatus est. Qua in civitate solida uberrimi apostolatus iecit fundamenta. Quidquid implendi muneris supererai temporis, id orationi ac paenitentiae, sacrae praedicationi, animorum moderamini ac proximorum saluti impendebat.

Ubi primum, prout diu optaverat, propositum exsequi licuit, inditae Societati Iesu nomen dedit, anno scilicet 1906 ; in qua, emensis studiorum ac probationum assuetis curriculis, ad sacra ministeria Matriti obeunda destinatur, ubi insignes eius virtutes et apostolica agendi ratio innumeris christifidelibus iampridem perspectae erant.

Insignia apostolatus ac mirificae devotionis opera eum auctorem, institutorem aut eximium impulsorem agnoscunt ; immo nonnullae quoque religiosae familiae Dei Famulum conditorem habent, cum de aliis optime sit meritus. Plurimis animabus sanctitatis viam, quam sequerentur, monstravit; plures ad praeclara et diversa apostolatus opera potenter allexit; pauperum suburbiorum miseratus, illos ad fidem traduxit litterisque excoluit ; constantia et caritate haereticos devicit. Deus autem indefessam servi sui operam nonnullis charismatibus dicitur commendasse.

Meritis tandem plenus et Ecclesiae sacramentis munitus, obdormivit in Domino die 2 mensis Maii anno 1929.

Qui vivens optimi religiosi et sacerdotis gavisus erat opinione, post obitum, accedente rumore de gratiis, ni forte miraculis eius intercessione obtentis, sanctus praedicari coepit. Hinc Processus ordinaria auctoritate in Curia ecclesiastica Matritensi, per rogatorias autem litteras in Curiis Hispalensi et Granatensi, instructi fuere super fama sanctitatis vitae, virtutum et miraculorum in genere eiusdem Servi Dei, iique absoluti Romam translati sunt. Scriptis perpensis eidem Servo Dei tributis, Sacra Rituum Congregatio, die 23 Decembris anno 1952, nihil obstare decrevit quominus ad ulteriora procedi posset. Quapropter, instante Revmo P. Paulo Molinari, Societatis Iesu sollertissimo Postulatore Generali, Emus ac Revmus Dominus Arcadius M. Cardinalis Larraona, Sacrae Rituum Congregationis Praefectus, loco Emi ac Revmi Domini Clementis Cardinalis Micara, Episcopi Veliterni huiusque causae Ponentis seu Relatoris, in ordinario particulari huius Sacrae Congregationis coetu die 22 mensis Ianuarii a. 1963 ad Vaticanum celebrato, sequens dubium proposuit disceptandum : *An signanda sit commissio introductionis causae in casu et ad effectum de quo agitur.* Et Emi ac Revmi Patres, sacris ritibus tuendis praepositi, auditis suffragiis Oui-

cialium Praelatorum, praesertim R. P. Ferdinandi Antonelli O. F. M., Fidei Promotoris Generalis, omnibusque mature perpensis, rescribere censuerunt : *Affirmative,* seu *signandam esse commissionem, si Sanctissimo placuerit.*

Facta postridie de praemissis omnibus Sanctissimo Domino nostro Ioanni Papae XXIII per eundem Promotorem Generalem Fidei relatione, Sanctitas Sua rescriptum Sacrae Rituum Congregationis ratum habuit et confirmavit, atque *commissionem introductionis causae Servi Dei Iosephi Mariae Rubio y Peralta, sacerdotis professi e Societate Iesu,* manu propria signare benigne dignata est.

Datum Romae, die 23 Ianuarii a. D. 1963.

ARCADIUS M. Card. LARRAONA, *Praefectus*

L. ✠ S.

✠ Henricus Dante, Archiep. tit. Carpasien., *a Secretis*

II

PADERBORNEN.

Beatificationis et canonizationis Servi Dei Iordani Mai, laici professi Ordinis Fratrum Minorum.

SUPER DUBIO

An signanda sit commissio introductionis causae in casu et ad effectum de quo agitur.

Seraphicae sanctitatis fama inditam Minoriticam Familiam, ab humillimis primordiis ad Sanctae Mariae Angelorum de Portiuncula ad nostros usque dies, innumeri eximii viri non modo in scientiarum cathedris, in sacris expeditionibus ad gentes, in praedicatione divini verbi, in muneribus praeclaris obeundis, immo et in humiliori laicorum agmine servientes, magnopere illustrarunt. Sedulam horum omnium industriam in bonum Ecclesiae civilisque societatis, atque in salutem animarum operandam, pietatis et religionis monumenta ubique terrarum testantur. Ii omnes, memores evangelici verbi : « Qui se humiliât exaltabitur », Minores in Ecclesia Christi esse voluerunt, et in abscondito servire ; eos tamen Deus exaltavit et in candelabro posuit ut omni-

bus lucerent, hominesque Christi scientiam docerent, qui ministrare venit non ministrari.

Inter Patriarchae Pauperum asseclas non altiora quaerentes, sed humilibus consentientes, nostra hac aetate merito adnumeratur etiam Iordanus Mai, frater laicus, qui viginti septem fere per annos obscuram vitam duxit, atque in religiosa humilitate adeo sese exercuit, ut virtutum omnium praeberet exemplum.

Die 1 Septembris mensis, anno 1866, in oppido cui nomen Buer, Monasteriensis dioecesis intra fines, ex Henrico et Elisabeth Wittkemper natus, biduo post sacri baptismi ablutus est aquis. Parentes habuit opibus quidem tenues, vitae tamen probitate ac pietate claros : quapropter omnium sibi aestimationem conciliaverant. Decem filiorum corona exornati, omnibus religiosam, moralem civilemque institutionem tradiderunt, ita ut praeclaris moribus, honestate vitae cuncto populo exemplo essent. Henricus, hoc enim nomine in baptismo vocatus fuerat, pueritiam duxit assiduus atque proficiens in scholis tiro, procul a vanis oblectamentis, alienus ab illecebris, pius urbanusque puer. Quatuordecim annorum aetate ad sacram Synaxim primo accessit, puro corde ardentique animo. Patrem in coriaria et ephippiaria arte efficaciter adiuvit : attamen, aetate progrediens, nihil de vitae ratione remittens, mansuetudine, modestia sollertique activitate enituit. Sodalitati Beatae Mariae Virginis atque Consociationi Artifìcum a Dei Famulo Adulpho Kolping excitatae nomen dedit, ad catholicum apostolatum provehendum.

Anno 1885, die 8 Augusti, Confirmationis sacramento roboratus, paulo post ad arma est vocatus. Miles, pios, quos domi gerebat, mores summa diligentia tuitus est. Octavum supra vigesimum aetatis annum agens, matre iam orbatus, de honestis nuptiis cogitare coepit ; at anno 1894, spiritualibus exercitiis ab eximio P. P. Huenklembrock, S. I., traditis cum interesset, de vita religiosa amplexanda desiderium persensit, quod mense Augusto eiusdem anni perficere valuit, Seraphicum Ordinem ingrediens, inter fratres laicos, ut Deo humilis et absconditus servire intimius posset, Iordani nomine sumpto. Inter oblatos tertii Ordinis quatuor annis Paderbornae et alibi vitam duxit; die tandem 29 Augusti 1901 religiosam professionem in primo Ordine emisit, sacraque vota nuncupavit.

Per varia coenobia peragratus, laboriosa munera, quae fratribus laicis imponi solent, praecipue coqui officium libentissime suscepit, et alacri animo complevit ; indefessum sese praebens operarium in spiritu

oboedientiae, humilitatis, paenitentiae oblationisqne quotidie. Regularis disciplinae observantissimus, sanctitati assequendae se totum devovit per diuturnum orationis studium, atque omnigenarum virtutum exercitium. Quam vitam cum Christo absconditam Iordanus hilaris continuo duxit usque ad diem 20 Februarii anni 1922, cum Tremoniae, sacramentis pie roboratus, ad Superos evolavit.

Huiusmodi vivendi ratio, quam Iordanus Mai sanctam atque honestam Deo exhibuit, sanctimoniae famam minime dubiam ei comparavit, quae, e finibus religiosae Tremonensis domus egressa, in dies magis pervulgata est, adeo ut innumeri fideles una cum pastoribus suis beatificationis causam petierint. Quibus supplicationibus permotus, Episcopus Paderbornensis iuridicam inquisitionem instituit, atque processus sic adornatus Romam transmisit.

Super scriptis undique collectis riteque examinatis, die 28 Februarii 1940 decretum datum est ut inoffenso pede ad ulteriora procedi posset.

Servatis tandem omnibus de iure servandis, ad humiles enixasque preces Revmi P. Antonii Cairoli, Ordinis Fratrum Minorum Postulatoris generalis, Emus Dominus Augustinus Cardinalis Bea, causae Ponens seu Relator, in ordinaria particulari S. Rituum Congregatione, die 22 Ianuarii anno 1963 habita, dubium discutiendum proposuit : *An signanda sit commissio introductionis causae Servi Dei Iordani Mai, in casu et ad effectum de quo agitur.* Emi Patres Cardinales, sacris tuendis ritibus praepositi, et Revmi Praelati Officiales, re diligenti studio perpensa, rescribere censuerunt : *Affirmative,* seu *signandam esse commissionem, si Sanctissimo placuerit.*

Facta demum de his omnibus Sanctissimo Domino nostro Ioanni Papae XXIII, per Revmum P. Ferdinandum Antonelli, O. F. M., Fidei Promotorem Generalem, fideli relatione, Sanctitas Sua *commissionem introductionis causae Servi Dei Iordani Mai, in casu et ad effectum de quo agitur,* propria manu signare benigne dignata est, die 23 eiusdem mensis et anni.

Datum Romae, die 23 Ianuarii a. D. 1963.

ARCADIUS M. Card. LARRAONA, *Praefectus*

L. © S.

f Henricus Dante, Archiep. tit. Carpasien., *a Secretis*

V

MEDIOLANEN.

Beatificationis et canonizationis Servi Dei Andreae Caroli Ferrari, S. R. E. Cardinalis, Archiepiscopi Mediolanensis.

SUPER DUBIO

An signanda sit commissio introductionis causae in casu et ad effectum de quo agitur.

Paulus, Iesu Christi apostolus, iuvenem episcopum Timotheum instituens, virtutes omnes describit quibus episcopi ornati sint oportet (cfr. *1 Tim.* 3, 1-7), ita ut, quemadmodum et apostolorum Princeps monet, forma fiant ex animo gregis sibi crediti (cfr. *1 Pt.* 5, 1-4).

Hoc in episcopali munere perfungendo talem sese omnino Servus Dei Andreas Carolus Ferrari praestitit. Ipse namque clarissimos inter Praesules, qui saeculorum decursu Ecclesiam Mediolanensem sanctitate vitae, sapientia et pastoralis sollicitudinis laude ornaverunt, non immerito est recensendus. Decessorum suorum Ambrosii, Caroli, Friderici aliorumque vestigiis inhaerens Insubriae metropoli novum addidit decus et ornamentum.

Is, in Parmensis agri pago cui nomen « *Lalatta di Pratopiano* », die 13 mensis Augusti anno 1850, humilibus parentibus ortum duxit. Postridie infans sacra baptismi unda regeneratus est. Ad sacerdotium vocatus, anno 1861 dioecesanum Seminarium ingressus est, atque, studiorum curriculo laudabiliter expleto, die 19 Decembris anno 1873 sacerdotali dignitate est auctus. Insequenti vero anno parochus loci « Mariano » prope Parmam missus est, ac brevi post adiutor parocho Foronovi datus est. In his muneribus fungendis peculiarem propensionem in iuventutis curam spiritualem atque in divini verbi praedicationem ostendit. Mox vero scientiarum doctor et rector in Parmensi Seminario nominatus est, ac deinde Canonicus et Provicarius generalis dioecesis.

Qui pietate, doctrina animarumque peritia inter alios iamdiu praestabat, a Summo Pontifice Leone XIII episcopus Guastallensis renuntiatus est die 23 Iunii a. 1890. Eius autem virtutes, doctrina et indefessa actuositas amplius cognitae eundem Romanum Pontificem induxere, ut iuvenem episcopum ad frequentiorem dioecesim regendam, Comensem scilicet, promoveret.

Vivendi agendique autem episcopi Ferrari rationem, quam Guastallenses mirati erant, Comenses quoque brevi sunt experti. Tribus fere annis, quibus episcopus ad Larium fuit, totam dioecesim, vel remotissima eiusdem loca, sacra visitatione peragravit, atque praedicatione verbum Dei omnibus fidelium coetibus communicavit; cleri rectam institutionem strenue curavit; ut in catholicis consociationibus actio promoveretur, diligenter adlaboravit; et ut amor ac fidelitas erga Apostolicam Sedem et Romanum Pontificem in animis christifidelium radices ageret et firmaretur impense studuit.

In Consistorio die 18 Maii a. 1894 habito, Leo Papa XIII, qui episcopum Comensem in magna habebat aestimatione et singulari amplectebatur amore, inter Patres Cardinales eum adnumeravit et post triduum amplissimae Ecclesiae Mediolanensi archiepiscopum praefecit, ut clare pateret non tantum sedi, sed potius viro meritissimo Romanae Purpurae honorem dari.

Ex ipso autem die quo Famulus Dei archiepiscopus Mediolanensis renuntiatus est, christiano nomini in baptismo recepto nomen addidit Caroli illius Borromaei, qui immortalis pastor et lumen fuerat eiusdem Ecclesiae Mediolanensis. Hoc sane fecit Dei Famulus non solum pietatis impetrandique patrocinii causa, verum etiam ut pateret qua ratione susceptum munus in nova christiani gregis portione regenda expleturus esset.

Et fuit, fuit profecto vere bonus pastor, de spirituali bono gregis sibi commissi maxime sollicitus; bonus pastor qui oves suas non per alios sed ipsemet invisere et inter eas versari verboque praedicationis pascere gaudebat. Quid Religionis bonum, quidque tempora postularent intuens, clero instituendo recteque informando curas adhibuit maximas. Catholicam doctrinam contra errores tunc gìiscentes acerrime defendit, propter quod multa ab impiis perpessus est. Apostolatum boni preli seu librorum scribendorum edendorumque impense exercuit. Synodos dioecesanas et provincialia concilia celebravit, ac sapientissimas promulgavit leges. Catholicorum consociationes et societates omne genus provexit. In re quoque sociali plurimum adlaboravit atque eiusmodi instituit opera ut hodierna tempora praevenisse videatur. Immanes difficultates invicto animo superavit, catholicorum discidia mitigavit vel etiam abolevit. Grandia quoque pro Ecclesia molitus est, quandoquidem et condendae Catholicae Sacri Cordis Studiorum Universitati viam stravit, Seminaria restituit, ecclesiasticas artes et litteras fovit. In adversos magnanimus,

sibi constans et aequalis, mitis et fortis exstitit. Omnia omnibus factus, ut omnes Christo lucrifaceret, nulli pepercit labori et defatigationi, sui immemor, se omniaque sua impendens pro fidelium salute.

Interea tamen propriae animae perfectionem et sanctificationem minime neglexit. Immo, e divino orationis fonte robur et vigorem hauriebat ad ingenua opera pro Dei gloria animarumque salute procuranda, et ad omnes christianas virtutes, potissimum quae episcopum decent, colendas, quaeque in eo mirum in modum enituere : vitae austeritas, in victu parcitas, in somno brevitas, in supellectile paupertas, humilitas, fervens in Eucharistiam et in Deiparam Virginem devotio, in cotidianis pietatis exercitationibus assiduitas, patientia mira in perferendis cum hominum molestiis tum corporis cruciatibus.

Non laboribus victus, sed permolesto gravique morbo tandem correptus, die 2 mensis Februarii anno 1921, piissime obdormivit in Domino, cuncto populo complorante et Sanctum statim conclamante.

Increbrescentem autem eius famam sanctitatis Deus caelestibus signis visus est confirmare. Quapropter causa de Beatorum Caelitum honoribus eidem decernendis agi coepta est. Processus itaque ordinaria auctoritate super fama sanctitatis vitae, virtutum et miraculorum in genere praedicti Famuli Dei instructus est in archiepiscopali Curia Mediolanensi, cui rogatorialis, qui dicitur, processus, in Curia Parmensi celebratus, accessit, Sacraeque Rituum Congregationi exhibiti fuere. Interim plures Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi, moderatores generales religiosorum atque sacerdotes dioecesani instantes preces, beatificationem eiusdem Servi Dei postulantes, Summo Pontifici obtulerunt.

Sacra autem Rituum Congregatio, scriptis eidem Servo Dei tributis ad iuris normam perpensis, die 15 mensis Iunii a. 1960, nihil causae progressioni obstare decrevit.

Instante itaque Excmo ac Revmo Domino Francisco Bertoglio, Episcopo titulari Parien., Postulatore legitime constituto, in Congregatione particulari Sacrae eiusdem Congregationis Rituum, die 8 Februarii anni huius habita, Emus ac Revmus Dominus Carolus Cardinalis Confalonieri, ipsius causae Ponens seu Relator, sequens dubium proposuit discutiendum: *An signanda sit commissio introductionis causae in casu et ad effectum de quo agitur.* Qui autem interfuerunt Cardinales, sacris ritibus tuendis praepositi, post relationem eiusdem Cardinalis Ponentis, auditis suffragiis Officialium Praelatorum ac praesertim Revmi P. Ferdinandi Antonelli O. F. M., Fidei Promotoris Generalis,

rescribere censuerunt : *Affirmative,* seu *signandam esse commissionem introductionis causae in casu et ad effectum de quo agitur, si Sanctissimo placuerit.*

Facta postmodum de his omnibus Summo Pontifici Ioanni Papae XXIII fideli relatione, Sanctitas Sua rescriptum Sacrae Rituum Congregationis ratum habuit et confirmavit, atque *commissionem introductionis causae Servi Dei Andreae Caroli Ferrari, S. R. E. Cardinalis et Archiepiscopi Mediolanensis,* Sua manu signare benigne dignata est.

Datum Romae, die 10 Februarii a. D. 1963.

ARCADIUS M. Card. LARRAONA, *Praefectus*

L. & S.

f Henricus Dante, Archiep. tit. Carpasien., *a Secretis*

PONTIFICIUM CONSILIUM STUDIIS BIBLIORUM PROVEHENDIS

INSTRUCTIO DE HISTORICA EVANGELIORUM VERITATE

Sancta Mater Ecclesia quae est « columna et firmamentum veritatis)),* semper Sacram Scripturam ad munus supernam impertiendi animis salutem adhibuit eamque a quavis falsa interpretatione defendit. Quia problemata numquam deerunt, exegeta catholicus in exponendo divino verbo et in solvendis difficultatibus quae ei opponuntur, numquam animo deficiat oportet sed strenue laboret ut genuinum Scripturarum sensum magis adaperiat, non tantum suis fretus viribus, sed praesertim Dei auxilio et Ecclesiae luce firmiter confidens.

Magnopere gaudendum est plures hodie inveniri fideles Ecclesiae filios, rerum biblicarum, prout nostra requirunt tempora, peritos, qui hortamentis Summorum Pontificum obsecundantes, indefesso labore huic gravi arduoque muneri toto animo incumbant. Quorum « strenuorum in vinea Domini operariorum conatus non solummodo aequo iustoque animo, sed summa etiam cum caritate iudicandos esse ceteri omnes Ecclesiae filii meminerint)),[2] cum quaestiones difficiliores etiam magni nominis interpretes, velut ipse Hieronymus, haud ita felici interdum exitu enucleare conati sint.[3] Caveatur « ne acrior disputandi contentio transgrediatur mutuae caritatis terminos ; neve inter disputandum ipsae revelatae veritates divinaeque traditiones vocari in disceptationem videantur. Nisi enim salva consensione animorum collocatisque in tuto principiis, non licebit ex variis multorum studiis magnos exspectare huius disciplinae progressus)).[4]

Exegetarum labor hodie eo vel magis requiritur, quod multa scripta vulgantur, quibus veritas factorum et dictorum quae in Evangeliis continentur, in discrimen vocatur. Quare Pontificia Commissio de Re Bibli-

[1] *I Tim.* 3, 15.

[2] *Divino afflante Spiritu; Enchiridion Biblicum*- (EB)* 564; *A.. A. S.* XXXV (1943). p. 319.

[3] Of. *Spiritus Paraclitus; EB* 451; *A. A. S.* XII (1920), p. 392.

[4] Litt. Apost. *Vigilantiae; EB* 143; *Leonis XIII Acta,* XXII, p. 237.

ea, pro munere a Summis Pontificibus sibi commisso, opportunum duxit ea quae sequuntur exponere et inculcare.

1. Exegeta catholicus, ductu Ecclesiae, utilitates capiat ex omnibus quae priores interpretes, praesertim Sancti Patres Doctoresque Ecclesiae, ad intellegendum sacrum textum contulerunt eorumque labores ulterius persequatur. Ut Evangeliorum perennem veritatem et auctoritatem in plena luce collocet, accurate normas hermeneuticae rationalis et catholicae servans, nova exegeseos adiumenta sollerter adhibebit, praesertim ea quae historica methodus universim considerata affert. Haec sedulo fontes indagat eorumque naturam et vim definit, subsidia per criticen textus, criticen litterariam, cognitionem linguarum sibi comparat. Observabit interpres monitum Pii XII fel. rec, qui ei iniungit ut « prudenter ... perquirat quid dicendi forma seu litterarum genus, ab hagiographo adhibitum, ad veram et genuinam conferat interpretationem; ac sibi persuadeat hanc officii sui partem sine magno catholicae exegeseos detrimento neglegi non posse »;[5] quo monito Pius XII fel. rec. generalem artis hermeneuticae regulam enuntiat, cuius ope tum Veteris tum Novi Testamenti libri explanandi sunt, eo quod in eis exarandis hagiographi modum cogitandi et scribendi apud aequales vigentem adhibuerunt. Denique exegeta omnia media usurpabit quibus altius indolem testimonii Evangeliorum, vitam religiosam primarum ecclesiarum, sensum et vim traditionis apostolicae perspiciat.

Ubi casus fert, interpreti investigare licet, quae sana elementa in « methodo historiae formarum » insint, quibus ad pleniorem Evangeliorum intellegentiam rite uti possit. Circumspecte tamen se gerat, quia saepe huic methodo commixta prostant principia philosophica et theologica haud probanda, quae tum methodum, tum conclusiones in re litteraria non raro dépravant. Quidam enim huius methodi fautores praeiudicatis opinionibus rationalismi abducti, supernaturalis ordinis existentiam et Dei personalis in mundo interventum, ope revelationis proprie dictae factum, miraculorum et prophetiarum possibilitatem et existentiam agnoscere renuunt. Alii e falsa notione fidei procedunt ac si ipsa veritatem historicam non curet, immo cum eadem componi non possit. Alii historicam vim et indolem documentorum revelationis quasi a priori negant. Alii denique auctoritatem Apostolorum, quatenus testes Christi sunt, eorumque munus et influxum in primaevam communitatem parvi-

[5] *Divino afflante Spiritu; E B* 560; *A. A. S.* XXXV (1943), p. 316.

pendentes, creatricem potentiam huius communitatis extollunt. Quae omnia non tantum catholicae doctrinae adversantur, sed etiam fundamento scientifico carent, a rectisque historicae methodi principiis aliena sunt.

2. Interpres, ut de firmitate eorum quae in Evangeliis traduntur recte statuat, sollerter ad tria tempora traditionis attendat quibus doctrina et vita Iesu ad nos pervenerunt.

Christus Dominus Sibi discipulos selectos adiunxit,[6] qui Eum ab initio secuti sunt,[7] Eius opera viderunt verbaque audierunt et hoc modo apti fuerunt qui Eius vitae et doctrinae testes essent.[8] Dominus, cum doctrinam ore exponebat, modos ratiocinandi et exponendi tunc temporis vulgatos sequebatur, ita ad mentem auditorum Se accommodans et efficiens ut ea quae doceret firmiter menti imprimerentur et commode a discipulis memoria tenerentur. Hi miracula aliosque Iesu vitae eventus recte tanquam facta eo fine patrata vel disposita, ut eis homines in Christum crederent et doctrinam salutis fide amplecterentur, intellexerunt.

Apostoli imprimis mortem et resurrectionem Domini annuntiabant, Iesu testimonium reddentes,[9] Eiusque vitam et verba fideliter exponebant,[10] adiunctorum in quibus auditores versabantur, in modo praedicandi rationem habentes.[11] Postquam Iesus a mortuis resurrexit Eiusque divinitas clare perspecta est,[12] tantum afuit ut fides memoriam eorum quae evenerant, deleret, ut eam potius firmaret, quia fides in eis quae Iesus fecerat et docuerat[13] nitebatur. Nec propter cultum quo discipuli exinde Iesum ut Dominum et Filium Dei venerabantur, hic in «mythicam» personam mutatus est Eiusque doctrina deformata. Non est autem cur negetur Apostolos ea quae a Domino reapse dicta et facta sunt, auditoribus ea pleniore intellegentia tradidisse, qua ipsi eventibus gloriosis Christi instructi et lumine Spiritus veritatis[14] edocti fruebantur.[15] Inde est quod sicut Iesus Ipse post resurrectionem « interpretabatur

[6] Cf. *Mc.* 3, 14; *Lc.* 6, 13.
[7] Cf. *Lc.* 1, 2; *Act.* 1, 21-22.
[8] Cf. *Lc.* 24, 48; *Io.* 15, 27; *Act.* 1, 8; 10, 39; 13, 31.
[9] Cf. *Lc.* 24, 44-48; *Act.* 2, 32; 3, 15; 5, 30-32.
[10] Cf. *Act.* 10, 36-41.
[11] Cf. *Act.* 13, 16-41 cum *Act.* 17, 22-31.
[12] *Act.* 2, 36; *Io.* 20, 28.
[13] *Act.* 2, 22; 10, 37-39.
[14] Cf. *Io.* 14, 26; 16, 13.
[15] *Io.* 2, 22; 12, 16; 11, 51-52; cn 14, 26; 16, 12-13; 7, 39.

illis))[16] tum Veteris Testamenti tum Sui Ipsius verba[17] ita et illi Eius verba et gesta, prout auditorum necessitates postulabant, interpretati sunt. ((Ministerio verbi instantes »,[18] variis dicendi modis, cum proprio proposito et auditorum mente congruentibus utentes praedicaverunt; nam « Graecis ac Barbaris, sapientibus et insipientibus))[19] debitores erant.[20] Hi vero loquendi modi quibus praecones Christum annuntiaverunt, distinguendi et perpendendi sunt : catecheses, narrationes, testimonia, hymni, doxologiae, preces aliaeque id genus formae litterariae in Sacra Scriptura et ab hominibus illius aetatis usurpari solitae.

Hanc instructionem primaevam, prius ore, deinde scripto traditam — nam mox evenit ut multi conarentur ((ordinare narrationem rerum))[21] quae Dominum Iesum respiciebant — *auctores sacri* methodo, peculiari fini quem quisque sibi proposuit congrua, ad utilitatem ecclesiarum quattuor evangeliis consigna ver unt. Quaedam e multis traditis selegentes, quaedam in synthesim redigentes, quaedam ad statum ecclesiarum attendendo explanantes, omni ope annisi sunt ut lectores eorum verborum de quibus eruditi erant, cognoscerent firmitatem.[22] Hagio: graphi enim ex eis quae acceperunt, ea potissimum selegerunt quae variis condicionibus fidelium et fini a se intento accommodata erant, eademque eo modo narrabant qui eisdem condicionibus eidemque fini congruebat. Cum sensus enuntiationis etiam a consecutione rerum pendeat, Evangelistae tradentes verba vel res gestas Salvatoris, hic in alio, ille in alio contextu, ea ad utilitatem lectorum explicaverunt. Quapropter indaget exegeta quid Evangelista, dictum vel factum hoc modo narrans vel in certo contextu ponens, intenderit. Veritati narrationis enim minime officit Evangelistas dicta vel res gestas Domini diverso ordine referre[23] Eiusque sententias non ad litteram, sensu tamen retento, diversimode exprimere.[24] Nam, ut ait S. Augustinus : « Satis probabile est quod unusquisque Evangelistarum eo se ordine credidit debuisse narrare, quo voluisset Deus ea ipsa quae narrabat eius recordationi suggerere, in eis dumtaxat rebus, quarum ordo, sive ille, sive ille sit, nihil minuit auctoritati veri-

[16] **Lc. 24, 27.**
[17] **Cf. *Lc.* 24, 44-45; *Act.* 1, 3.**
[18] ***Act.* 6, 4.**
[19] ***Rom.* 1, 14.**
[20] ***I Cor.* 9, 19-23.**
[21] **Cf. *Lc.* 1, 1.**
[22] **Cf. *Lc.* 1, 4.**
[23] **Cf. S. Ioan. Chrys., *In Mat., Horn.* I, 3; *PG* 57, 16-17.**
[24] **Cf. S. August., *De consensu Evang., 2,* 12, 28; *PL* 34, 1090-1091.**

tatiqiie evangelicae. Cur autem Spiritus sanctus dividens propria unicuique prout vult,[25] et ideo mentes quoque sanctorum propter Libros in tanto auctoritatis culmine collocandos, in recolendo quae scriberent sine dubio gubernans et regens, alium sic, alium vero sic narrationem suam ordinare permiserit, quisque pia diligentia quaesiverit, divinitus adiutus poterit invenire)).[26]

Exegeta, nisi ad liaec omnia quae ad originem et compositionem Evangeliorum spectant attendent et quaecumque probanda recentes investigationes attulerunt, rite adhibuerit, munus suum perspiciendi quid hagiographi intenderint quidque reapse dixerint, non implebit. Cum ex eis quae novae inquisitiones contulerunt appareat doctrinam et vitam Iesu non simpliciter relatas fuisse, eo solo fine ut memoria tenerentur, sed ((praedicatas » fuisse ita ut Ecclesiae fundamentum fidei et morum praeberent, interpres testimonium Evangelistarum indefesse perscrutans, vim theologicam perennem Evangeliorum altius illustrare et quantae sit Ecclesiae interpretatio necessitatis quantique momenti in plena luce collocare valebit.

Multa supersunt eaque gravissima in quibus edisserendis et explanandis exegeta catholicus acumen et ingenium libere exercere potest et debet, ut ad omnium utilitatem, ad maiorem in dies doctrinae sacrae profectum, ad iudicium magisterii Ecclesiae praeparandum et ulterius fulciendum, ad Ecclesiae defensionem et honorem ex suo quisque virium conferat.[27] At semper animum gerat paratum ad Ecclesiae magisterio obtemperandum, neque obliviscatur Apostolos Spiritu sancto repletos bonum nuntium praedicasse, Evangelia conscripta esse Spiritu Sancto inspirante, qui eorum auctores ab omni errore praeservabat. ((Non enim per alios dispositionem salutis nostrae cognovimus, quam per eos per quos Evangelium pervenit ad nos : quod quidem tunc praeconaverunt, postea vero per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt, fundamentum et columnam fidei nostrae futurum. Non enim fas est dicere, quoniam ante praedicaverunt quam perfectam haberet agnitionem ; sicut quidam audent dicere, gloriantes emendatores se esse Apostolorum. Postea enim quam surrexit Dominus noster a mortuis, et induti sunt supervenientis Spiritus Sancti virtutem ex alto, de omnibus adimpleti sunt, et habuerunt perfectam agnitionem; exierunt in fines terrae, ea quae a Deo nobis bona sunt evangelizantes, et coelestem pacem homini-

[25] *I Cor. 12,* **11.**

[26] ***De consensu Evang., 2, 21,*** **51 s.;** ***PL*** **34, 1102.**

[27] **Of.** ***Divino afflante Spiritu; EB*** **565;** ***A. A. S. XXXV*** **(1943), p. 319.**

bus annuntiantes, qui quidem et omnes pariter et singuli eorum habentes Evangelium Dei ».[28]

3. Illorum vero quibus *munus docendi in Seminariis vel in id genus Institutis* commissum est, «prima cura sit, ut ... sic omnino tradantur Divinae Litterae, quemadmodum et ipsius gravitas disciplinae et temporum necessitas admonent)).[29] Magistri imprimis theologicam doctrinam exponant, ut Sacrae Scripturae « futuris Ecclesiae sacerdotibus fiant et propriae cuiusque vitae spiritualis fons purus atque perennis, et sacri concionandi muneris quod suscepturi sunt, alimentum et robur ».[30] Iidem cum artem criticam, ante omnia litterariam, ut aiunt, exercent, id agant, non ut hanc artem propter seipsam colant, sed ut eius luce sensum a Deo per hagiographum intentum enucleatius perspiciant. Ne igitur sistant media via, suis litterariis inventis unice contenti, sed insuper ostendant quomodo haec reapse conferant ad doctrinam revelatam clarius intellegendam, vel, si res ferat, ad fallacias refellendas. Qui alios instituentes has normas sequuntur, efficient ut alumni in Sacra Scriptura id inveniant ((quod mentem ad Deum attollat, animum enutriat, interiorem vitam promoveat)).[31]

4. Ii vero *qui populum christianum sacris contionibus erudiunt,* maxima prudentia opus habent. Imprimis tradant doctrinam, memores admonitionis S. Pauli : « Attende tibi, et doctrinae : insta in illis. Hoc enim faciens, et teipsum salvum facies, et eos, qui te audiunt)).[32] A novitatibus futtilibus vel non satis probatis proponendis prorsus abstineant. Opiniones novas, iam solide probatas, si necesse est, caute, ratione habita auditorum, exponant. Cum eventus biblicos narrant, adiuncta ficta veritati haud conformia ne addant.

Quae prudentiae virtus ab his praesertim colenda est, *qui inter christifideles scripta vulgant.* Supernas divini verbi divitias sedulo promant « ut fideles ... ad vitam recte conformandam moveantur et incendantur)).[33] Sanctum habeant numquam a communi doctrina ac traditione Ecclesiae vel minimum discedere; utique vera scientiae biblicae incrementa, quaecumque recentiorum sollertia contulerit in rem suam con-

*

[28] **S. Iren., *Adv. Haer.*, III 1, 1; Harvey II, 2; *PC* 7, 844.**

[29] **Litt. Apost. *Quoniam in re biblica; EB* 162; *Pii X Acta,* III, p. 72.**

[30] ***Divino afflante Spiritu; E B* 567; *A. A. S. XXXV* (1943), p. 322.**

[31] ***Divino afflante Spiritu; EB* 552; *A. A. S. XXXV* (1943), p. 311.**

[32] ***/ Tim.* 4, 16.**

[33] ***Divino afflante Spiritu; EB* 566; *A. A. S.* XXXV (1943), p. 320.**

vertant, sed temeraria novatorum commenta omnino devitent.[34] Severe prohibentur quominus pernicioso pruritu novitatis seducti, quaelibet difficultatum solutionis tentamenta sine prudenti delectu et serio discrimine inconsiderate disseminent, ita plurimorum fidem turbantes.

Iam pridem haec Pontificia Commissio de Re Biblica opportunum censuit in memoriam revocare etiam libros et articulos in commentariis et diariis de re biblica edendos, utpote res religiosas et ad religiosam christifidelium institutionem spectantes, Ordinariorum auctoritati et iurisdictioni subesse.[35] Rogantur ergo Ordinarii ut huiusmodi scriptis vulgaribus maxima cum diligentia invigilent.

5. *Consociationum biblicarum* qui curam habent, legibus a Pontificia Commissione de Re" Biblica statutis inviolate obtempèrent.[36]

- x - * X

Quae omnia si servata fuerint, studium Sacrarum Scripturarum «edet in utilitatem fidelium. Nemo erit qui nostris etiam diebus non experiatur quod S. Paulus scripsit : Sacrae Litterae « possunt instruere ad salutem, per fidem, quae est in Christo Iesu. Omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia : ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus)).[37]

Hanc autem Instructionem Ssmus Dominus Noster Paulus Pp. VI, in Audientia die 21 Aprilis a. 196Jf infrascripto Revmo Consultori ab Actis benigne concessa, approbavit et publici iuris fieri mandavit.

Romae, die 21 Aprilis a. 1964.

BENIAMIN N. **WAMBACQ**, O. Praem., *Consultor ab Actis*

[34] **Cf. Litt. Apost. *Quoniam in re biblica; EB* 175; *Pii X Acta,* III, p. 75.**

[35] ***Instructio ad Excfhos locorum Ordinarios...* 15 Dec. 1955; *EB* 626; *A. A. S.* XLVIII <1956), p. 63.**

[36] ***EB* 622-633 ; *A. A. S.* XLVIII (1956), pp. 61-64. ***

[37] ***II Tim.* 3, 15-17.**

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA ROMANA ROTA

Citatio edictalis

HALIFAXIEN.

Nullitatis matrimonii (Mousseau - Mac Donald)

Cum ignoretur locus actualis commorationis dominae Ioannae Shirley Mac Donald, causae superius inscriptae conventae, eamdem citamus ad comparendum, aut per se aut per procuratorem legitime constitutum, coram Tribunali Sacrae Romanae Rotae (Roma, Piazza delia Cancelleria 1), in diem 28 Octobris 1964, hora undecima, pro concordatione vel subsignatione dubii quod sequitur :

An constet de nullitate matrimonii, in casu.

Ordinarii locorum, parochi aliique fideles notitiam habentes commorationis praedictae dominae Ioannae Shirley Mac Donald, curare debent ut ipsa de hac edictali citatione rite moneatur.*

Salvator Canals, *Ponens*

Ex Cancellaria Tribunalis S. R. Rotae, die 8 Iunii a. 1964.

Marius F. Pompedda, *Notarius*

* Etant inconnu le lieu de la demeure actuelle de Mme Jeanne Shirley Mac Donald, défenderesse en cette cause, nous la citons à comparaître, par propre personne ou par un procureur légitimement constitué, au siège du Tribunal de la S. Rote Romaine (Roma, Palazzo della Cancelleria) le 28 octobre 1964, à 11 heures, pour concorder ou souscrire le doute ci-dessous rapporté :

Gonste-t-il de la nullité du mariage, dans le cas?

Les Ordinaires des lieux, les curés, les prêtres, les fidèles ayant connaissance du lieu de la résidence de ladite Jeanne Shirley Mac Donald, devront, dans la mesure du possible, l'avertir de la présente citation.

TRIBUNAL VICARIATUS URBIS

Citatio edictalis

ROMANA

Nullitatis matrimonii (Dell'Omo - Berruti)

Cum ignoretur locus actualis commorationis domini Guidonis Berruti, in causa de qua supra conventi, eumdem citamus ad comparendum coram Tribunali Primae Instantiae Vicariatus Urbis (Piazza S. Callisto, 16 - Roma), aut per se aut per procuratorem legitime constitutum, in diem 3 Novembris 1964, pro concordatione sequentis dubii :

An constet de nullitate matrimonii, in casu?

Ordinarii locorum, parochi, fideles quicumque notitiam habentes actualis commorationis praedicti domini Guidonis' Berruti, curare debent ut ipse de hac citatione edictali rite moneatur. *

D. Semproni, *V. Officialis*

Ex Aedibus Tribunalis Vicariatus Urbis, die 20 Iulii 1964.

V. Prazzano, *Cancellarius*

* Etant inconnu le lieu de la demeure actuelle de M. Guido Berruti, défendeur en cette cause, nous le citons à comparaître, par propre personne ou par un procureur légitimement constitué, au siège du Tribunal du Vicariat de Rome (Piazza S. Callisto, 16 - Roma), le 3 novembre 1964, pour concorder le doute ci-dessous rapporté:

Conste-t-il de la nullité du mariage, dans le cas?

Les Ordinaires des lieux, les curés, les prêtres, les fidèles ayant connaissance du lieu de la résidence dudit M. Guido Berruti, devront, dans la mesure du possible, l'avertir de la présente citation.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Lunedì, **20** luglio **1964,** il Santo Padre Paolo VI ha ricevuto in solenne Udienza, per la presentazione delle Lettere Credenziali, Sua Eccellenza il Dott. **BELISARIO MORENO HTJEYO**, Ambasciatore Straordinario e Plenipotenziario dell'Argentina.

Martedì, **21** luglio **1964,** il Santo Padre Paolo VI ha ricevuto in solenne Udienza, per la presentazione delle Lettere Credenziali, Sua Eccellenza il Dott. **MARCOS AGAJYELLEW**, Inviato Straordinario e Ministro Plenipotenziario di Etiopia.

SACRA CONGREGAZIONE DEI RITI

Martedì 9 giugno 1964, nel Palazzo delle Congregazioni, si è adunata la S. Congregazione dei Riti *ordinaria particolare,* nella quale gli Emi e Revmi Signori Cardinali ed i Revmi Prelati Officiali hanno discusso sulla introduzione di Causa dei Servi di Dio :

1. Pietro Bonilli, sacerdote, fondatore dell'Istituto delle Suore della S. Famiglia;
2. Diego Oddi, laico professo dell'Ordine dei Frati Minori.

Hanno inoltre esaminato le relazioni dei censori teologi su gli scritti dei Servi di Dio :

1. Leonardo Castellano, Vescovo di Tabasco ;
2. Elia di San Clemente, Monaca professa dell'Ordine dei Carmelitani Scalzi ;
3. Maria Dolores Rodríguez Ortega Sopeña, fondatrice delle Dame Catéchiste ;
4. Ludovico Martin, padre di famiglia;
5. Azelia Martin, madre di famiglia.

Giovedì 25 giugno 1964, nel Palazzo delle Congregazioni, alla presenza dell'Emo Signor Cardinale Paolo Giobbe, Relatore della Causa del Servo di Dio Carlo di S. Andrea, sacerdote professo dei Passionisti, si è adunata la S. Congregazione dei Riti *antepreparatoria,* nella quale i Revmi Prelati Officiali ed i Revmi Consultori teologi hanno discusso sulla eroicità delle virtù del predetto Servo di Dio.

Martedì **7** luglio 1964, nel Palazzo Apostolico Vaticano, alla augusta presenza del Santo Padre, si è adunata la S. Congregazione dei Riti *generale*, nella quale gli Emi e Revmi Signori Cardinali, i Revmi Prelati Officiali e

Consultori teologi hanno dato il loro voto su i miracoli che si asseriscono operati ad intercessione dei

1. Beati Carlo Lwanga, Mattia Kalemba Murumba e venti Soci, martirizzati in Uganda nel 1885-86 ;

2. Ven. Servo di Dio Luigi Guanella, sacerdote, fondatore della Congregazione dei Servi della Carità e delle Figlie di S. Maria della Provvidenza-

Martedì 14 luglio 1964, nel Palazzo Apostolico Vaticano, si è adunata la S. Congregazione dei Riti *ordinaria particolare*, nella quale gli Emi e Revmi Signori Cardinali e i Revmi Prelati Officiali hanno discusso sulla introduzione della Causa dei Servi di Dio:

1. Timoteo Giaccardo, sacerdote della Pia Società di San Paolo ;
2. Maria Teodora Voiron, della Congregazione delle Suore di S. Giuseppe di Chambery.

Hanno inoltre esaminato le relazioni dei censori teologi su gli scritti dei Servi di Dio :

1. Lodovico Tijssen, sacerdote secolare della diocesi di Roermond in Olanda ;
2. Maggiorino Vigolungo, della Pia Società di San Paolo :
3. Nemesia Valle, dell'Istituto delle Suore della Carità ;
4. Angela Salawa, del Terz'Ordine di S. Francesco di Assisi.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINA

Con Biglietto della Segreteria di Stato, in data 1 giugno 1964, il Santo Padre Paolo VI, felicemente regnante, si è degnato di confermare, per il prossimo quadriennio, *Presidente della Pontificia Accademia delle Scienze* Sua Eccellenza Reverendissima l'Accademico Pontificio Monsignor Giorgio Lemaitre, Professore di Metodologia matematica nell'Università Cattolica di Lovanio.

ONORIFICENZE

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Paolo VI, felicemente regnante, si è degnato di conferire :

La Commenda con placca dell'Ordine Piano :

2 novembre 1963. Al Marchese Avignone di S. Teodoro Guido (Roma).
» » » Al Conte Nasalli Rocca di Corneliano Carlo (Roma).

La Placca dell'Ordine Piano :

2 novembre 1963. Al Nob. Alvarez de Castro Carlo (Roma).

La Commenda dell'Ordine Piano:

2 novembre 1963. Al Marchese Per uzzi Cosimo (Portsmouth).

Il Cavalierato dell'Ordine Piano:

2 novembre 1963. Al Nob. Rosselli del Turco Giuseppe (Firenze).
» » » Al Marchese del Gallo Roccagiovine Paolo (Roma).
» » » Al Conte Valentini Domenico (Roma).

La Commenda con Placca dell'Ordine di san Gregorio Magno, classe civile:

27 luglio 1963. Al sig. Tiberghien Eugenio E. (Lille).
4 settembre » Al sig. Brasca Giancarlo (Milano).
» » » Al sig. Crosti Luigi (Milano).
» » » Al sig. Lazzati Giuseppe (Milano).
» » » Al sig. Locatelli Piero (Milano).
» » » Al sig. Stabilini Giuseppe (Milano).
» » » Al sig. Villa Luigi (Milano).
19 ottobre » Al sig. Doe Christie *(Liberia).*
30 » » Al sig. Yoshura Morizumi *(Giappone).*

La Placca dell'Ordine di san Gregorio Magno, classe civile:

28 settembre 1963. Al sig. Cantagalli Ezio (Siena).
11 ottobre » Al sig. Rospigliosi Roberto (Prato).
» » » Al Marchese Nasalli Tafíini d'Acceglio Luigi (Roma).
25 » » ' Al sig. Marinaro Vincenzo (Atene).

La Commenda dell'Ordine di san Gregorio Magno, classe civile:

6 luglio 1963. Al sig. Faivre D'Arcier Carlo (Paris).
» » » Al sig. Breccia Angelo (Roma).
» » » Al sig. Romano Nicola (Roma).
13 » » Al sig. Domaradzki Teodoro Felice (Montréal).
20 » » Al sig. Kuijpers Ermanno (Antwerpen).
27 » » Al sig. Rossi Renato Olivante (Subiaco).
10 agosto » Al sig. Balzano Manlio (Trivento).
» » » Al sig. Gagliardi Enzo (Trivento).
» » » Al sig. Prete Lamberto (Trivento).
4 settembre » Al sig. Arlotta Pio (Milano).
» » » Al sig. Bellini Dandolo (Milano).
» » » Al sig. Beltramini Giovanni Maria (Milano).
» » » Al sig. Clerici Luigi (Milano).
» » » Al sig. Fossati Franco (Milano).
» » » Al sig. Manfrini Enrico (Milano).
» » » Al sig. Maraschini Giovanni (Milano).
» » » Al sig. Meda Piero (Milano).
» » » Al sig. Ortolani Piervirgilio (Milano).
» » » Al sig. Plantanida Dante (Milano).
» » » Al sig. Salvatori Renzo (Milano).

à	settembre	1963.	Al sig. Scorzelli Lello (Milano).
»	»	»	Al sig. Uberti Lodovico (Milano).
5		»	Al sig. Cavoli Giuseppe B. (Cleveland).
14		»	Al sig. Mattucci Emilio (Teramo-Atri).
17	»	»	Al sig. Loos Carlo (Malines - Bruxelles).
28	»	»	Al sig. Gazzolo Angelo (Genova).
»			Al sig. Ragghianti Mario (Lucca).
»	»	»	Al sig. Llasera Diaz Emilio (Madrid).
	»		Al sig. Cribier Pietro (Paris).
»	»		Al sig. Trioni etti Alfio (Roma).
»	»	»	Al sig. Vacha Romano (Torino).
ō	ottobre		Al sig. Provenzale Luciano (Cagliari).
11	»	»	Al sig. Caracciolo Raffaello (Siracusa).
»	»		Al sig. Piccione Corrado (Siracusa).
25	»	»	Al sig. De Oliveira Lacerda Luigi Orazio *(Brasile).*

Il Cavalierato dell'Ordine di san Gregorio Magno, classe civile:

6	luglio	1963.	Al sig. Mortarotti Emilio (Alessandria).
»	»		Al sig. Catteau Enrico (Arras).
»	»	»	Al sig. Fernandes Guglielmo G. (Madras).
	»	»	Al sig. Dorairaj A. (Madras).
»	»	»	Al sig. Deneux Alfredo (Paris).
20	»	»	Al sig. Hembach er Fernando (Paris).
27	»	»	Al sig. Gusso Giampaolo (Roma).
»	»	»	Al sig. Gusso Guido (Roma).
10	agosto	»	Al sig. Janin Giuseppe Amato (Lyon).
»	»	»	Al sig. Lambert Giacomo (Lyon).
»	»	»	Al sig. Roubier Paolo (Lyon).
»	»		Al sig. Vincent Giovanni (Lyon).
	»		Al sig. Lefebvre Andrea (Porto e S. Rufina).
4	settembre	»	Al sig. Inzaghi Cesare (Milano).
»	»	»	Al sig. Mapelli Antonio (Milano). &
»	»	»	Al sig. Mellà Albino (Milano).
7	»	»	Al sig. Ferreira Porto Antonio (Angra).
»	»		Al sig. Gallinai Heber Alberto C. (Florida).
17	»		Al sig. Arcq Giulio (Malines-Bruxelles).
	»	»	Al sig. Caron Maurizio (Malines-Bruxelles).
»	»	»	Al sig. De Guchteneere Raoul (Malines-Bruxelles).
»	»		Al sig. De Nayer Pietro (Malines-Bruxelles).
»	»		Al sig. Maisin Giuseppe (Malines-Bruxelles).
28		»	Al sig. Qnercioli Vincenzo (Montalcino).
»	»		Al sig. Salter Giovanni Patrizio (Southwark).
»	»		Al sig. Vecchi Virgilio Costantino (Southwark).
5	ottobre		Al sig. Esparza Barrientos Ilario (Torreón).
»		»	Al sig. Glotin Luigi (Vannes).
11	»	»	Al sig. Morelli Primo (San Miniato).
31	»		Al sig. Crespo Astudillo Emiliano (Cuenca).

An. et vol. LVI 30 Septembris 1964 (Ser. III, v. Vi) - N. 12

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico — Città del Vaticano — *Administratio:* Libreria Editrice Vaticana

ACTA PAULI PP. VI

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

PANAMENSIS
(S. IACOBI VERAGUENSIS)

Diviso territorio Ecclesiae Panamensis, nova dioecesis conditur, « Sancti Iacobi Veraguensis » appellanda.

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Panamensis Ecclesiae territorium tam late patet eaque ratione expanditur ut animorum curationi, cui promovendae in Americae Latinae plagis sollicite nunc temporis praesertim Ecclesia operam dat, nonnihil prodesse visum sit si divideretur, nova ex eo ecclesiastica circumscriptione condita. Quam ob rem, cum venerabilis Frater Antoninus Pinci, Archiepiscopus titulo Tarasensis in Numidia atque in Panamensi Republica Apostolicus Nuntius, id expostulaverit, cumque hac super re favorabilem mentem venerabilis Frater Franciscus Beckmann bo. me. olim Archiepiscopus Panamensis aperuerit, summa Nostra potestate, postque sententiam rogatos venerabiles Fratres Nostros S. R. E. Cardinales rebus Consistorialibus praepositos, sequentia decernimus. A territorio archidioecesis Panamensis civilem provinciam vulgo Veraguas appella-

tam seiungimus atque ex ea novam dioecesim, quae $. *Iacobi Veraguensis* cognominabitur, constituimus, iisdem servatis finibus quibus civilis provincia cingitur. Novae igitur dioecesis fines erunt : ad septemtrionem dioecesis Davidensis et praelatura ((nullius » Buccae Taurinae ; ad orientem Oceanus Atlanticus ; ad meridiem archidioecesis Panamensis, dioecesis Citrensis et vicariatus apostolicus Dariensis ; ad occidentem denique Oceanus Pacificus. Episcopalem novae dioecesis sedem in urbe vulgo Santiago appellata ponendam statuimus, magisterii vero cathedram in templo curiali inibi exstante Deo in honorem S. Iacobi Apostoli dicato, quod ad gradum cathedralis evehimus. Sive sacrae aedi cathedrali sive S. Iacobi Veraguensis Episcopo congrua iura damus, impositis praeterea sacrorum Antistiti obligationibus, quas inter hae praecipuae erunt : Canonicorum collegium condendi, donec tamen id fieri possit consulto res dioecesanos ad iuris normam eligendi; minus saltem Seminarium, quam primum fieri potuerit, struendi, cuius sive ingenio sive animi dotibus praestantes alumni Romam mittantur, in Pontificium Collegium Pianum Latinum Americanum, philosophicis theologicisque disciplinis imbuendi. Iubemus insuper ut dioecesis S. Iacobi Veraguensis suffraganea sit metropolitanae Sedi Panamensi, eiusque Episcopus Metropolitae eiusdem archidioecesis obnoxius ; ut mensa episcopalis, quae dicitur, fiat ex Curiae emolumentis, fidelium collationibus, bonisque ei obvenientibus ex praescripto canonis 1500 Codicis Iuris Canonici ; ut simul ac hae Litterae Nostrae ad effectum adductae sint, ei Ecclesiae sacerdotes addicantur, in cuius territorio vel beneficium vel ofiicium habeant, ceteri vero clerici Seminariique tirones ei, in qua legitime degant ; ut denique acta et documenta, conditam dioecesim respicientia, a Curia metropolitana Panamensi ad S. Iacobi Veraguensis mittantur, in tabulario religiose custodienda. Haec omnia quae statuimus venerabilis Frater Antoninus Pinci, quem diximus, exsequenda studebit, vel ab eo delegatus sacerdos. Qui vero rem perfecerit documenta de more exarabit atque ad Sacram Congregationem Consistorialem quam primum mittet.

Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem, esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis eflicacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta ofiicere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat ; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesia-

stica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur.

Datum Romae, apud S. Petrum, die tertio decimo mensis Iulii, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo tertio, Pontificatus Nostri primo.

IACOBUS A. Card. **COPELLO**
8. B. B. Cancellarius

CAROLUS Card. **CONFALONIER!**
S. Congr. Consistorialis a Secretis

Franciscus Tinello
Apostolicam Cancellariam Regens

Caesar Federici, *Proton. Apost.*
Sylvius Romani, *Proton. Apost.*

Loco £8 **Plumbi**

In Ap. Cane, tab., vol. CXV, n. 7.

11

SHILLONGENSIS - DÏBRUGARHENSIS (TEZPURENSIS)

Distractis quibusdam territoriis a dioecesibus Shillongensi et Dibrugarhensi,, in India, alia dioecesis conditur nomine « Tezpurensis ».

PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Fidei catholicae divulgatio incensiusque, quo in dies urgemur, non solum in christifideles, sed in universae terrae etiam homines Evangelica luce adhuc expertes studium, id haud raro requirunt, ut ex latissimis incolarumque frequentissimis dioecesibus aliae condantur ecclesiasticae circumscriptiones. Neminem enim fugit eo magis christianas res florere quo Ecclesiarum rectorum numerus, Episcoporum nempe, amplior fiat. Hanc ideo ob causam, venerabili Fratri Iacobo Roberto Knox, Archiepiscopo titulo Melitenaeo et in India Apostolico Internuntio, qui, post auditos quorum interesset Ordinarios, ab Apostolica Sede petiit ut ex dioecesibus Shillongensi et Dibrugarhensi nova alia funda-

retur, concedere libenter censuimus, sequentiaque, de sententia Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, decernere. A dioecesi Shillongensi districtus seiungimus vulgo de Darrang et de Nowgong appellatos, una cum ea parte districtuum de Goalpara et de Kamrup quae est ad septemtrionalem ripam fluminis Brahmaputra sita; item subdivisionem quam dicunt de Kameng ad ((North East Frontier Agency)) pertinentem, atque demum Statum de Bhutam cognominatum ; a dioecesi autem Dibrugarhensi, subdivisiones uti appellant de Subansiri et de Siang pertinentes ad ((North East Frontier Agency », itemque partem districtus de Lakhimpur, ad eandem septentrionalem ripam fluminis Brahmaputra sitam, ex iisque omnibus novam dioecesim constituimus, ex urbe Tezpur *Tezpurensem* appellandam, iisdemque cingendam finibus ac territoria e quibus fit. Praecipimus insuper ut condita dioecesis, una cum suo Episcopo, suffraganea sit metropolitanae Sedi Calcuttensi ; ut sacrorum Antistitis sedes domiciliumque in urbe Tezpur sit, cathedra autem magisterii episcopalis, in templo, eadem in urbe exstante, quod Deo in honorem Sancti Ioannis Bosco est dicatum; ut consultores dioecesani deligantur ad normam iuris, qui scilicet a munere cessabunt simul ac Canonicorum collegium constituatur; ut Seminarium denique, saltem minus, quam primum struatur, iis pueris accipiendis et efformandis, qui ad sacerdotium Dei instinctu vocentur. Volumus denique ut Tezpurensis cathedralis Ecclesia curis committatur sodalium Societatis S. Francisci Salesii, quos enixe hortamur ut nulli labori pareant ad salutiferam Christi legem suo in territorio prolatandam. Has Nostras Litteras ad effectum adducet venerabilis Frater Iacobus Robertus Knox, quem diximus, vel ab eo delegatus vir, dummodo sit in ecclesiastica dignitate constitutus. Qui vero rem perfecerit, documenta de more exarari iubebit, ad Sacramque Congregationem de Propaganda Fide quam primum mittet.

Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus ; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis eíñeacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis,, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint

subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur.

Datum Romae, apud S. Petrum, die sexto decimo mensis Ianuarii, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo quarto, Pontificatus Nostri primo.

IACOBUS A. Card. **COPBLLO**
8. R. E. Cancellarius

GREGORIUS P. Card. **AGAGIANIAN**
8. Congr. de Prop. Fide Praefectus

Franciscus Tinello
Apostolicam Cancellariam Regens ~ *

t Iosephus Rossi, Ep. tit. Palmyrenus, *Proton. Apost.*
Sylvius Romani, *Proton. Apost.*

Loco © Plumbi

In Ap. Cane, tab., vol. CXIV, n. 60.

III

VILLAVICENTIENSIS
(ARIARIENSIS)

Diviso territorio vicariatus apostolici Villavicentiensis, nova praefectura apostolica conditur « Ariariensis » nomine.

PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Laetamur admodum gratesque Deo persolvimus quoties nova Nobis ecclesiastica circumscriptio condenda proponitur, quae causa sit ut ((verbum Dei currat et clarificetur)) *(2 Thess.* 3, 1), largeque in animis sparsum, veluti bonum semen, fructus uberrimos edat ad aeternam salutem perutiles. Quam ob rem cum Sacra Congregatio Fidei Propagandae, post rem mature consideratam sententiamque rogatos venerabiles Fratres Iosephum Paupini, Apostolicum in Columbiana Republica Nuntium, atque Franciscum Iosephum Bruls, Apostolicum Vicarium Villavicentiensem, territorium Villavicentiensis vicariatus dividere censuerit, ex eoque novam praefecturam apostolicam constituere, libenti animo acta negotia adprobantes, summa Nostra potestate sequentia decernimus. A territorio vicariatus apostolici Villavicentiensis, Soda-

libus Societatis Mariae Monfortanae concrediti, partem occidentalem distrahimus ex eaque novam praefecturam apostolicam constituimus *Ariariensem* cognominandam. Limites inter novam praefecturam apostolicam et vicariatum Villavicentiensem erunt : flumen vulgo Ariari cognominatum, usque ad locum quem vocant « Granja de Iraca)) ; et hinc via quae ducit ad locum « La Concordia » nuncupatum, ceteris finibus immutatis. Novam apostolicam praefecturam curis committimus Sodalium Societatis S. Francisci Salesii, quos paterne hortamur, ut nulli labori pareant ut Regnum Christi in homines latius proferant. Ceterum has Litteras Nostras ad exitum adducet venerabilis Frater Iosephus Paupini, quem diximus, vel per se ipse, vel per alium, factis ad id debitis facultatibus. Re vero acta documenta exarentur, quorum sincera exempla ad Sacram Congregationem Fidei Propagandae cito mittantur. Quod si alius eo tempore Apostolicae in Columbiana Republica Nuntiaturae praesit, hic mandata Nostra faciet.

Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis eflicacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur.

Datum Romae, apud S. Petrum, die sextodecimo mensis Ianuarii, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo quarto, Pontificatus Nostri primo.

IACOBUS A. Card. **COPELLO**
8. R. E. Cancellarius

GREGORIUS P. Card. **AGAGIANIAN**
8. Congr. de Prop. Fide Praefectus

Franciscus Tinello
Apostolicam Cancellariam Regens

Franciscus H. Ferretti, *Proton. Apost. Decanus*
Caesar Federici, *Proton. Apost.*

Loco £B Plumbi

Tn Ap. Cane, tab., vol. CXIV, n. 6J

IV
BOSSANGOAËNSIS

Apostolica praefectura Bossangoaënsis ad gradum dioecesis evehitur

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Gaudet sancta Mater Ecclesia quotiescumque filiorum agmina novas, Deo dante, capiunt accessiones, eisque omnibus auxiliis adesse studet quibus Christus eam instruxit Regno Dei in hominibus provehendo. Cum igitur Sacra Congregatio Christiano Nomini Propagando, de sententia venerabilis Fratris Sergii Pignedoli, Archiepiscopi titulo Iconiensis et Apostolici in Africa Media Occidentali Delegati, apostolicam praefecturam Bossangoaënsem ad gradum dioecesis iam esse evehendam censuerit, summa Nostra potestate, consensuque eorum suppleto qui hac super re aliquod ius habeant vel se putent habere, sequentia decernimus. Apostolicam praefecturam Bossangoaënsem, in Reipublicae Mediae Africanae territorio sitam, ad dignitatem et gradum dioecesis attollimus *eodem nomine* iisdemque finibus servatis. Nova haec dioecesis, quam curis Fratrum Minorum Capuccinorum concredimus, qui apostolicae praefecturae exordia sedula cura foverunt, metropolitanae Ecclesiae Banguensi suffraganea erit. Episcopus autem sedem suam in urbe Bossangoa cognominata figet, cathedram vero sui magisterii in principe aede eiusdem urbis, quam ad cathedralis templi dignitatem attollimus, cum iuribus et privilegiis. Decernimus insuper ut ob locorum temporumque adiuncta Canonicorum loco Consultores dioecesani ab Episcopo deligantur ad normam iuris, qui ei consilio et ope assint. Volumus etiam ut dioecesanum Seminarium condatur, pueris excipiendis qui ad sacerdotium vocentur. Ad regimen quod attinet, adque iura cleri et populi, hisque similia, Codicis Iuris Canonici normae serventur legesque peculiares quas Sacra Congregatio Fidei Propagandae dederit. Ceterum volumus ut haec Nostra decreta exsequenda curet venerabilis Frater Sergius Pignedoli, quem diximus, vel qui eo tempore quo ad effectum adduci debeant Delegati Apostolici partes in Africa Media Occidentali egerit ; qui vero rem "perfecerit documenta exarari iubet, eorumque fide digna exempla ad Sacram Congregationem Fidei Propagandae cito mittet.

Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Consti-

tutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur.

Datum Romae, apud S. Petrum, die sexto decimo mensis Ianuarii, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo quarto, Pontificatus Nostri primo.

IACOBUS A. Card. COPELLO
S. B. E. Cancellarius

GREGORIUS P. Card. AGAGIANIAN
S. Congr. de Prop. Fide Praefectus

Franciscus Tinello
Apostolicam Cancellariam Begens

Ioannes Calieri, *Proton. Apost.*
Sylvius Romani, *Proton. Apost.*

Loco £B Plumbi

In Ap. Cane, tab., vol. CXIY, n. 68.

V

PALAËNSIS

Praefectura apostolica Palaënsis, in territorio vulgo Tchad, ad gradum dioecesis evehitur, nomine finihusque immutatis.

PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Christi fidelium animis sine intermissione prodesse cupientes in idque mentem intendentes, ut catholicarum rerum vigor et prosperitas magis ubique terrarum magisque fructus prodant, impellimur hodie, qui summam in Ecclesia potestatem detinemus, ut Sacrae Congregationis de Propaganda Fide sententiae concedamus, praefecturam nempe apostolicam Palaënsem ad dioecesis gradum et dignitatem esse evehendam. Quod ut fieret etiam venerabilis Frater Sergius Pignedoli, Archiepiscopus titulo Iconiensis et Apostolicus in Africa Media Occidentali Delegatus, proposuit enixeque postulavit. Quamobrem, eadem usi potestate Nostra, praefecturam apostolicam *Palaënsem* ad dioecesis gradum

attollimus, id simul censentes ut sic ut antea finibus circumscribatur eademque vocetur appellatione. Novae dioecesis, quae metropolitanae Sedi Arcis Lamy erit suffraganea, indefessam curam habebunt sodales Missionariorum Oblatorum B. **M.** V. Immaculatae, quos paterne hortamur ut, qui hucusque vires suas eidem gubernandae impenderunt, sedulitatem suam in posterum veluti multiplicent ad christianos fideles fovendos eosque ad evangelicam lucem dirigendos, qui sint eadem adhuc expertes. Sedem suam Episcopus domiciliumque in urbe Pala ponat, suique magisterii cathedram in sacra aede eadem in urbe exstante, quam ad cathedralis dignitatem ducimus. Usque dum praeterea Canonicorum collegium condi possit, consultores dioecesanos idem deligat, quorum auxilio et consilio fruatur. Minus saltem Seminarium struendum tandem consulat, ut ii pueri accipiantur et efformentur, qui ad sacerdotium vocentur. Ceterum has Litteras Nostras venerabilis Frater Sergius Pignedoli, quem diximus, vel per se ipse vel per alium virum exsequatur. Qui vero negotium perfecerit, documenta de more exarari faciet ad Sacramque christianae Fidei Propagandae Congregationem mitti.

Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis eflicacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur.

Datum Romae, apud S. Petrum, die sextodecimo mensis Ianuarii, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo quarto, Pontificatus Nostri primo.

IACOBUS A. Card. **COPELLO**
8. B. E. Cancellarius

GREGORIUS P. Card. **AGAGIANIAN**
8. Congr. de Prop. Fide Praefectus

Franciscus Tinello
Apostolicam Cancellariam Begens

Franciscus H. Ferretti, *Proton. Apost. Decanus*
Caesar Federici, *Proton. Apost.*

Loco £B Plumbi

In Ap. Cane, tab., vol. CXIV, n. 66.

LITTERAE APOSTOLICAE

I

Titulus ac privilegia Basilicae Minoris ecclesiae Sanctissimae Trinitatis in loco « Sonntagberg » vulgo appellato, intra Sancti Hippolyti dioecesis fines exstructae, conferuntur.

PAULUS PP. VI

Ad perpetuam rei memoriam. — « Adorate in monte sancto eius)) *(Ps.* 98, 9) : haec verba divino amante Numine prolata transferri possunt ad ecclesiam Sanctissimae Trinitatis in monte positam, qui, vulgo « Sonntagberg » appellatus, finibus dioecesis Sancti Hippolyti continetur. Eo enim plurimi pietatis causa peregrinatores accedunt, ut Deo Uni et Trino debita praestent religionis ofiicia ac superna impetrent munera. Ibi saeculo xv sacra aedes, tam augusti Mysterii nomine insignis, condita fuit, cui nonnullis lustris exactis, altera addita est, Salvatori dicata. Quae divini cultus sedes permagnis auctibus ab abbatia Seitenstettensi est provecta, quae aedificationi et curae animarum sedulo operam dedit. Cum vero increscens peregrinorum multitudo capi non posset, eodem saeculo ad finem vergente, amplior ecclesia, incepto, studio, industria eiusdem religiosae familiae est exstructa. Illustris quidem imago Sanctissimae Trinitatis, quae magnam fidelium pietatem excitare consuevit, ab anno MDCXVI repetitur. Itaque Mons Sanctus piorum turmas ad se convertit, quae tam frequentes eo confluebant, ut saeculo XVII, mira Seitenstettensis abbatiae alacritate, templum congruentis magnitudinis sit coeptum aedificari. Quod opus, Iacobo Prandtauer architecto eximio creditum, et post plures annos ingenti molitione perfectum, anno MDCCXXIX ab Episcopo Passaviensi, in cuius dicione tum locus erat, fuit rite consecratum. Non immerita laude celebrantur imagines, quae Trinitatem variasque Fidei veritates venuste interpretantur, altaria affabre confecta, praesertim maximum, pulpitum, alia ornamenta. Cupiens autem huic pietatis domicilio spectabili novum honorem adiungere, dilectus filius Albertus Kurzwernhart, Abbas Seitenstettensis, submisse Nos rogavit, ut id Basilicae Minoris nomine ac iure donaremus. Quibus precibus, Venerabilis Fratris Francisci Zak, Episcopi Sancti Hippolyti, commendatione suffultis, libenti animo statuimus concedere. Quae cum ita sint, Nos e Sacrae Eituum Congregationis consulto,

certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum ecclesiam Sanctissimae Trinitatis, in loco, qui « Sonntagberg)) vulgo dicitur, constitutam, ad dignitatem *Basilicae Minoris* evehimus, omnibus adiectis iuribus ac privilegiis, quae templis eodem nomine insignibus rite competunt. Contrariis quibusvis nihil obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque, ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari ; sicque rite iudicandum esse ac definiendum ; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die iv mensis Martii, anno MCMLXIV, Pontificatus Nostri primo.

© HAMLETUS I. Card. CICOGNANI
a publicis Ecclesiae negotiis

II

Beata Maria Virgo, vulgo « de la Cinta » nuncupata, principalis Patrona caelestis urbis Huelvae declaratur.

PAULUS PP. VI

Ad perpetuam rei memoriam. — Praeclara Dei Genetrix christianique populi praesidium Maria ab Huelvensibus civibus impenso amore, vehementi studio, non defervescente pietate excoli perhibetur; qui ei vulgare nomen « de la Cinta)) adicere consueverunt. Quae religio a vetere repetitur aetate, siquidem saltem saeculo xv apud eos iam constat fuisse sacellum, ubi imagini Deiparam ea appellatione insignem referenti a Christifidelibus veneratio cultusque tribuebatur. Quae quidem sacra aedes etiamnum frequens est plebis Dei cotidianis concursibus. Sollemne quoque honori eius, quam Tutricem suam praesentissimam habent, Huelvenses die VIII mensis Septembris maximo cum apparatu et mira cum animorum alacritate quotannis agere dicuntur. Quorum plurimi nomen piae Sodalitati dederunt, iam pridem constitutae, ut augustae Virgini « de la Cinta », quam vocitant, religionis praestarentur officia. Quibus rebus permotus, Venerabilis Frater Petrus Cantero Cuadrado,

Huelvensis Episcopus, Nos rogavit, ut Beatam Mariam Virginem, vulgo ut supra diximus, nominatam, urbis Huelvae caelestem renuntiaremus Patronam. Quibus precibus libenti animo obsecundantes, Nos, e Sacrae Rituum Congregationis consulto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum Beatam Mariam Virginem, vulgo « de la Cinta » appellatam, urbis Huelvae principalem apud Deum *Patronam* confirmamus seu iterum constituimus ac declaramus, omnibus adiectis honoribus ac privilegiis liturgicis, quae praecipuis locorum Patronis rite competunt. Contrariis quibusvis non obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque, ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari ; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xi mensis Martii, anno MCMLXIV, Pontificatus Nostri primo.

© HAMLETUS I. Card. CICOGNANI
a publicis Ecclesiae negotiis

III

Titulo ac privilegiis Basilicae Minoris ecclesia Sancti Aloisii Gonzagae in oppido Stiverorum Castro, dioecesis Mantuanae, honestatur.

PAULUS PP. VI

Ad perpetuam rei memoriam. — Innocentiae exemplum praeclarissimum, Sanctum Aloisium Gonzagam, christianus populus, maxime vero iuventus studiis dedita, concelebrat, gloriam eius artes et litterae praedicant, cultum aiunt templa ipsius insignia nomine. In his singulare obtinet momentum ecclesia, qua oppidum Stiverorum Castrum nobilitatur, scilicet natale solum angelici eiusdem adulescentis. Cuius quidem fratris Francisci, marchionis, inceptu anno MDCVIII condita est eo genere structurae, quod, ut aetatis illius ferebat inclinatio, veterum imitabatur archi tee tandi rationem. Haec vero Aloisiana aula non solum aedificationis elegantia commendatur, sed etiam variis marmoribus reni-

det ac venustis imaginibus refulget, quarum ea plurimum probatur, qua Ioannes Franciscus Barbieri, vulgo Guercino nuncupatus, Deiparam Virginem Divinum Filium mortuum pietate materna complectentem summo artificio expressit. Res tamen pretiosissima merito habetur caput Sancti Aloisii Gonzagae, quod in faberrime facta arca est inclusum. Multi igitur ad tam spectabile templum piae peregrinationis causa accedunt, praesertim e dioecesibus Italiae, qua ad septentriones spectat. Atque Nos ipsi hoc sacrarium invisimus, cum essemus in iuvenili aetate constituti, iuventutis Patronum deprecaturi. Cupiens autem eius templi dignitatem augere votaque significans cleri ac populi suis curis commissi, Venerabilis Frater Antonius Poma, Mantuanus Episcopus, Nos rogavit, ut idem Basilicae Minoris nomine ac iure donaremus. Quibus precibus libenti animo admissis, Nos **e** Sacrae Rituum Congregationis consulto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum ecclesiam Deo in honorem Sancti Aloisii Gonzagae, Confessoris, in oppido Stiverorum Castro, intra fines Mantuanae dioecesis, consecratam, ad honorem *Basilicae Minoris* evehimus, omnibus adiectis iuribus ac privilegiis, quae sacris aedibus, eodem nomine ornatis, rite competunt. Contrariis quibusvis nihil obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque, ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari ; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die **VII** mensis Aprilis, anno **MCMLXIV**, Pontificatus Nostri primo.

ffi **HAMLETUS** I. Card. **CICOGNANI**
a publicis Ecclesiae negotiis

IV

Sanctus Andreas Corsini praecipuus Patronus Tuscae provinciae Ordinis Fratrum B. Mariae Virg. de Monte Carmelo eligitur.

PAULUS PP. VI

Ad perpetuam rei memoriam. — Electuri ex innumero Caelitum Sanctorum agmine virum, qui deprecatione sua auxilioque validissimo Tuscam Carmelitarum provinciam tueatur, alium neminem honorificentissimo huiusmodi officio digniorem quam Andream Corsini existimamus. Is enim naturali quadam ratione neque uno nomine designandus esse videtur : Florentiae natus, in urbe Etruriae principe, admodum iuvenis religiosum Carmeli institutum amplexus est, sacerdotioque auctus munera et consiliarii et magistri variis Tusciae in domibus prudens obivit, donec totam, etsi breve ad tempus, provinciam administravit. Cumque paulo post a coenobio ad Ecclesiae Paesulanae regimen raptus esset, pristina vivendi forma nihil immutata, solidissima exempla virtutis cum pastorali studio mire composuit fuitque Episcopus sollertissimus itemque suae sodalitatis lumen decorque. Haec quidem omnia, ut mutuam sane amicitiae necessitudinem inter homines firmant ac perficiunt, ita, si supernam illam animorum communionem cogitamus, quam divina gratia progignit, alterum nobiliusque innectunt vinculum inter Andream eiusque sodales. Qui ergo inter maximos Carmeli alumnos recensetur, eum singulari fidentique pietate fratres. Carmelitae constanter prosecuti sunt, quemadmodum mos Ordinis testatur, qui antiquitus inductus laudabiliter perseverat. Praecipuus vero cultus, ut par est, eidem praestatur in solo natali, quod ipse impensius amavit probatissimus pacis conciliator, atque in provincia illa, cui olim sapienti consilio praefectus est. Quae cum ita sint, hodiernus Antistes Tuscae provinciae Ordinis Fratrum Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo, nomine quoque cunctorum sodalium, id petit a Nobis, ut publico decreto eundem Caelitem religiosae suae dicionis Patronum renuntiemus. Quod votum, cum ampla dilecti filii Generalis eiusdem Ordinis Procuratoris commendatione ad Nostram Sedem allatum, libenti animo admittere statuimus, iis innixi argumentis, quae supra attigimus, pariterque confisi tanti Caelitis patrocinium quasi fonti illis fore sodalibus, unde exempla ac subsidia hauriant ad viam perfectionis salutaria. Itaque ex Sacrae Rituum Congregationis consulto, certa scientia ac matura

deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum, Sanctum Andream Corsini, Episcopum et Confessorem, principalem apud Deum religiosae Tuscae provinciae Ordinis Fratrum Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo caelestem *Patronum* constituimus ac declaramus, omnibus adiectis iuribus ac privilegiis liturgicis, quae praecipuis religiosorum coetuum Patronis rite competunt. Contrariis quibusvis nihil obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere ; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque, ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari ; sicque rite iudicandum esse ac definiendum ; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Eomae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXII mensis Aprilis, anno MCMLXIV, Pontificatus Nostri primo.

& HAMLETUS I. Card. CICOGNANI
a publicis Ecclesiae negotiis

CONVENTIO

INTER APOSTOLICAM SEDEM ET AUSTRIACAM JREMPUBLICAM: DE ADMINISTRATIONE APOSTOLI^ DIOECESIM ERIGENDA

CONVENZIONE

TRA LA

SANTA SEDE

E LA

REPUBBLICA AUSTRIACA

PER ERIGERE IN DIOCESI L'AMMINISTRAZIONE APOSTOLICA DI INNSBRUCK-FELDKIRCH

Fra la Santa Sede,

rappresentata dal suo Plenipotenziario Sua Eccellenza Rev.ma Mons. Opilio Rossi, Arcivescovo tit. di Ancira e Nunzio Apostolico in Austria,

e la Repubblica Austriaca,

rappresentata dai suoi Plenipotenziari

il Signor Dott. Bruno KREISKY, Ministro Federale per gli Affari Esteri, e

il Signor Dott. Theodor PIPFL-PERCEVIC, Ministro Federale per l'Istruzione,

VERTRAG

ZWISCHEN DEM

HEILIGEN STUHL

UND DER

REPUBLIK ÖSTERREICH

BETREFFEND DIE ERHEBUNG DER APOSTOLISCHEN ADMINISTRATUR INNSBRÜCK-FELDKIRCH ZU EINER DIÖZESE

Zwischen dem Heiligen Stuhl,

vertreten durch dessen Bevollmächtigten, S. E. den Herrn Apostolischen Nuntius in Österreich, Titularerzbischof von Ancyra, Msgr. Opilio Rossi,

und der Republik Österreich,

vertreten durch deren Bevollmächtigte,

Herrn Dr. Bruno KREISKY, Bundesminister für Auswärtige Angelegenheiten, und

Herrn Dr. Theodor PIFFL-PERCEVIC, Bundesminister für Unterricht,

viene conclusa la seguente Convenzione :

Articolo I

La Santa Sede e la Repubblica Austriaca hanno convenuto di dare esecuzione al disposto dell'art. **III,** § 2, del Concordato del 5 giugno 1933 per quanto riguarda l'Amministrazione Apostolica di Innsbruck-Feldkirch, e di elevare il suddetto territorio ecclesiastico a Diocesi di Innsbruck-Feldkirch con sede in Innsbruck, mentre per il Vorarlberg sarà conservato un proprio Vicariato Generale con sede in Feldkirch.

Articolo II

La Diocesi di Innsbruck-Feldkirch comprende lo stesso territorio che appartiene attualmente all'Amministrazione Apostolica di Innsbruck-Feldkirch.

Articolo III

La Diocesi di Innsbruck-Feldkirch viene assegnata alla Provincia Ecclesiastica di Salisburgo.

Articolo IV

La Diocesi di Innsbruck-Feldkirch avrà un Capitolo Cattedrale formato da un Prepósito e dal numero di Dignità e Canonici richiesto per l'ordinato esercizio delle funzioni.

Articolo V

1) La Diocesi di Innsbruck-Feldkirch ha l'identica personalità giuridica dell'Amministrazione Apo-

wird nachstehender Vertrag geschlossen :

Artikel I

Der Heilige Stuhl und die Republik Österreich sind übereingekommen, die Bestimmung des Artikels III, § 2, des Konkordates vom 5. Juni 1933, insoweit sich diese auf die Apostolische Administratur Innsbruck-Feldkirch bezieht, durchzuführen und das genannte Kirchengebiet zur Diözese Innsbruck-Feldkirch mit dem Sitz in Innsbruck zu erheben, wobei für Vorarlberg ein eigenes Generalvikariat mit dem Sitz in Feldkirch erhalten bleibt.

Artikel II

Die Diözese Innsbruck-Feldkirch umschliesst das gleiche Gebiet wie die derzeitige Apostolische Administratur Innsbruck-Feldkirch.

Artikel III

Die Diözese Innsbruck-Feldkirch wird der Salzburger Kirchenprovinz zugeteilt.

Artikel IV

Der Diözese Innsbruck-Feldkirch wird ein Kathedralkapitel, bestehend aus einem Propst und der für die ordnungsgemässe Ausübung der Funktionen erforderlichen Zahl von Dignitären und Kanonikern, beigegeben werden.

Artikel V

1) Die Diözese Innsbruck-Feldkirch ist mit der Apostolischen Administratur Innsbruck-Feldkirch

stolica di Innsbruçk-Feldkirch. La Diocesi, la Sede Vescovile e il Capitolo Cattedrale hanno personalità giuridica nell'ambito dello Stato e godono dei diritti degli enti di diritto pubblico.

2) Entro il termine di un anno dall'entrata in vigore dell'erezione nell'ambito statale (art. VII, capov. 2) la Diocesi sarà libera di trasferire beni mobili ed immobili alla Sede Vescovile o al Capitolo Cattedrale in esenzione da tutte le tasse di bollo e da tutti i diritti legali, dalle imposte sull'acquisto di fondi e sulle donazioni, dalle tasse spettanti ai tribunali ed all'amministrazione giudiziaria, come pure dalle tasse di amministrazione spettanti allo Stato.

hinsichtlich ihrer Rechtspersönlichkeit identisch. Die Diözese, der Bischöfliche Stuhl und das Kathedralkapitel haben Rechtspersönlichkeit für den staatlichen Bereich und genessen die Rechte öffentlich-rechtlicher Körperschaften.

2) Der Diözese steht es frei, innerhalb einer Frist von einem Jahr nach Wirksamkeit der Erhebung für den staatlichen Bereich (Artikel VII Absatz 2) bewegliches und unbewegliches Vermögen frei von allen Stempel- und Rechtsgebühren, der Grunderwerbsteuer, der Schenkungssteuer, den Gerichts- und Justizverwaltungsgebühren sowie den Verwaltungsabgaben des Bundes an den Bischöflichen Stuhl oder das Kathedralkapitel zu übertragen.

Articolo VI

La Repubblica Austriaca verserà alla Diocesi di Innsbruck-Feldkirch ed alla Sede Vescovile per far fronte alle spese relative alla completa erezione in diocesi, una somma complessiva di dieci milioni di Scellini, che, a cominciare dal 1965, sarà corrisposta in tre rate annuali uguali, ciascuna delle quali verrà versata entro il I° luglio di ogni anno.

Artikel VI

Die Republik Österreich wird der Diözese Innsbruck-Feldkirch und dem Bischöflichen Stuhl zur Bestreitung der Auslagen, die mit dem vollen Ausbau der Diözese verbunden sind, einen Gesamtbetrag von 10,000.000 S leisten, der, beginnend mit dem Jahr 1965, in drei gleichen Teilbeträgen bis 1. Juli eines jeden Jahres zu erbringen ist.

Articolo VII

1) L'erezione della Diocesi di Innsbruck-Feldkirch deve aver luogo entro sei mesi dall'entrata in vigore della presente Convenzione.

2) La Santa Sede trasmetterà al Governo Federale della Repubblica Austriaca una copia della Bolla di erezione. Appena presentata tale

Artikel VII

1) Die Erhebung der Diözese Innsbruck-Feldkirch soll innerhalb von sechs Monaten nach Inkrafttreten dieses Vertrages erfolgen.

2) Der Heilige Stuhl wird der Bundesregierung der Republik Österreich eine Ausfertigung der Erhebungsbulle übermitteln. Mit

copia, l'erezione avrà efficacia nell'ambito statale.

Articolo VIII

Le divergenze di vedute, che sorgessero eventualmente in futuro circa l'interpretazione del presente Accordo, saranno eliminate d'intesa tra le Alte Parti contraenti a norma dell'art. XXII, capov. 2, del Concordato del 5 giugno 1933.

Articolo IX

Questa Convenzione, il cui testo italiano e tedesco è ugualmente autentico, deve essere ratificata e gli Istrumenti di ratifica devono venir scambiati al più presto in Roma. Essa entra in vigore il giorno dello scambio degli Istrumenti di ratifica.

In fede di che i Plenipotenziari hanno firmato la presente Convenzione in doppio originale.

Patto a Vienna, il 7 luglio 1964.

dem Einlangen dieser Ausfertigung wird die Erhebung für den staatlichen Bereich wirksam.

Artikel VIII

Eine in Zukunft etwa entstehende Meinungsverschiedenheit über die Auslegung dieses Vertrages wird nach Artikel XXII Absatz 2 des Konkordates vom 5. Juni 1933 im Einverständnis zwischen den Hohen Vertragschliessenden Teilen beseitigt werden.

Artikel IX

Dieser Vertrag, dessen italienischer und deutscher Text authentisch ist, soll ratifiziert und die Ratifikationsurkunden sollen so bald wie möglich in Rom ausgetauscht werden. Er tritt mit dem Tage des Austausches der Ratifikationsurkunden in Kraft.

Zu Urkund dessen haben die Bevollmächtigen diesen Vertrag in doppelter Urschrift unterzeichnet.

Geschehen in Wien, am 7. Juli 1964.

Per la Santa Sede :
Für den Heiligen Stuhl :

83 **OPIMO ROSSI**
Nunzio Apostolico

Per la Repubblica Austriaca :
Für die Republik Österreich :

Dr. **BRUNO KREISKY**
Dr. **THEODOR PIPPL-PERCEVIC**

Conventione inter Apostolicam Sedem et Rempublicam Austriacam rata habita, die VIII mensis Augusti anno MDCCCCLXIV Ratihabitionis Instrumenta accepta et reddita mutuo fuerunt. Exinde, i. e. a die VIII Augusti anno MDCCCCLXIV, huiusmodi Conventio inter Apostolicam Sedem et Rempublicam Austriacam icta vigere coepit ad normam articuli IX eiusdem Pactionis.

EPISTULAE

I

Ad Rev.mum P. Carolum Mansfeld, Ordinis Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis Generalem Praefectum, ob celebranda sollemnia a piissimo obitu S. Camilli de Lellis trecentesimo et quinquagesimo revoluto anno.

PAULUS PP. VI

Dilecte fili, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Caritatis insigne et veluti notam Christus Iesus, ex hoc mundo ad Patrem rediturus, Apostolis suis tradidit, cum, amoris sui exemplum proponens suavissimum, eos hisce verbis allocutus est : *Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.*[1] Hoc quidem mandatum sanctissimi viri per saeculorum decursum summa cum fidelitate persecuti sunt, qui Ecclesiam Sanctam tanto decoraverunt honore, ut, his collustrata documentis, ipsa mirabile caritatis testimonium *velut signum elevatum ad populos*[2] tot inter humani generis miserias exsisteret.

Praecipuo hoc merito singularique splendore huius notae refulget S. Camillus de Lellis, a cuius piissimo exitu trecentos et quinquaginta revolutos annos proximo medio mense Iulio tu, dilecte fili, universique sodales tui celebrabitis, qui eius hereditatem generoso ausu servatis indemnem. Quam ob rem hoc laude dignum consilium ex animo probamus, eo vel maxime quod connitimini, ut perquam sollemni ratione haec anniversaria memoria sive a vestra religiosa Familia sive a nosocomiis recolatur. Quocirca tuis reverentiae plenis optatis libenter concedentes, hisce litteris iucundiorem fructibusque feraciorem susceptam Legiferi Patris vestri commemorationem facere cupimus, ut novum inde sumatis incitamentum ad vestrum caritatis studium, eius tantis collucentibus exemplis, magis magisque alendum ac provehendum.

Cum CCCL abhinc annos, omnibus clarus virtutibus, quas ab Evangelii puris fontibus hauserat, S. Camillus ad superna boni certaminis praemia vocatus est, eius inceptum mirifica iam susceperat incrementa ; quos sibi asciverat « bonae indolis viros — ut ipse dicebat — ut Dei amore unice ducti curandis aegrotis, una secum, sese devoverent », ii, pacifera ministrorum manus, propitio omine augescebant, hoc moti

[1] *Io.* 15, 12.
[2] Cfr. *Is.* 62, 10.

consilio, ut religiosam adipiscerentur perfectionem, quarto addito voto «ad infirmos, vel peste correptos, et corpore et animo allevandos perpetuo se addicendi ». Domus excipiendis aegris in tota fere Italia patebant, in quibus non modo sacerdotes ad ipsos consolandos invenirentur, sed etiam medicorum ars et disciplina foveretur, apti formarentur valetudinarii ministri, ac novae et illis temporibus .maxime accommodatae curandi rationes susciperentur, ita ut Sanctus Conditor vester antecursor dicendus sit, in comparanda infirmis apta atque valida subsidia. Quam ob rem iure merito Leo XIII et Pius XI Decessores Nostri istius Ordinis Legiferum Patrem constituerunt Praestitem sive valetudinariorum atque aegrorum, sive eorum, qui infirmos curant iisque providi assident.

Quodsi tantae virtutis inquiramus causam, hanc unam esse Christi caritatem plane intellegimus, qua Sanctus Dei vir usque ad extremum vitae halitum motus est : caritatem dicimus, quam veluti signum suis asseclis servandum commisit, ut ((omnibus inservirent aegrotis », ut « pauperes velut ipsum Christum contuerentur, omni qua par est diligentia et mansuetudine utentes, eos solarentur iisdemque omnia, quae opus essent, summo amore et comitate concédèrent ». Quod aliis suadebat, S. Camillus constantissime servavit: etenim paterna blandaque lenitudine infirmos ac pauperes semper prosecutus est, lacrimarum vim in hoc officio saepe profundens, cum sciret se ipsi Christo inservire; quod ut perfectius efficeret, omnia vitae huius commoda abdicare studuit, ut uni Iesu viveret eidemque sese conformaret.

Quoniam igitur sanctae eius mortis memoria, sueto maiore sollemnitate proxime celebranda, huiusmodi exempla et monita efficaciore ratione meditanda proponet, oblatam opportunitatem libenter nanciscimur, ut S. Camilli religiosos sodales paterno oblectamento adhortemur ad Conditoris vestigia fidelissimo semper gressu premenda : quam caritatem ipse docuit et vitae exemplis monstravit, eam moribus prae se ferant, illa duce ad humillima quaeque obeunda munera parati promptique se accommodent, illa praelucente, in veritate et sanctitate Deo, qui *caritas est*[3] se devoveant, atque infirmis fratribus indefesso studio et labore adsint. Ea erit, quae istum Ordinem, tantopere de Ecclesia meritum, artiore usque vinculo cum Divino Servatore conglutinet, et feliciora incrementa ipsi suppeditet. Etenim, ut S. Augustini verbis uta-

[3] *1 Io.* 4, 16.

mur, *nescitis quia ipsa unum nos fecit in Christof Caritas clamat ad Christum de nobis; caritas clamat de Christo pro nobis!* [4]

Eos pariter, quibus commissae sunt partes, ut in valetudinariis infirmis assideant, paterna benevolentia prosequimur iisque animum addimus, ut proprio munere summa semper diligentia fungantur, et vigili cura assuescant provida sua ministeria, etsi humilia videantur, maximi pendere, quae Christo Iesu, Mystici Corporis Capiti, offeruntur, cum eius membris exhibentur infirmis, *quia membra sumus corporis eius, de carne eius et de ossibus eius.*[5]

Aegrotos denique, qui angustias omnes genus tolerando, Christum crucem ferentem propiore gressu sequuntur, summa caritate complectimur, eorum anxias sollicitudines participamus, superna solacia flagrantibus invocamus precibus, commotoque animo gratias agimus, quod, suas molestias patienter sustinentes, Ecclesiam Sanctam fulgenti meritorum corona ditant atque amplificant.

Votorum Nostrorum pignus ac propensae voluntatis testimonium Apostolica est Benedictio, quam tibi, dilecte fili, universoque isti Ordini Ministrantium Infirmis, atque Sanctimonialibus, quae a S. Camillo nomen vel impulsionem sumunt, peramanter impertimus, eamque ad omnes quoque pertinere volumus, qui in nosocomiis sive aegrotant, sive quomodocumque infirmis inserviunt et adiutricem operam praestant, ut pax Dei, quae exsuperat omnem sensum, omnium corda custodiat.[6]

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die i mensis Iulii, anno MCMLXIV, Pontificatus Nostri secundo.

PAULUS PP. VI

[4] ***S. Augustini Enarrat, in Ps.*** **CXL, 3; *P.L.* 37, 1817.**
[5] ***Eph.*** **5, 30.**
[6] **Cfr. *Phil.* 4, 7.**

II

Ad E.mum P. D. Eugenium S. R. E. Cardinalem Tisserant, Episcopum Ostiensem, Portuensem et S. Rufinae, Sacri Collegii Decanum et primum Purpuratum Patrem e Consilio Praesidentiae Concilii Oecumenici Vaticani II, proxime ineunte tertia Sacrosanctae Synodi Sessione.

PAULUS PP. VI

Venerabilis Frater Noster, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Iam prope accedit tertia Sessio Concilii Oecumenici Vaticani II, quae, ut statuimus ac nuntiavimus, initium capiet die xiv huius mensis Septembris, quo liturgicum festum Exaltationis Crucis Domini Nostri Iesu Christi celebratur. Non sine causa hoc festum ad Concilii Oecumenici coetus iterum agendos delectum est, quippe quod apte ostendere videatur, e quonam fonte nostra salus suam repetat originem, atque undenam Ecclesia spem hauriat felicis exitus magnae huius Synodi, hoc est e Passione nostri miserantissimi et amantissimi Redemptoris.

Nos tanto huic mysterio debitum tribuere honorem cupimus, eius perennem ac salutarem memoriam recolendo, scilicet in ipsa eiusdem Sessionis inauguratione sacrosanctum Missae sacrificium Deo offerendo, quod Redemptionis nostrae opus repraesentat et renovat modo incruento. Ac Nobis in animo est sacrum huiusmodi ritum, utpote primum ac praecipuum Synodi actum, quae mox cogetur, per sollemnem concelebrationem perficere, quae quidem a viginti quattuor Concilii Patribus ex variis ordinibus et regionibus delectis ac Nobiscum coniunctis peragetur ; idque eo consilio volumus, ut apud omnes clarior pateat et apud Deum efficacior valeat illa mentium voluntatumque unitas, vi cuius omnes *cor unum et anima una* [1] sint, quotquot Sanctae Synodo intererunt et super communes labores devocabunt divina lumina, e quibus universa catholica Ecclesia, dum divinam voluntatem inquirit, supremum ductum sumere debet. Constat, enim, Concilium Oecumenicum circa S. Petri Successorem congregatum, ut a Conciliis Oecumenicis Tridentino et Vaticano I asseveratum est, vere universalem Ecclesiam repraesentare.

Haec, Venerabilis Frater Noster, ad te scribimus, Sacri Collegii

[1] *Act.* **4, 32.**

Decani munere fungentem, ut, qui praegrave officium a Nobis iterum suscipis primi Purpurati Patris e Consilio Praesidentiae Oecumenicae Synodi Vaticanae II, eiusdem Concilii Patres Nostro nomine et auctoritate adhorteris, ut, ad sollemnes coetus die praestituto celebrandos venientes, ad eosdem animum praeparent, velut ad singularem vitae Ecclesiae eventum ; qui quidem sperare iubet fore ut Ecclesia eo magis Divino Paraclito excitetur ac permoveatur, quo intentiores, quo magis concordes, quo humiliores animi ad recipiendam gratiam una simul componentur. Huiusmodi eventus a nobis postulat impensam divinarum rerum considerationem, flagrantissimum animi fervorem, humilem pietatem, integram fidelitatem erga Christi praecepta, vigile studium Ecclesiae et humani generis necessitatibus consulendi.

Cupimus autem, ut tua hortationis verba non tantum Concilii Oecumenici Patres respiciant, ut magnum illum eventum integra cum animi alacritate concelebrent, sed ad christifidelium quoque universitatem facias, Sacrorum Antistitibus tibi ferentibus opem, ad quos converteris : scilicet, ad sacerdotes in primis, ad religiosos sodales ac virgines Deo devotas, ad eosque omnes, qui e catholicorum hominum familia arcto vinculo atque e conscientia Ecclesiae adhaerere cupiant ; item ad animi corporisve doloribus affectos, qui Ecclesiae iam coniungantur, atque ad innocentes pueros puellasque, eiusdem Ecclesiae decus atque gaudium.

Oportet profecto, singula Mystici Corporis Christi membra hunc singularem Oecumenici Concilii eventum, historia sane dignum, etiam ad seipsos pertinere censeant, atque vigilanti ardentique conspiratione eiusdem Concilii participes sint. Etsi, cum superiores Oecnmenicae Synodi Sessiones initium ceperunt, ad universos Ecclesiae ordines huiusmodi invitatio facta est ; eam tamen iterare Nobis est visum, sive quia ob assuetam iam fidelibus maximam huiusmodi convocationem eorum exspectatio remissior fieri potest, quae contra nunc vigeat necesse est; sive quia, ad exitum properantibus argumentis, quae Concilio ad considerandum proposita sunt, decernendarum agendarumque in ipso rerum gravitas augetur.

Duobus autem modis usu probatis, quemadmodum notum est, sive singuli christifideles sive ecclesiastica communitas rei, quae ratione religiosa et morali tanti est momenti, possunt spiritualiter sociari, et ad felices eius exitus operam conferre : paenitentia et precatione. Priore homo componitur ad impedimenta ex animo auferenda, peccata dicimus pravasque cupidines, quae obstant quominus Deo reconcilietur; altera vero comparatur ad accipiendam abundantiam caelestis misericordiae;

utraque opportune efficit, ut locus detur regeneratrici actioni divinae et ad ineffabilem illum veluti occursum duarum voluntatum perducit : voluntatis hominis, qui se submittens humilitate purificatur atque erigitur ad impense implorandum et sperandum ; voluntatis Dei, qui libere tandem in vacuum cor hominis potest penetrare idque, illo in occursu, perfundit et inflammat Amore, naturam transcendente.

Volumus igitur, Venerabilis Frater Noster, ut voce tua, quae quasi totius Concilii sit vox, Ecclesia catholica moveatur ad peculiaria quaedam paenitentiae opera et precationes facienda. Haec autem sunt, quae suademus : hoc anno Quattuor Tempora, quae in dies xxin, xxv et XXVI mensis Septembris incidunt, reapse sanctificentur : praedictis scilicet diebus is, qui poterit, ieiunium servet, et unusquisque officio se intellegat obstringi mortificationis alicuius vel paenitentiae exercendae; studeat etiam Deo peculiares preces piaculares et impetratorias adhibere. Die autem xxvn, quae est dominica, in toto terrarum orbe, in quovis coetu fidelium et qualibet ecclesiastica communitate, universales preces fundantur ea mente, ut Concilium Oecumenicum prospere eveniat : quod significanter fieri poterit sollemni recitatione precationis, quae a verbis « Pater noster » incipit.

Ut neminem latet, Nos arbitramur Concilium secundos habere exitus, si spiritus Christi in eius Ecclesia renovetur, si fratres a nobis adhuc seiuncti in unitate eiusdem Ecclesiae componantur, si conscientia religiosa in humana consortione excitetur, si iustitia et pax in eadem vigeant : haec quidem proposita ad summam ac generalem spectant utilitatem ; haec vota ut perficiantur nemo non vehementer exoptabit, quemadmodum probe confidimus, eaque, utpote a te, Venerabilis Frater Noster, cum gravitate ac benevolentia enuntiata, homines pio et magno animo praediti sine dubio sedulo alacriterque secundabunt.

Pro hac, quam plurimi facimus, cura tua gratias in antecessum agentes, tibi, universali Ecclesiae totique orbi terrarum Benedictionem Apostolicam peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die i mensis Septembris, anno MCMLXIV, Pontificatus Nostri secundo.

PAULUS PP. VI

ALLOCUTIONES

I

Ad Excellentissimum Virum Petrum Devès, a Senegalensi Republica ad Apostolicam Sedem missum cum auctoritate Legatum, qui Summo Pontifici Litteras tradidit commissi muneris testes. *

Monsieur le Ministre,

Nous voulons tout d'abord remercier Votre Excellence des paroles délicates qu'elle vient de prononcer à l'égard de Notre Personne. Nous vous remercions également de Nous avoir remis les Lettres par lesquelles M. Leopold Sedar Senghor, Président de la République du Sénégal — que Nous avions l'honneur et le plaisir d'accueillir tout récemment en cette Demeure — vous accréditait auprès de Nous en qualité d'Envoyé Extraordinaire et de Ministre Plénipotentiaire.

Vous représentez ici, Monsieur le Ministre, un Pays qui se rappele à Notre paternelle attention et dont les habitants Nous sont chers. Grâce à sa situation géopraphique privilégée, par ses efforts lucides et courageux dans le domaine économique, comme par la qualité de ses élites, le Sénégal a une belle vocation pour son propre avenir et dans le concert des Nations. C'est un noble Pays dont Nous suivons l'essor avec une particulière sollicitude. Nous apprécions aussi l'exemple fécond qu'il donne d'une cohabitation constructive des diverses populations qui le composent et d'une bonne entente entre les diverses familles religieuses. La concorde et la collaboration entre tous les membres d'un peuple sont toujours pour lui un bien précieux qu'il faut sauvegarder et développer, en rassemblant toutes les forces vives dans un souci profond d'unanimité. Nous savons que Nos fils catholiques du Sénégal ont une conscience très intense de ces exigences et qu'ils ne sont pas les derniers à s'engager dans cette voie.

Soyez donc le bienvenu, Monsieur le Ministre. Deuxième titulaire d'une représentation diplomatique ouverte voici peu et dont le Saint-siège n'a eu qu'à se louer, vous apportez avec vous les heureuses qualités dont vous avez fait preuve dans vos postes précédents. Soyez assuré que Notre bienveillance vous est acquise et que Nous formons les meilleurs souhaits pour le bon succès de votre mission.

*** Die 7 mensis Augusti a. 1964.**

II

Habita in perinsigni Aede Cathedrali Urbevetana, cum ipse Summus Pontifex Sacrum in ea perageret, septimo exacto saeculo ab edita Urbani Pp. IV Constitutione Apostolica « Transiturus ». *

Signori Cardinali!

Venerati Confratelli e figli carissimi! Sacerdoti, Religiosi e Religiose!

Magistrati dello Stato e Signori della Provincia e di questa cara e nobilissima Città!

Ufficiali e Soldati!

' *Popolo di Orvieto e Gente d'Italia e d'ogni Paese qui rappresentato!*

Siamo lietissimi d'incontrarci con voi, in questo Duomo e in questa centenaria celebrazione; e vi ringraziamo della vostra festosa e devota accoglienza, e siamo sicuri che le sue splendide e vivaci espressioni esteriori non impediranno ad alcuno la riflessione interiore indispensabile per cogliere il valore ed il significato delle cose, che vogliamo onorare col nostro ricordo, con la nostra ammirazione, con la nostra pietà.

Il saluto perciò e la benedizione, con cui Noi rispondiamo alle vostre acclamazioni ed ai vostri omaggi, vogliono da un lato dirvi la Nostra riconoscenza per coteste deferenti e filiali manifestazioni; e vogliono, dall'altro, entrare negli animi di ciascuno di voi, e quasi invitarvi ad un incontro spirituale, dove la Nostra presenza a questa celebrazione possa manifestarvi il cordiale e rispettoso interesse del Nostro ministero per le vostre persone, i vostri pensieri, le vostre occupazioni, i vostri dolori, le vostre speranze : vorremmo far giungere in ogni spirito, che le presenti circostanze polarizzano intorno a Noi, un raggio di paterna affezione e di spirituale consolazione. Perciò vi diciamo di cuore : siate tutti salutati e benedetti !

Ma dobbiamo pur dire perché oggi Noi siamo qui, anche se già a tutti sono notissimi i motivi di questa Nostra religiosa escursione. Voi li volete ascoltare enunciati dalle Nostre labbra ; voi sentite come Noi li sentiamo tali motivi oggetto della vostra ben legittima ambizione, e, vogliamo credere, della vostra fedele e intelligente riflessione.

*** Die 11 mensis Augusti" a. 1964.**

Ebbene, Noi vi diremo, innanzi tutto, che questi motivi Noi li sentiamo potenti ed urgenti nel Nostro spirito; non saremmo altrimenti arrivati quassù^ se ragioni del tutto speciali non Ci avessero spinti ad uscire dall'ambito consueto e ristretto in cui si svolge oggi la vita del Papa, per venire a rendere omaggio a Orvieto (e associamo nel Nostro pensiero la vicina e diletta Bolsena), e alle sue commemorative festività. Questo già vi dice quanta importanza Noi attribuiamo a ciò che stiamo visitando e celebrando, e quanto merito gli riconosciamo, affinché sia largamente conosciuto e venerato.

Vi diremo anche che la grandezza e l'abbondanza dei motivi, che qua Ci conducono, sono tali che alcuni di essi Ci procurano qualche distrazione dallo scopo centrale della Nostra visita ; e perciò appena vi accenniamo per quel tanto che basti a farli convergere verso quello scopo stesso, o meglio a farli derivare da esso, quasi la raggiera d'un ostensorio, dal cui splendore il mistero eucaristico si accende come sole luminoso.

Vi è infatti una ragione storica che qua Ci invita e quasi Ci chiama come ad antica dimora di Papi, come a Città che intreccia le sue secolari vicende con quelle non solo del loro dominio temporale, ma altresì del loro ministero apostolico. ÍD ragione valida per richiamarci quassù a meditare i tempi che furono, ma non propizia per fissarvi la Nostra attenzione in questo momento. Non il passato ma il presente adesso Ci tiene.

Vi è poi un motivo artistico, e quale !, che esercita una perenne attrazione a venire quassù non solo per la curiosità dei turisti, o per il godimento degli artisti, ma per la devozione altresì, e soprattutto, dei credenti che trovano una volta di più in questa Italia, splendida di fede e di bellezza, una superlativa opera dell'arte, tutta pervasa dall'intimo, forte e soave soffio d'uno spirito limpido e pio, lieto di cantare nell'armonia delle immagini, delle forine^ delle strutture la sua pace ed il suo fervore, così come vorrebbe sempre a gente di questa terra parlare delle cose divine il mistico linguaggio dell'artista cristiano, e come sempre vorrebbe parlare a Dio delle cose umane la umile e potente sua voce di interprete d'un popolo forte e fedele. Sublime opera, nella quale così si riflette il genio religioso e gentile del nostro popolo, che non più umana ma quasi angelica la sentiamo, quasi miracolo a noi superiore; eppure così viva e così nostra la sentiamo, come se la nostra generazione l'avesse ideata, e tanto l'amasse come sua, da farsi affettuosamente audace di portarla a compimento in ogni sua parte, senza volerne violare

l'intangibile perfezione, mentre osa offrirle un suo nuovo e appassionato tributo.

Sì, qui l'arte non distrae, ma attrae, e introduce salmodiando nel recinto del sacro e del mistero.

Ed è a questo recinto, vogliamo dire al motivo religioso di questa festività, e perciò di questa Nostra presenza, che dobbiamo appressarci. Dovremmo riascoltare, come una storia, che ci porta l'eco incantevole delle narrazioni medìoevali, il racconto del miracolo di Bolsena : c'era una volta un prete tedesco, che chiameremo Pietro da Praga, venuto pellegrino in questa terra umbra, tormentato dal dubbio... Ma voi la •conoscete benissimo questa storia deliziosa e sacra; e Noi ora non la ripeteremo. La penseremo riflessa, come in una meditazione fatta ad alta voce, nell'ofliciatura, densa di pensiero e di pietà, che Tommaso d'Aquino, allora lui pure dimorante ad Orvieto, quale maestro di cose divine nello <(Studium Curiae », qua col Papa trasferito, dedicò al mistero eucaristico, monumento letterario e liturgico, che da quel tempo esprime la fede e l'amore della Chiesa verso il Sacramento della Cena e della Passione di Nostro Signore. Altro speciale motivo questo, che Ci fa volentieri pellegrini a questo benedetto santuario dell'oggetto centrale non solo, ma della sorgente altresì della nostra vita religiosa cattolica.

E siamo così arrivati al motivo principale del Nostro viaggio ad Orvieto : quello di celebrare con voi il settimo centenario della famosa bolla pontifìcia *Transiturus,* che il Nostro lontano predecessore, un pio e valoroso figlio di Francia, Urbano IV, l'il agosto del 1264 datò appunto da questa Città, ove allora era rifugiata la corte pontifìcia, estendendo, quindi, a tutta la Chiesa la festa, già in uso nella diocesi di Liegi (dove Urbano IV era stato arcidiacono), del *Corpus Domini.*

Quale significato dottrinale e religioso allora assumesse tale istituzione Noi ora non diremo, per dovere di brevità ; né diremo quale importanza tale festa abbia raggiunto nel quadro delle solennità religiose della Chiesa; voi certo sapete come essa si connetta al grande rito pasquale, del quale vuol essere una continuazione, quasi un atto di doveroso ripensamento; e sapete come essa abbia segnato uno sviluppo magnifico, e sempre genuino e fervoroso, del culto eucaristico in tutta la Chiesa, culto che trova la sua abituale e caratteristica espressione nella processione solenne, detta appunto del *Corpus Domini,* che ancor oggi in un'esuberanza di fede e di fervore vuole rompere il silenzio misterioso, che circonda l'Eucaristia, e vuole tributarle un trionfo, che trabocca dalle pareti delle chiese, per riversarsi nelle vie delle città e

infondere in tutta la comunità umana il senso e la gioia della presenza- di Cristo, silenzioso e vivo concomitante l'uomo pellegrino sui sentieri del tèmpo e della terra.

Voi ben sapete tutte queste stupende cose, e ancora ne tenete viva la memoria e costante il rito.

Il cristiano dinanzi al Mistero Eucaristico

Ma qui, Fratelli e figli, è il Nostro punto d'arrivo; qui la mèta del Nostro pellegrinaggio, qui il senso delle vostre commemorazioni. E qui qualche cosa di tremendo ci attende, qualche cosa di decisivo e cioè il nostro contegno interiore nei confronti del mistero eucaristico, al quale in sostanza tutto questo apparato esteriore fa da cornice. Il mistero eucaristico : come ci trova davanti a sé? come ci definisce? fedeli, entusiasti e rapiti dalla adesione franca e totale al *mysterium fidei?* incerti e dubbiosi, come il Sacerdote forestiero di Bolsena? pensosi e critici, desiderosi di risolvere in termini prosaici, demitizzati, come fosse un enigma tormentoso da spiegare in una formula facile e comprensibile l'astrusa parola di Cristo : « La mia carne è veramente cibo, e il mio sangue è veramente bevanda ... le parole che Io vi dico sono spirito e vita »?[1] ovvero indifferenti e refrattari a questo supremo e difficile discorso, facili disertori dal convito del regno di Dio, a cui tutti siamo invitati? La questione, come sapete, è estremamente grave, perché coinvolge il problema religioso nel suo epilogo risolutivo ; l'accettazione cioè o il rifiuto di Cristo : ((Volete forse andarvene anche voi?)),[2] chiede Gesù, dopo il discorso a Cafarnao sul Pane del cielo ; e implica la nostra sorte suprema : « Chi mangia vivrà)).[3]

Carissimi figli, qui presenti! Noi vogliamo pensare che voi tutti vogliate essere classificati fra i commensali fedeli ed assorti intorno alla mensa del Sacrifìcio eucaristico, e che sappiate riconoscere nei segni del pane e del vino, dopo la consacrazione, la reale Presenza di Cristo che rinnova per noi, in modo incruento, ma vero la sua immolazione. Oh ! sia sempre questa la vostra certezza, questo il vostro tema d'inesauribile colloquio con Cristo, questo il consolante pegno della vostra eterna salvezza !

Ma siamo obbiettivi : la nostra mentalità moderna, educata a misurare le sue certezze con la diretta conoscenza sensibile e con la pura

[1] *Io.* 6, 56-64.

[2] *Io.* 6, 58.

[3] *Io.* 6, 52.

ragione scientifica, e ingombra di innumerevoli impressioni fantastiche suscitate dalle invenzioni letterarie e dalle rappresentazioni degli spettacoli che dominano e plasmano, oggi, la nostra psicologia, dura molta fatica ad accogliere con fede sicura e con pietà sincera l'ineffabile annuncio eucaristico : questo è il mio Corpo, questo è il mio Sangue ! La nostra mente rimane come stordita ; non trova i concetti, non trova le ragioni, non trova le conseguenze d'un tale annuncio. Che cosa è? che cosa significa? e soprattutto : come può essere un tale fatto, che sembra contraddire alle leggi fìsiche e biologiche, che noi conosciamo? e perché il Signore, se voleva a noi comunicarsi, ha scelto un modo per noi così incomprensibile ?

La risposta richiederebbe interminabile discorso; ma Noi non possiamo lasciarla mancare, sia pure in semplicissimi cenni, a tutti aperti, se non a piena comprensione, a invitante riflessione almeno. A noi moderni, formati alla mentalità razionale e immaginosa che dicevamo, riesce difficile ammettere la Realtà che questo Sacramento ci presenta; occorre la fede, l'adesione semplice e amorosa alla Parola, che ci annuncia il mistero eucaristico; e questa adesione esige una nostra rieducazione a pensare con un impegno e una coerenza, che i nostri vecchi, più poveri di noi nella cultura, ma più schietti e più fiduciosi nella Verità che viene da Dio, esercitavano, anch'essi certo con fatica e con merito, ma più facilmente di noi. Noi moderni, in compenso, siamo meglio disposti a capire *il perché* di questo Sacramento. *Il come* ci mette in uno sforzo interiore ; *il perché* ci apre incantevoli scoperte.

Abbiate pazienza, e concedeteci ancora per un momento la vostra attenzione. Sant'Agostino ci è guida. Nell'Eucaristia possiamo considerare tre aspetti : primo, ciò che si vede : il pane ed il vino ; secondo, ciò che si crede ed è raffigurato nelle apparenze del pane e del vino ; e che è in realtà il Corpo ed il Sangue di Cristo ; terzo, ciò che significa questa esibizione del Corpo e del Sangue di Cristo sotto le figure di pane e di vino.[4] A questa terza questione noi possiamo dare una risposta (che non è che un frammento di quella immensa, che ci possono dare i Maestri della Teologia, primo fra essi S. Tommaso) ;[5] una risposta che ci riempie di ammirazione e che ci lascia intravedere qualche cosa del pensiero di Cristo su tutto il mistero eucaristico ; ed è semplicissima, perché altro non dice che questo : Cristo usando della sua divina potenza, si è rivestito di queste apparenze per affermare nel modo più espressivo ed

[4] Cfr. *Serm.* 272; *P.L.* 38, 1246.

[5] Cfr. III, 73, 3 etc.

evidente che Egli vuol essere alimento interiore, moltiplicato per tutti. Ha voluto parlarci per via di segni per farci comprendere che Egli è il Pane, che Egli cioè è il cibo disponibile e insostituibile dell'umanità redenta. Come non si può vivere senza il pane materiale, così non si può vivere spiritualmente senza Cristo. Egli è necessario, Egli è la Vita, Egli è pronto per ciascuno di noi, Egli vuol essere il principio interiore della nostra soprannaturale esistenza terrena per essere il datore della nostra pienezza nella vita futura.

A Cristo e al suo Vangelo il primato

A questa conclusione ci conduce e quasi ci obbliga la più elementare meditazione sull'Eucaristia ; e ad essa ci invita la presente celebrazione commemorativa dell'istituzione della festa del *Corpus Domini.* Ed è conclusione formidabile, perché pone dinanzi a noi una scelta che ha ragione di vita, o di morte. Si tratta dèlia scelta o del rifiuto di Cristo. Egli arriva a noi per tante vie : la storia, la tradizione, la Chiesa, il Vangelo; poi arriva Lui, Lui stesso, ma comprensibile solo per chi ha fede, e si presenta a noi nei simboli del pane e del vino, e ci dice : Io sono il tuo pane, il tuo sostegno, la tua forza, la tua pace, la tua felicità ! E la scelta si pone fra Lui, il Pane del cielo, e il pane della terra, cioè le risorse che per vivere ci può dare il mondo dei beni temporali, ch'Egli pur sa essere a noi necessari, se Egli stesso ha moltiplicato i pani per la fame corporale di coloro che per ascoltare la sua voce lo avevano seguito. Si pone cioè il complesso e drammatico problema che tormenta gli uomini del nostro tempo e determina il loro orientamento vitale : se basti il pane della terra, cioè il complesso dei beni economici e dei beni temporali, a saziare la fame di vita, ch'è propria dell'uomo : se la ricerca e il godimento di questo pane terrestre ed effimero debbano ignorare il pane del cielo, cioè Cristo, la fede, la concezione cristiana della vita, e debbano escluderlo dai programmi dell'attività moderna : e se finalmente sia a noi possibile, a noi doveroso dare a Cristo e al suo Vangelo il primato che Gli spetta, senza rimanere privi di quel pane della terra, ch'è pur dono di Dio, ch'è indispensabile alla nostra presente esistenza e che Cristo così ha benedetto da farne sacramento della sua perenne ed incarnata presenza fra noi.

L'odierno messaggio di Orvieto

Voi, figli saggi e custodi amorosi di queste tradizioni piissime e popolari, comprendete quale debba essere la soluzione di tale arduo

problema, che investe, specialmente nel nostro Paese, la vita contemporanea ; la soluzione non può essere diversa che un nuovo e vigoroso atto di fede in Cristo Signore e nella sua parola. Voi sentite sorgere nei vostri animi, risvegliati da queste celebrazioni, una luce, una forza spirituale, che potremmo chiamare il messaggio di Orvieto :

— non creda l'uomo di oggi di trovare altro nutrimento alla sua insaziabile fame di vita, se non nella fede e nella comunione di Cristo Signore ;

— non creda l'uomo di oggi che per conquistare il pane terrestre, di cui ha bisogno la sua vita temporale, debba porre l'alternativa alla ricerca del pane della vita religiosa e della fedeltà alla tradizione cattolica ;

— non creda l'uomo di oggi che il tesoro di fede e di bellezza che gli viene dalla storia e dalla civiltà cristiana abbia ormai un semplice valore archeologico e folcloristico, e non pensi di poterlo degnamente conservare e conservare come un cimelio prezioso, sì, ma spento di verità e di realtà interiore : diventerebbe cenere nelle sue mani ;

— ma creda l'uomo di oggi che chi cerca, sulla parola di Cristo, il regno di Dio innanzi tutto, avrà pane, avrà l'abbondanza anche dei beni naturali della scienza, della tecnica, del lavoro, dell'arte ;

— creda l'uomo d'oggi che ancor più di ieri Cristo gli è necessario : risvegliati in lui i desideri della libertà, della maturità umana, del progresso sociale, della pace, sappia che non solo a possederli, ma a conoscerli nel loro vero concetto cotesti ideali, è necessario il Maestro, il Maestro divino che solo li può far coincidere con la verità e con la vita ;

— e creda finalmente l'uomo di oggi che l'umile e fervorosa fede che Cristo nell'Eucaristia reclama da lui, è per la sua redenzione, per la sua salvezza, e per la sua felicità.

Questo il messaggio di Orvieto.

Fratelli e figli carissimi!

Celebrando questo sacro rito Noi avremo un ricordo, una preghiera per il Signor Presidente della Repubblica, che Ci duole sapere gravemente infermo ; vada a lui il Nostro riverente pensiero e il Nostro voto cordiale.

E avremo altresì un'intenzione speciale che mai ci deve abbandonare, quella di pregare per la pace del mondo, di cui l'Eucaristia è pegno e conforto.

III

Ad Moderatores et Sodales ex ordine Recollectorum S. Augustini, e Congregatione Clericorum Regularium a S. Paulo, e Congregatione Sacrorum Cordium Iesu et Mariae, e Missionalibus Sacratissimi Cordis Iesu, Romae coetus habentes. *

Dilecti filii,

Conventus vestros Romae celebrantes, egregia fide caritateque moti, exoptastis videre Petrum. Quam ob rem, commoto sane animi affectu vos coram excipimus atque complectimur, scientes vos in persona humilitatis Nostrae illum intellegere, illum honorare, in quo et omnium pastorum sollicitudo cum commendatarum sibi ovium custodia perseverat et cuius dignitas etiam in indigno herede non deficit.[1]

In primis vos laude et gratulatione prosequimur, qui idcirco simul unanimo studio congregati estis, ut Religiosis Familiis vestris aptius in dies consuleretis, pleniore usque in luce spirituales vias collocando, per quas ipsae — suis quaeque normis atque propositis respondens — procedant oportet, pariterque habita ratione de novis arduisque apostolatus condicionibus, quas nostra haec aetas a multiplicibus vestris operibus expostulat.

Admodum igitur laetamur, considerantes vos primos quodammodo invitationi Nostrae re et veritate respondere, quam per Encyclicas Litteras a verbis incipientes *Ecclesiam Suam,* nuper in lucem evulgatas, universae catholicae familiae fecimus, atque adeo in illam incumbere renovationem, de qua sermonem instituimus, « ut faciem et lineamenta, quae Christus Ecclesiae suae dederit, servemus, quin immo eandem Ecclesiam in perfectam speciem et formam restituamus, quae et eius pristinae imagini respondeat, et consentanea sit necessario illi progressui, quo ea, quasi arbor e semine, a primigeniis institutis suis ad horum temporum statum iuste et legitime est perducta ».[2]

Animum deinde vobis addimus, ut ea, quae in conventibus vestris agitanda suscepistis — ac praesertim quae ad adulescentium, in sortem Domini vocatorum, disciplinam, ad missionalia opera exercenda, ad animorum curam pertinent — et dilucide perscrutemini, et secure ad

* Die 22 mensis Augusti a. .1964.

[1] Cfr. S. Leonis M. Sermo III; *P.L.* 54, 147.

[2] *A. A. S.* LVI (1964), p. 630.

effectum deducatis, ut Religiosae Familiae vestrae, quae et sodalium numero et operum sollertia tantopere praestant, nova capiant incrementa, novasque impulsiones ad sese pro Christi Regno devovendum sumant.

Ac praesertim fore confidimus, ut ad ea, quae in memoratis Encyclicis Litteris, de servandae paupertatis spiritu seu studio deque caritate exercenda edisseruimus, animum prompte fideliterque attendatis, utpote qui ad Evangelii praecepta vitam instituentes, harum virtutum professioni atque exercitationi iam dediti sitis. Cum enim homines non verbis sed exemplis trahantur, oportet sane ut Ecclesiae filii — ac praesertim ii, qui sacerdotali et religiosa vitae ratione suscepta Christum propriore gressu sequi exoptant — caelestibus fulgeant desideriis, fallaces mundi delicias omnino parvipendant, fratrum necessitatibus sedulo se accommodent, suique obliviscantur, beato Petro Apostolorum Principe hortante : « Christo igitur passo in carne, et vos eadem cogitatione armamini ... Curam omnem subinferentes, ministrate in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam, in scientia autem abstinentiam, ... in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis caritatem. Haec enim, si vobiscum adsint et superent, non vacuos nec sine fructu vos constituent in Domini nostri Iesu Christi cognitione ».[3]

Apostolica Benedictio haec vota Nostra paterna benevolentia confirmat, quam vobis singulis universis, atque Sodalibus vestris, in toto terrarum orbe pro Christi amore adlaborantibus, peramanter impertimus.

IV

Ingenti peregrinorum multitudini habita: Beatissimus Pater omnes bonae voluntatis homines de servanda ac tutanda pace obtestatur. *

Diletti figli e figlie,

La vostra presenza, così numerosa, così varia, così cordiale e filiale, Ci apre quest'oggi il cuore all'espressione confidente non già del consueto colloquio familiare e spirituale delle Nostre Udienze generali d'ogni settimana, ma ad alcuni gravi pensieri, che tengono il Nostro animo in profonda meditazione, e che sono suscitati da due stimolanti

[3] ***1 Petr.* 4, 1 ; *2 Petr.* 1, 5-8.**

*** Die 26 mensis Augusti a. 1964.**

motivi : la ricorrenza del cinquantesimo anniversario della prima guerra mondiale e del venticinquesimo della seconda, entrambe scoppiate in questo periodo dell'anno, l'una all'inizio di agosto, l'altra all'inizio di settembre, primo motivo; e secondo motivo, i dissidi acuti fra vari Paesi, oggi esistenti già tinteggiati di sangue e balenanti di minacciosi presagi.

Le vie della Giustizia sono quelle benedette dal Signore

All'approssimarsi del xxv anniversario dello scoppio della seconda guerra mondiale risorge nel Nostro animo il commosso ricordo della sera del 24 agosto 1939, quando, per ragione del Nostro servizio alle dipendenze del Papa Pio XII, di venerata memoria, Noi avemmo la ventura di assistere all'atto della radiodiffusione di quel suo messaggio, vibrante di forza e di angoscia, nel quale la voce sua fu grave e solenne, come quella di Profeta di Dio e di Padre del mondo. Eisuonano ancora dentro di Noi le lampeggianti parole: ((Oggi che... la tensione degli spiriti sembra giunta a tal segno da far giudicare imminente lo scatenarsi del tremendo turbine della guerra, rivolgiamo con animo paterno un nuovo e più caldo appello ai Governanti e ai Popoli... È con la forza della ragione, non con quella delle armi, che la Giustizia si fa strada. E gl'imperi non fondati sulla Giustizia non sono benedetti da Dio. La politica emancipata dalla morale tradisce quelli stessi che così la vogliono. Imminente è il pericolo, ma è ancora tempo. Nulla è perduto con la pace. Tutto può essere perduto con la guerra. Ritornino gli uomini a comprendersi. Riprendano a trattare ... »-[1]

Quelle parole rimasero inascoltate da chi sognava la guerra rapida e decisiva, apportatrice di potenza e di gloria. E la guerra, una settimana dopo, scoppiò.

3	agosto	»	Al sig. Brennan Adriano (Hartford).
»	»	»	Al sig. Carroll Lorenzo (Hartford).
»	»	»	Al sig. Danaher Francesco (Hartford).
»	»	»	Al sig. Darcey Giacomo (Hartford).
»	»	»	Al sig. Gengras E. Clayton (Hartford).
»		»	Al sig. Giardini Angelo (Hartford).
»	»	»	Al sig. Golden Giovanni (Hartford).
	»	»	Al sig. Gilmartin Giovanni (Hartford).
	»	»	Al sig. Hayes Giacomo (Hartford).
»	»	»	Al sig. Gosselin Romeo (Hartford).
	»	»	Al sig. Keefe Donaldo (Hartford).
»	»	»	Al sig. Kennedy Roberto (Hartford).
»	»	»	Al sig. McCue Guglielmo (Hartford).
»	»	»	Al sig. Mongillo Alfonso (Hartford).
	»	»	Al sig. Moriarty Matteo (Hartford).
»		»	Al sig. Morrissey Gerardo (Hartford).
»	»	»	Al sig. Mulready Giuseppe (Hartford).
»		»	Al sig. Obuchowski Chester (Hartford).
»	»	»	Al sig. O'Donnell Giacomo (Hartford).
»	»	»	Al sig. Pettit Giacomo (Hartford).
»	»	»	Al sig. Quinlan Edoardo (Hartford).
»	»	»	Al sig. Róncari Raimondo (Hartford).
»	»	»	Al sig. Rosol Martino (Hartford).
	»	»	Al sig. Rourke Giuseppe (Hartford).
»	»	»	Al sig. Scully Giuseppe (Hartford).
»	»	»	Al sig. Seery Guglielmo (Hartford).
»		»	Al sig. Smith Giacomo (Hartford).

3 agosto 1963, Al sig. Sheedy Andrea (Saint Catharines).
24 » » Al sig. Beljaars Antonio 0. A. M. (Breda).
» » » Al sig. Van Gent Francesco Guglielmo (Utrecht).
o ottobre » Al sig. Keough Hazard Rolando (Panamá).
» » » Al sig. Villela de Andrade Giuseppe (Sao Paulo).
» » » Al sig. Brady Francesco (Winona).
» » » Al sig. Roerkohl Leone (Winona).
11 » Al sig. Pelletier Renato Giorgio (La Rochelle).
» » Al sig. Boggs Aroldo (Oakland).
» Al sig. Conmy Pietro (Oakland).
» Al sig. Kennedy Guglielmo (Oakland).
Al sig. Pedemont Leone (Oakland).
» » Al sig. Sontag Raimondo (Oakland).
» Al sig. Weber Carlo (Oakland).
Al sig. Bowen Francesco Giuseppe (San Antonio).
» » » Al sig. Coffey Edmondo (San Antonio).
Al sig. Dirksen Antonio Francesco (San Antonio).
Al sig. Garza Raffaele Giuseppe (San Antonio).
» Al sig. Heck Alberto (San Antonio).
» Al sig. Hinchey Giovanni (San Antonio).
» » » Al sig. Joseph Arturo (San Antonio).
Al sig. Kuntz Giovanni Giuseppe (San Antonio).
» Al sig. Sharmann Alberto Giovanni (San Antonio).
» Al sig. Seng Roberto Eduino (San Antonio).
» » Al sig. Grenier Giovanni Stefano (Versailles).
25 » Al sig. McGannon Donaldo Enrico (Bridgeport).
31 » » Al sig. Neri Giuseppe (Bologna).
» » Al sig. Bon elio Vincenzo (Malta).
» » Al sig. Caruana Galizia Vittorio (Malta).
7 novembre » Al sig. Albert Giorgio (Paris).
» Al sig. Camus Luigi (Paris).
» Al sig. Courtabessis Bernardo (Paris).
Al sig. Jacques Edoardo (Paris).
» Al sig. Scott Federico (Salford).
» Al sig. Poignet Raimondo (Tulle).
» Al sig. Fosse Giovanni (Viviers).
14 Al sig. Jepson Enrico (Wheeling).
Al sig. Lombardo Francesco (Wheeling).
Al sig. Salvati Raimondo (Wheeling).
» Al sig. Starvaggi Michele (Wheeling).
22 » Al sig. Grillon Giuseppe (Lyon).
» Al sig. Bearzatto Giovanni (Paris).
» Al sig. Rezza Costanzo M. (Roma).
» » Al sig. Schreiner B. A. M. (Rotterdam).
» Al sig. Abbatiello Sebastiano (Sant'Agata de' Goti).
Al sig. Giaquinto Sebastiano (Sant'Agata de' Goti).
» Al sig. Izzo Roberto (Sant'Agata de' Goti).
» Al sig. Montano Tommaso (Sant'Agata de' Goti).
» Al sig. Perrillo Salvatore (Sant'Agata de' Goti).

22	novembre	1963.	Al sig. Eomano Domenico (Sant'Agata de' Goti).
27		»	Al sig. Baranco Beverly Vittorio (Baton Rouge).
»	»	»	Al sig. Bebert Leone A. (Baton Rouge).
	»	»	Al sig. Cangelosi Rosario Francesco (Baton Rouge).
			Al sig. Hymel Giacomo I. (Baton Rouge).
	»	»	Al sig. Landry Floyd P. (Baton Rouge).
»			Al sig. McHardy Colin Andrea (Baton Rouge).
			Al sig. Ourso Clifford (Baton Rouge).
»	»		Al sig. Savoie Carlo (Baton Rouge).
	»	»	Al sig. Vali Rivers P. (Baton Rouge).
13	gennaio	1964.	Al sig. Cardoni Renzo (Roma).
			Al sig. Di Pasqua Francesco (Roma).
»			Al sig. Gandola Quirino (Roma).
))			Al sig. Saladini Saladino (Roma).
16			Al sig. Lehman Ruggero (Ambanja).
co	»		Al sig. Fattorini Edoardo G. (Leeds).
		»	Al sig. Fattorini Giuseppe (Leeds).
»			Al sig. Meredith Giorgio (Leeds).
»		».	Al sig. Mignpt Adolfo (Malines-Bruxelles).
31	»	»	Al sig. Collina Mario (Forlì).
13	febbraio		Al sig. Corazza Giacomo (Fidenza).
»			Al sig. Pezzaglia Emilio (Fidenza).
20			Al sig. Baron Gabriele (Lyon).
26			Al sig. Jayasuriya Aratchige Edoardo M. de Saram (Colombo in Ceylon)
	»	»	Al sig. Wijeratna Eldred (Colombo in Ceylon).
»			Al sig. Pagni Luciano (Lucca).
29	»	»	Al sig. Smets Guglielmo Giuseppe (Liège).
6	marzo	»	Al sig. Martínez Antonio (Roma).
11			Al sig. Soldateschi Mario (Roma).
16			Al sig. Dalle Ceste Pietro (Torino).
»			Al sig. Fa varo Pietro (Torino). ,
20			Al sig. Botto Faustino (Udine).
1	aprile		Al sig. McDermott Vincenzo (Camden).

Il Cavalierato dell'Ordine di san Gregorio Magno, classe militare:

14	settembre	1963.	Al Ten. Vignali Pietro (Roma).
»	».	»	Al Ten. Ficola Giorgio (Roma).

La Commenda con Placca dell'Ordine di san Silvestro Papa:

6	luglio	1963.	Al sig. Gerin Cesare (Roma).
»	»	»	Al sig. Lambertini Gastone (Roma).
14	settembre	»	Al sig. Martinelli Amedeo *(Italia).*
21	»	»	Al sig. Sbardella Carlo (Roma).

La Commenda dell'Ordine di san Silvestro Papa:

6	luglio	1963.	Al sig. De Iulio Luigi (Brindisi).
»	»	»	Al sig. Protti Gustavo (Padova).

8	luglio	1963.	Al sig. Rossi Giancarlo (Padova).
20	»		Al sig. Fasolo Vincenzo (Roma).
	»	»	Al sig. Salomone Alessandro (Roma).
»	»	»	Al sig. Urban Carlo Antonio (Roma).
»	»		Al sig. Zuccaro Domenico (Roma).
27	»	»	Al sig. Liguori Antonio (Roma).
»	»	»	Al sig. Brunetti Federico (Venezia).
3	agosto		Al sig. Vanelli Ignazio (Milano).
10	»	»	Al sig. Bilotta Alfredo (Porto e S. Rufina).
»		»	Al sig. Zampogna Antonio (Torino).
24	»	»	Al sig. Corbi Oreste (Roma).
»	»	»	Al sig. Tartaglione Nicola (Velletri).
7	settembre	»	Al sig. Carballa Giovanni B. (Montevideo).
»		»	Al sig. Del Rey Giuseppe M. (Montevideo).
		»	Al sig. Revello Michele Angelo (Montevideo).
			Al sig. Llambias de Azevedo Giovanni (Montevideo)
»		»	Al sig. Xalambú Arturo Stanislao (Montevideo).
10			Al sig. Casimirri Luciano (Roma).
14			Al sig. Sodano Giovanni (Asti).
			Al sig. Porpora Giuseppe *(Italia).*
»			Al sig. Valentino Nino *(Italia).*
17		»	Al sig. Roels Leone (Malines-Bruxelles).
21	»	»	Al sig. Guatta Piero (Milano).
28			Al sig. Perriccioli Ugo (Montalcino).
»		»	Al sig. Bizzinato Marco (Rimini).
		»	Al sig. Sgubbi Franco (Rimini).
»	»		Al sig. Targhini Egisto (Rimini).
			Al sig. Apolloni Renato (Roma).
	»		Al sig. Genchi Oreste (Roma).
»		»	Al sig. Ramerò Giovanni (Roma).
5	ottobre		Al sig. Rovaris-Aranciàni Alessandro (Como).
»	»		Al sig. Heboyan Megerditch (Roma).
»	»	»	Al sig. Jelmini Giuseppe (Roma).
11		»	Al sig. Lombardi Tarcisio (Novara).
»	»	»	Al sig. Cotzia Francesco (Siracusa).
18		»	Al sig. Crescini Domenico Alberto (Verona).
19			Al sig. Blidi Toh Giovanni (Cape Palmas).
»	»		Al sig. Gebo Gabriele (Monrovia).
25		»	Al sig. Marchesi Alfredo (Ferrara).
»			Al sig. Potenza Ugo (Napoli).
2	novembre		Al sig. Onori Giuseppe (Roma).

II Cavalierati> dell'Ordine di san Silvestro Papa:

G	luglio	1963.	Al sig. Grisetti Pierino (Roma).
»		»	Al sig. Mariani Alberto (Roma).
20		»	Al sig. Van Lerberghe Maurizio (Malines-Bruxelles).
»			Al sig. Ottolini Carlo (Torino).
27	»		Al sig. Galofré Folch Carlo M. (Barcelona).
10	agosto		Al sig. Ansuini Odorico (Porto e S. Rufina).

14	settembre	1963.	Al sig. Sestero Aurelio (Susa).
17	»	»	Al sig. Amory Luigi (Malines-Bruxelles).
»	»	»	Al sig. Casteels Francesco (Malines-Bruxelles).
»	»	»	Al sig. De Streel Andrea (Malines-Bruxelles).
»	»	»	Al sig. Fonsny Giorgio (Malines-Bruxelles).
»	»	»	Al sig. Mannes Maurizio (Malines-Bruxelles).
»	»	»	Al sig. Moerman Felice (Malines-Bruxelles).
28	»	»	Al sig. Genta Romeo (Feltre-Belluno).
»	»	»	Al sig. Magalotti Vittorio (Roma).
»	»	»	Al sig. Natalizia Vincenzo (Roma).
5	ottobre	»	Al sig. Gennai Leone (Volterra).
»	»	»	Al sig. Guerrieri Giulio (Volterra).
»	»	»	Al sig. Santoli Encelse (Volterra).
11	»	»	Al sig. Lamon Attilio (Lodi).
»	»	»	Al sig. D'Elia Umberto (Roma).
19	»	»	Al sig. Minekon Moses Antonio (Cape Palmas).
»	»	»	Al sig. Nagbwe Michele (Cape Palmas).
»	»	»	Al sig. Sawyerr Lorenzo (Monrovia).
»	»	»	Al sig. Wollor Edoardo (Monrovia).
25	»	»	Al sig. Luppi Lorenzo (Como).
2	novembre	»	Al sig. Moraldi Francesco (Roma).

NECROLOGIO

12	luglio	1964.	Monsig. Brault Henri, Vescovo di Saint-Dié.
18	»		Monsig. McManaman Edward Peter, Vescovo tit. di Floriana, Ausiliare di Erie.
30	»	»	Monsig. Roper Ioseph Basil, Vescovo tit. di Elusa.
31	»	»	Monsig. Mala Noël, Vescovo di Kasongo.
10	agosto		Monsig. Fallaize Pierre, Vescovo tit. di Tmui.
14		»	Monsig. Pirelli Luigi, Vescovo di Sovana-Pitigliano.
16	»	»	Monsig. Mutsaerts Willem Pieter A. M., Arcivescovo tit. di Fulli.
19	»	»	Monsig. Tredici Giacinto, Arcivescovo-Vescovo di Brescia.
26			Monsig. Baeten Jozef W. M., Arcivescovo tit. di Stauropoli.
4	settembre	»	L'Emo Signor Card. Roques Clément Emile, del titolo di S. Balbina, Arcivescovo di Rennes.
10			Monsig. Chiron Louis, Vescovo tit. di Bamaccora.
21	»		Monsig. Gawlina Giuseppe, Arcivescovo tit. di Madito.
»•			Monsig. Nigris Leone Giovanni Battista, Arcivescovo tit. di Filippi.
»			Monsig. Enciso Viana Jesus, Vescovo di Mallorca.

An. et vol. LVI **24 Octobris 1964** **(Ser. DDL, v. VI) - N. 13**

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: **Palazzo Apostolico - Qttà del Vaticano** — *Administratio:* **Libreria Editrice Vaticana**

ACTA PAULI PP. VI

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

NAGPURENSIS
(RAIPURENSIS)

Diviso territorio archidioecesis Nagpurensis, nova praefectura apostolica conditur, « Raipurensis » appellanda.

PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Religio vera Christique salus ut in Indiae regionibus proveheretur, quas frequentissimi incolae habitant multaeque sapientiae fama collustrat, censuit Sacra Congregatio Christiano Nomini Propagando novam ibi locorum ecclesiasticam circumscriptionem condere. Quam sententiam libenti animo probantes, ea quae acta sunt confirmamus atque summa potestate Nostra, consensu eorum suppleto qui hac super re aliquod ius habeant vel se putent habere, sequentia decernimus. A territorio archidioecesis Nagpurensis civiles districtus seiungimus qui vocantur Raipur, Bilaspur et Drug, ex iisque novam praefecturam apostolicam constituimus, *Baipurensem* ab urbe Raipur cognominandam, iisdemque finibus cingendam ac districtus quos diximus. Quam praefecturam, Nagpurensi provinciae aggregatam, Sodalibus Societatis Apostolatus Catholici concredimus, id hortantes ut nulli labori pareant

modo dum Christi regnum eiusque evangelium in homines latius proferantur. Ceterum has Litteras Nostras venerabilis Frater Robertus Iacobus Knox, archiepiscopus titulo Melitenaeus atque Apostolicus in India Internuntius, vel per se ipse vel per legatum, exsequetur, factis ad rem necessariis facultatibus. Re vero acta, idem documenta exarari faciet, eademque sinceris exemplis ad Sacram Congregationem Consistorialem cito mittet. Quod si alius eo tempore Apostolicae in India Internuntiaturae praesit, hic mandata Nostra faciat.

Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus ; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur.

Datum Romae, apud S. Petrum, die sexto decimo mensis Ianuarii, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo quarto, Pontificatus Nostri primo.

IACOBUS A. Card. **COPELLO**
S. R. E. Cancellarius

GREGORIUS P. Card. **AGAGIANIAN**
S. Congr. de Prop. Fide Praefectus

Franciscus Tinello
Apostolicam Cancellariam Regens

f Iosephus Rossi, Ep. tit. Palmyrenus, *Proton. Apost.*
Sylvius Romani, *Proton. Apost.*

Loco £B Plumbi

In Ap. Cane. tab.. vol. CXIT. n. 61

II

PARAKUENSIS
(NATITINGUENSIS)

Diviso territorio praefecturae apostolicae Parakuensis, nova dioecesis conditur, « Natitinguensis » nomine.

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ne latius pateret quam ut commode ab operariis Domini, seu sacerdotibus, exerceri posset apostolicae praefecturae Parakuensis territorium, opportunum censuit Sacrum Consilium Christiano Nomini Propagando, post auditum scilicet venerabilem Fratrem Ioannem Baptistam Maury, Archiepiscopum titulo Laodicensem in Phrygia atque Apostolicum in Africa Occidentali Delegatum, id dividere, novamque ex eo excitare dioecesim. Quod laeto animo adprobantes, summa Nostra potestate sequentia decernimus. A territorio praefecturae apostolicae Parakuensis totam regionem distrahimus quae districtum civilem vulgo Natitingou nuncupatum complectitur, ex eaque novam dioecesim constituimus, *Natitinguensem* ab urbe principe appellandam, in qua Episcopus sedem suam ponet.

Decernimus insuper ut nova dioecesis metropolitanae Sedi Cotonuensi sit obnoxia itemque iurisdictioni Sacrae Congregationis de Propaganda Fide; eadem curae esto Societati Missionum ad Afros, cuius sodales paterno animo hortamur ut nulli labori pareant, sicut hucusque fecerunt, Evangelii praeceptiones docentes. Sedi insuper eiusque sacris Praesulibus omnia iura facimus, onera et obligationes imponimus quae catholici orbis dioecesium eorumque Pastorum sunt propria. Sacrae aedi in urbe Natitingou exstanti Deo in honorem Immaculatae Conceptionis Beatae Mariae Virginis dicatae dignitatem cathedralis templi concedimus ; in eo enim Episcopus cathedram sui magisterii collocabit. Idem loco Canonicorum Consultores dioecesanos eligat ad iuris normam, eosque adhibeat in negotiis exspediendis. Ceterum haec voluntatis Nostrae decreta exsequenda curabit venerabilis Frater Ioannes Baptista Maury, quem memoravimus, vel ab eo legatus sacerdos. Qui autem rem perfecerit documenta exarabit eorumque fide digna exemplaria ad Sacram Congregationem Fidei Propagandae cito mittet.

Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus ; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur.

Datum Romae, apud S. Petrum, die decimo mensis Februarii, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo quarto, Pontificatus Nostri primo.

IACOBUS A. Card. COPELLO
S. R. E. Cancellarius

GREGORIUS P. Card. AGAGIANIAN
S. Congr. de Prop. Fide Praefectus

Franciscus Tinello
Apostolicam Cancellariam Regens

Caesar Federici, *Proton. Apost.*
Sylvius Romani, *Proton. Apost.*

Loco £8 Plumbi

In Ap. Cane, tab., vol. CXV, n. 26.

III

PARAKUENSIS

Praefectura apostolica Parakuensis ad gradum et dignitatem dioecesis evehitur, eodem nomine sed mutatis finibus.

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Africa terra, christianorum dives quos Christo et Ecclesiae sive mutuis Missionariorum labor peperit, qui per longa saecula, quasi milites militibus succedentes, fertilissimas eius oras Christi imperio ap-

posuerunt, sive praesentissima gratia Dei, cuius numen adorandum ubi vult prospere spirat (cf. *Io.*, 3, 8), talia cepit fidei ac religionis nostrae incrementa, ut non modo gaudeamus adimpleri Prophetarum atque ipsius Christi vaticinia (cfr. *Dan.*, 2, 35 et 45; *Mt.*, 13, 31 ss.), verum etiam novas usque dioeceses ibi loci condi oporteret. Quam ob rem, cum Sacra Congregatio Fidei Propagandae, audito nempe venerabili Fratre Ioanne Baptista Maury, Archiepiscopo titulo Laodicensi in Phrygia et in Africa Occidentali Apostolico Delegato, proposuerit ut praefectura apostolica Parakuensis, territorio imminuto, ad dignitatem dioecesis tolleretur, nos id aeque probantes, volentesque Patribus Societatis Missionariorum ad Afros, quibus fuit hactenus eadem praefectura concredita, signum dare benevolentiae Nostrae, haec statuimus atque iubemus. Praefecturam apostolicam Parakuensem ad gradum dioecesis evehimus, quae quidem *idem nomen* servabit, at uno civili districtu de Parakou constabit. Nova haec dioecesis metropolitanae Ecclesiae Cotonuensi suffraganea subicietur, atque Sacrae Congregationi de Propaganda Fide perget esse obnoxia. Eius praeterea sedem episcopalem in urbe vulgo Parakou statuimus, cathedra sacri Praesulis in templo Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli collocata, in eadem urbe; quod profecto cathedralis templi dignitate honestabitur. Conditam dioecesim Parakuensem patres Societatis Missionariorum ad Afros regent suaque prudentia gubernabunt, ad Nostrum scilicet nutum, quos vehementer hortamur ut nulli pareant labori Dei Regno quam late proferendo. Curet Episcopus, cui haec circumscriptio moderanda tradetur, ut Canonicorum collegium condat ; quod si statim geri non possit, Consultores dioecesani deligantur, qui consilio et opera suo Praesuli assint. Cetera autem omnia, sive nempe ad regimen spectantia, sive ad cleri et populi iura, adque similia, Iure Canonico temperentur. Ceterum quae his Litteris Nostris iussimus, venerabilis Frater Ioannes Baptista Maury exsequi studebit, vel quem ipse delegaverit. Re vero acta, documenta exarentur, quorum sincera exempla ad Sacram Congregationem Fidei Propagandae cito mittantur. Quod si eo tempore quo hae Litterae ad exitum sint adducendae, alius eidem Apostolicae Delegationi praesit, hic mandata Nostra faciat.

Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere

poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur.

Datum Romae, apud S. Petrum, die decimo mensis Februarii, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo quarto, Pontificatus Nostri primo.

IACOBUS A. Card. COPELLO
S. R. E. Cancellarius

GREGORIUS P. Card. AGAGIANIAN
S. Congr. de Prop. Fide Praefectus

Franciscus Tinello
Apostolicam Cancellariam Regens

Caesar Federici, *Proton. Apost.*
Sylvius Romani, *Proton. Apost.*

Loco ® Plumbi

In Ap. Cane, tab., vol. CXV, n. 28.

IV

VILLAVICENTIENSIS

Vicariatus apostolicus Villavicentiensis, in Columbia, ad gradum dioecesis attollitur, nomine finibusque servatis.

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Universae regimen Ecclesiae, quod superno et inscrutabili Dei consilio penes Nos est, id profecto requirit, ut sollicito animo ea fidelibus subsidia suppeditemus, quae ad ipsorum animorum bonum assequendum conducant. Quae inter cum non dubitemus aptiores esse ecclesiasticarum circumscriptionum dispositiones vel earum dignitatis accessiones, preces admittendas esse putavimus venerabilis Fratris Iosephi Paupini, Archiepiscopi titulo Sebastopolitani in Abasgia et in Columbiana Republica Apostolici Nuntii, qui ab Apostolica Sede petiit ut vicariatus

apostolicus Villavicentiensis ad dioecesis gradum eveheretur. Consensum propterea supplentes eorum omnium, qui hoc super negotio aliquid iuris vel habeant vel se putent habere, suprema Nostra potestate ea quae sequuntur decernimus et iubemus. Vicariatum apostolicum *Villavicentiensem* ad dioecesis dignitatem attollimus, iisdem circumscribendum finibus ac curiarum, prout scilicet in praesens terminantur, e quibus fit. Curiae autem seu paroeciae hae sunt : Medina et San Pedro de Jagua uti dicunt, intra limites civilis provinciae seu Departamento vulgo Cundinamarca cognominati exstantes, et Nuestra Señora del Carmen, Divino Niño, S. María Reina, Nuestra Señora del Perpetuo Socorro in vico vulgo La Grama, Acacias, Guamal, Castilla, Gubarral, San Martín, Restrepo, Cumaral, Puerto López, Remolino, El Calvario, Montfort, San Juanito et San Carlos de Guarca, intra fines civilis provinciae seu Departamento vulgo Del Meta sitae. Constitutae ideo dioecesis haec confinia erunt : ad septemtrionem, archidioecesis Bogotensis, dioeceses Zipaquirensis et Tunquensis, vicariatus apostolicus Casanarensis ; ad orientem solem, praefectura apostolica de Vichada ; ad meridiem, praefecturae apostolicae Mituensis et Arianensis; ad occasum denique solis, dioecesis Girardotensis et praefectura apostolica Arianensis. Sedes Episcopi in urbe vulgo Villavicencio appellata ponatur; episcopalis autem magisterii cathedra in templo ibidem exstante Deo dicato in honorem Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo, quod ad cathedralium sacrarum aedium gradum evehimus, factis iuribus privilegiisque congruis concessis. Sacrorum vero Antistiti, praeterquam quod iusta iura damus, obligationes imponimus, quae ad normam iuris ad eum pertinent. Decernimus praeterea ut ideni Episcopus, una cum sua Ecclesia, metropolitanae iurisdictioni Archiepiscopi Bogotensis subdatur; ut, pro Canonicorum collegio in posterum per alias Apostolicas Litteras condendo, Consultores dioecesanos interea deligat, qui sibi consilio et ope assint ; minus saltem Seminarium quam primum condat, pueris accipiendis et efformandis, qui ad sacerdotium vocentur, iuxta scilicet statuti iuris normas peculiaresque leges Sacrae Congregationis de Seminariis Studiorumque Universitatibus, cuius Seminarii sive ingenio sive animi virtutibus praestantes alumnos, cum adoleverint, Romam mittet in Pontificium Collegium Pianum Latinum Americanum, ut philosophicis theologicisque disciplinis imbuantur. Mensa episcopalis, quae dicitur, fiet ex Curiae emolumentis, e fidelium sponte oblatis pecuniis, dote quae a civili auctoritate est danda, bonis denique quae hucus-

que ad vicariatus apostolici Villavicentiensis Praelatum Ordinarium pertinuerunt. Quod denique novae dioecesis regimen spectat, Vicarii Capitularis, sede vacante, electionem, alia id genus, quae sacri canones praescribunt serventur. Haec omnia quae statuimus ut ad exitum adducantur venerabilis Frater Iosephus Paupini curet, vel ab eo delegatus vir, dummodo sit in ecclesiastica dignitate constitutus. Qui vero rem perfecerit documenta de more exarari iubebit ad Sacramque Congregationem Consistorialem mitti, rite signata sigilloque impressa.

Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur.

Datum Romae, apud S. Petrum, die undecimo mensis Februarii, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo quarto, Pontificatus Nostri primo.

IACOBUS A. Card. COPELLO
S. R. E. Cancellarius

CAROLUS Card. CONFALONIERI
S. Congr. Consistorialis a Secretis

Franciscus Tinello
Apostolicam Cancellariam Regens

Caesar Federici, *Proton. Apost.*
Sylvius Romani, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

In Ap. Canc. tab., vol. CXIV, n. 8/.

V

BANGASSUENSIS

Apostolica praefectura Bangassuensis ad gradum dioecesis attollitur, eodem nomine servato.

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Quod sacri Evangelii praecones in apostolica praefectura Bangas^suensi labore plantaverunt, sudore rigaverunt, Deus indita virtute crescere fecit (cfr. *1 Cor.* 3, 6-**7)** ad primosque fructus perduxit ; qua de re libenti animo accepimus quae Sacra Congregatio Fidei Propagandae, vota exsequens venerabilis Fratris Sergii Pignedoli, Archiepiscopi titulo Iconiensis atque Apostolici in Africa Media Occidentali Delegati, faciendum censuit, ut scilicet eadem praefectura ad gradum dioecesis eveheretur. Summa igitur et apostolica Nostra auctoritate, consensuque eorum suppleto qui hac super re aliquod ius habeant vel se putent habere, sequentia decernimus. Apostolicam praefecturam Ban gassuensem ad gradum dioecesis attollimus, *eodem nomine* iisdemque finibus servatis, datis iuribus et privilegiis quae eiusmodi Sedibus earumque Praesulibus lege ecclesiastica competunt. Novam dioecesim suffraganeam constituimus metropolitanae Ecclesiae Banguensis, eandemque curis concredimus Sodalium Congregationis S. Spiritus, quos paterne hortamur ut, sicut hucusque fecerunt, nulli labori pareant modo dum Christi regnum eiusque evangelium in homines latius perferantur. Bangassuensis Ecclesiae Sedes atque Episcopi domicilium urbs erit Bangassou cognominata; sacram aedem in ea exstantem ad gradum et dignitatem cathedralis ecclesiae evehimus, cum iuribus et privilegiis, utpote quae cathedram episcopalis magisterii capiat. Volumus demum ut, perennitati suae Ecclesiae prospiciens, Episcopus Seminarium saltem minus in ea condat, pueris excipiendis qui ad sacerdotium vocentur. Ceterum has Litteras Nostras venerabilis Frater Sergius Pignedoli, quem memoravimus, ad exitum adducet, vel per se ipse vel per legatum, factis ad rem necessariis facultatibus. Ee vero acta, idem documenta exarari faciet, eademque sinceris exemplis ad Sacram Congregationem Fidei Propagandae cito mittet. Quod si alius eo tempore Apostolicae in

Africa Media Occidentali Delegationi praeerit, hic mandata Nostra faciat.

Hanc vero Constitntionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur.

Datum Romae, apud S. Petrum, die decimo mensis Februarii, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo quarto, Pontificatus Nostri primo.

IACOBUS A. Card. **COPELLO**
S. R. E. Cancellarius

GREGORIUS P. Card. **AGAGIANIAN**
S. Congr. de Prop. Fide Praefectus

Franciscus Tinello
Apostolicam Cancellariam Regens

f Iosephus Rossi, Ep. tit. Palmyrenus, *Proton. Apost.*
Caesar Federici, *Proton. Apost.*

Loco ffi Plumbi
In Ap. Cane, tab., vol. CXIV, n. 80.

LITTERAE APOSTOLICAE

I

Titulus ac privilegia Basilicae Minoris conferuntur paroeciali ecclesiae S. Crucis in Urbis regione Flaminia seu vulgo « Santa Croce Flaminia ».

PAULUS PP. VI

Ad perpetuam rei memoriam. — Salutiferae Crucis triumphum testatur ecclesia huius mysterii nomine insignis et in Urbis regione Flaminia sita, opus scilicet structura nobile et religione spectabile. Hoc

Sanctus Pius PP. X, Decessor Noster, pastorali ardore inflammatus, excitavit ad celebrandam memoriam sexies decies saecularem edicti illius editi, quo Constantinus imperator, Crucis virtute victoriam ad pontem Mulvium adeptus, pacem libertatemque reddidit Ecclesiae. Non est quin probet ac laudet architectandi rationem, qua templo non modica accrescit maiestas, aras eleganti manu exstructas, opera musiva colorum venustate illustria, turrim sacram « Romanico » genere formosain, baptisterium octogonum artificiose aedificatum. Est autem maxime prae Nobis ferendum eam ecclesiam, in frequenti Urbis regione positam, pietatis sedem esse eximiam in eiusque ministeriis Presbyteros a SS. Stigmatibus Domini Nostri Iesu Christi alacres versari. Cupiens autem religioni ampliora afferre incrementa, memoransque ex hoc templo decem fere paroecias, postmodum circa constitutas, veluti originem duxisse, dilectus filius Gilbertus Fini, praedictae Congregationis Moderator Generalis, Nos submisse rogavit, ut eidem Basilicae Minoris nomen ac ius tribueremus. Quibus precibus, Dilecti Filii Nostri Aloisii Sanctae Romanae Ecclesiae Presbyteri Cardinalis Traglia, Provicarii Nostri Generalis in Urbe, ampla commendatione suffultis, libenter obsecundare statuimus. Itaque, e Sacrae Rituum Congregationis consulto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum paroecialem ecclesiam Sanctae Crucis in Urbis regione Flaminia, seu, uti vulgo appellant, « Santa Croce Flaminia)), ad honorem ac dignitatem *Basilicae Minoris* evehimus, omnibus adiectis iuribus et privilegiis, quae templis eodem nomine insignitis rite competunt. Contrariis quibusvis non obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere ; illisque, ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XII mensis Maii, anno MCMLXIV, Pontificatus Nostri primo.

& HAMLETUS I. Card. CICOGNANI
a publicis Ecclesiae negotiis

II

Sanctus Antonius Maria Claret, Episcopus et Confessor, praecipuus definitur Patronus Congregationis Sororum Adoratrieum Ancillarum a Sanctissimo Sacramento et Caritate.

PAULUS PP. VI

Ad perpetuam rei memoriam. — Sancta amicitia, quae perfecta fuit animorum Deo pariter adhaerentium coniunctio, Antonium Mariam Claret, Episcopum eumque praeclarum religiosi instituti auctorem, mortalis vitae diebus cum Maria Michaela ab Augusto Sacramento sociavit, cui etiam lectissimae feminae novae in Ecclesia conditae familiae laus debetur. Constat enim inspectis litterarum monumentis eundem Caeli - tem non solum patrem vitaeque magistrum, sed adiutorem et consiliarium etiam in opere efficiendo et solidando, multae cum urgerent difficultates, forti illi mulieri prudenter aftuisse. Ipse primum Congrega^ tionis Ancillarum a SS. Sacramento et Caritate leges recognovit, quas postea ad iuris normam exquisitas Apostolica Sedes probavit; ipse providum se praebuit custodem et instituti omnis et earum domorum, quas conditrix ad cultus Eucharistici incrementum itemque ad bonum salutemque periclitantium puellarum excelso animo aperuerat. Atque nunc, in gloriam Dei assumptus, tamquam peculiaris habetur et colitur Patronus a Sanctae Michaelae filiabus, neque ullum potest esse dubium, quin ipse validiore sane subsidio iuvet opus, quod vivens in terris fovisse cognoscitur. His quidem de causis dilecta in Christo filia Generalis Antistita huiusce Congregationis, nomine religiosi consilii, saeculari appropinquante anno gloriosae mortis fundatricis, scripsit ad Nos, "ut per publicum decretum personam ac munus Sancti Antonii Mariae debita in luce collocantes, eius patrocinium ad res, domus, alumnas omnes pertinens confirmaremus. Quod votum benignissime admittere statuimus, hoc etiam religiosis virginibus suadentes, ut ipsius stent Matris exemplo ideoque sincera Patronum excolant veneratione. Itaque, ex Sacrae Rituum Congregationis consulto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra, deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum, Sanctum Antonium Mariam Claret, Episcopum et Confessorem, principalem apud Deum totius Congregationis Sororum Adoratrieum Ancillarum a SS. Sacramento et Caritate

caelestem *Patronum* confirmamus, sen constituimus ac declaramus, omnibus adiectis iuribus et privilegiis liturgicis, quae praecipuis religiosorum coetuum Patronis rite competunt. Contrariis quibusvis nihil obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere ; illisque, ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari, sicque rite iudicandum esse ac definiendum ; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet scienter sive ignoranter attentari contingent.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XII mensis Maii, anno MCMLXIV, Pontificatus Nostri primo.

© HAMLETUS I. Card. CICOGNANI
a publicis Ecclesiae negotiis

III

Titulo ac privilegiis Basilicae Minoris Sanctuarium SS. Cordis Iesu, v. « Santuario Nacional de la Gran Promesa », in urbe et archidioecesi Vallisoletana decoratur.

PAULUS PP. VI

Ad perpetuam rei memoriam. — Hispanorum pietas christiana tantum, labentibus saeculis, crevit atque efferbuit, ut Pontificia ipsa consilia haud raro anteierit atque sententias. Quod quidem in ipsa Vallisoletana archiepiscopali urbe accidisse videtur. Exstat enim ibi celebre et peramplum Templum, Sacratissimo Cordi Iesu dicatum et hispanico sermone « Santuario Nacional de la Gran Promesa» nuncupatum, in quo, ineunte saeculo xvin, id est antequam Romani Pontifices, Decessores Nostri, Clemens XIII, Pius IX ac Leo XIII publicum Sacratissimo Cordi Iesu cultum decreverunt et auxerunt, festum et novendialia, eidem Dominico Mysterio sacra, pie sunt inchoata. Eadem insuper Hispanorum pietas, immo Vallisoletanorum fidelium, ipsum Templum, illustri Iesuitarum a Sancto Ambrosio Collegio, saeculo xviu, olim adnexum ac postea, ab anno MCMXXXXI, Sacratissimi Cordis pro tota Hispanica Natione Sanctuarium, tholo, altaribus, tabulis atque simulacris, perpolita effectis arte, affabre ornavit splendidissimeque

marmoritms multicoloribus, gemmis, aurea et argentea supellectile ditavit. Sed maxima eiusdem Templi laus, ut ipse Iesus fertur promisisse, fuit et est spiritualis vita fidelium illuc accedentium, quibus sacra Christianae religionis subsidia alacres praebent sacerdotes. Quae cum ita essent, Venerabilis Frater Iosephus García y Goldaraz, Archiepiscopus Vallisoletanus, nomine quoque cleri ac fidelium, a Nobis enixe petiit, ut eidem Sanctuario conspicuum existimationis Nostrae testimonium, religioni vero filiorum propensae voluntatis Nostrae pignus benigne tribuere dignaremur. Nos autem, omnibus rei momentis bene perpensis, huiusmodi precibus annuendum perlibenter censuimus. Quapropter, ex Sacrae Rituum Congregationis consulto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra, deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum, Sanctuarium, Sacratissimo Cordi Iesu dicatum, in archiepiscopali Vallisoletana urbe positum atque vulgo « Santuario Nacional de la Gran Promesa)) nuncupatum, ad dignitatem et honorem *Basilicae Minoris* evehimus, omnibus adiectis privilegiis, quae eidem titulo rite competunt. Contrariis quibusvis minime obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere ; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere ; illisque, ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter contigerit attentari.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die **XII** mensis Maii, anno **MCMLXIV**, Pontificatus Nostri primo.

ꞵ **HAMLETUS** I. Card. **CICOGNANI**
a publicis Ecclesiae negotiis

EPISTULA

Ad Rev .miim Patrem Ioannem Baptistam Janssens, Societatis Iesu Praepositum Generalem, centesimo et quinquagesimo volvente anno ab eadem Societate in integrum restituta.

PAULUS PP. VI

Dilecte fili, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Perlibenti animo comperimus, Societatem Iesu, cui tu digne praees, hoc volvente anno eventum memoratu sane dignum recolere : centum scilicet et quinquaginta expletos annos, ex quo Decessor Noster Pius VII, Apostolicis datis Litteris « Sollicitudo omnium ecclesiarum », Societatem Iesu in integrum restituendam decrevit.

Decet profecto una vobiscum Deo grates persolvere paternaque vota proferre, fausta hac data celebratione, quae non solum te sodalesque tuos merita afficit laetitia, sed eiusmodi etiam est ut vos ad salutaria concipienda proposita quam maxime permoveat.

Quodsi haec celebratio in memoriam quidem revocat dolendas rerum vicissitudines, quarum causa Ignatianos sodales tot res adversas tantasque aerumnas passos esse constat, eadem tamen opportunam simul praebet occasionem in sua luce ponendi miram vitae ubertatem Societatis vestrae, ac praesertim firmissimam illam erga Ecclesiam et Summos Pontifices fidelitatem, quae in S. Ignatii filiis, si alias umquam, tunc maxime, cum infensissima volverent tempora, intemerata luce refulsit. De peculiarissima enim laude agitur, qua Legifer vester insignitus voluit filios suos, et quam ipsi nullo non tempore veluti sacram hereditatem religione summa colere studuerunt.

Quare mirum non est, si anno MDCCCXIV Decessor Noster Pius VII, paulo postquam ab exilio Romam reversus erat, ut rei catholicae satius provideret, consilium suscepit Societatem vestram, per totum terrarum orbem paene deletam, ad vitam quam primum revocandi. Quo consilio, ipse et incensissimis cordatorum hominum votis satisfacere voluit, et Petri naviculae assiduis turbinibus agitatae se expertos remiges procurare putavit.[1]

Vestrae autem restauratae religiosae familiae benignus et praesens

[1] Cfr. Pius VII, Litt. Ap. *Sollicitudo omnium ecclesiarum,* 7 Aug. a. 1814.

affuit Deus, siquidem ipsa mox felicibus crevit auctibus, et a suis primis Moderatoribus sapientissimo regimine ducta, hoc praesertim curavit, ut apud sodales primaevus vestri Instituti spiritus omnino revivisceret. Quo ex spiritu, tamquam e praecipua causa, illa profecta est nova Sancti Ignatii progenies, quae priscarum laudum aemula, sive in missionalibus operibus promovendis, sive in doctrina sacra provehenda, sive in iuventute educanda et Apostolicae Sedis iuribus vindicandis, sive denique ac praesertim in christiana perfectione excolenda atque inculcanda tot tamque praeclara gessit facinora, magno cum divinae gloriae et catholicae religionis emolumento.

Optimo igitur consilio statuisti, dilecte fili, ut haec omnia, fausta data opportunitate, ante sodalium tuorum oculos proponerentur; idque putamus fore non modo Societati vestrae decorum, sed Ecclesiae ipsi perutile ac salutare. Revera, dum aetatem hanc nostram cernimus ad novum rerum cursum tam cito progredi, ac dum spectare cogimur tam ingentes animorum necessitates urgere, late errores invalescere, homines tam sitienter caducis inhiare bonis, caelestibus posthabitis, fatendum profecto est, non minus hodie, quam tempore quo Societas vestra restituta est, Ecclesiam strenuis indigere Christi militibus, fide intrepida praeditis, ardua quaeque perpeti paratis, ad salutis nuntium nostrorum temporum hominibus efficaciter afferendum.

Quam ad rem, haud exiguam Nos in adiutrice opera vestra spem collocamus, si quidem exempla, quae hac data occasione commemoraturi estis, non tam admirari quam imitari studebitis; scilicet si, maiorum vestigia prementes, efficiens, ut in moribus et in operibus vestris integer Conditoris vestri animus perstet ac spiret, ab eiusque mente omnia nova suscipienda incepta nullo modo discedant. Hoc spiritu afflatuque permoti tacite igitur, ut in fidelitate erga Ecclesiam et Christi Vicarium magis magisque confirmamini; quod si christifidelibus omnibus praecipitur, a vobis tamen, ut diximus, tamquam officium gravissimum haberi debet, quippe qui lege Instituti vestri teneamini «Sedi Apostolicae peculiariter inservire».[2] Item a maioribus vestris exemplum capientes, sedulam date operam catholicae doctrinae incolumitati, prout ab Ecclesia traditur, diligentissime servandae, adversusque errorum conatus invicto animo aptisque armis tuendae; immo nec ullam humanam disciplinam praetermittatis, quae progrediente aetate possit nova luce christianam veritatem, quae semper eadem est,

[2] *Constitutiones Soc. Iesu* : **Pars X, litt. b.**

collustrare ac patefacere. Pergite denique, ut facitis, indefatigatam operam praestare in externis apostolatus operibus, quae ad missionales labores, ad iuvenum educationem et ad spiritualia Exercitia potissimum pertinent, et in quibus vobis iam insignia promerita comparastis.

Hac profecto agendi ratione, vos religiosae professioni vestrae optime respondebitis, atque id etiam consequemini ut nova Societatis Iesu aetas cum praeterita apte et decore cohaereat, atque per virtutem vestram magnitudine operum sanctitatisque fulgore digna sit heres antiquae.

Haec vobis ex animo ominamur a Deo, dum caelestium munerum conciliatricem paternaeque benevolentiae Nostrae testem, cum tibi, dilecte fili, tum religiosae familiae tuae, Apostolicam Benedictionem perlibenter in Domino impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die xx mensis Augusti, anno MCMLXIV, Pontificatus Nostri secundo.

PAULUS PP. YI

ALLOCUTIONES

I

Ad Patres Conciliares habita in Vaticana Basilica, in festo Exaltationis Crucis Domini Nostri Iesu Christi, cum tertia Oecumenicae Synodi Sessio initium caperet, sollemni peracta concelebratione ab ipso Summo Pontifice et a viginti quattuor Concilii Patribus ex variis ordinibus et regionibus delectis. *

Venerabiles Fratres ac dilecti filii,

In signo Sanctae Crucis, cuius honori Eucharisticum Sacrificium modo concelebravimus, tertia Sessio Concilii Oecumenici Vaticani secundi hodie initium capit. Hic revera est Ecclesia, Nos ipsi hic Ecclesiam efficimus, idque propterea quod membra sumus Mystici Corporis Christi. Deus enim nobis inaestimabili gratiae suae munere dedit, ut in ipsum crederemus, ut baptismo ablueremur, ut caritate eiusdem sacri et visibilis populi Dei compaginaremur. Efficimus Ecclesiam, quia eius administri sumus, scilicet sacerdotes peculiari charactere insigniti; vi

*** De 14 mensis Septembris a. 1961.**

cuius in hoc officio sumus constituti, cum sacramentalem ordinationem suscepimus, quae potestates mirabiles et gravissimas contulit nobis, et sacrae Hierarchiae Ordinis nos compotes reddidit, cuius est ministeria obire apta ad pergendum per tempora et ad propagandum in terris ipsum munus salvificum Christi. Ecclesiam demum efficimus, quia ut Magistri fidei, Pastores animarum, Dispensatores mysteriorum *Dei*,[1] illius universae partes hic agimus, non quidem ut delegati vel delecti a fidelibus, quos spirituali sollicitudine attingimus, sed ut Patres ac Fratres, qui communitatum, curis uniuscuiusque nostrum commissarum, personam gerimus, et ut Coetus plenarius, quem Nos, cum omnibus vobis sociati ut Frater vester, iure meritoque convocavimus qua Episcopus Romae, Urbis huius e divinae providentiae consilio praecipuae, qua Successor, humillimus quidem sed certus, Petri Apostoli, ad cuius sepulcrum pie convenimus, atque adeo qua indignus sed verus Moderator Ecclesiae catholicae et Christi Vicarius, Servus servorum Dei.

Nos igitur, qui totam Ecclesiam per personas nostras sacraque munera complectimur, hoc Concilium dicimus Oecumenicum : hic celebratur unitas, hic celebratur Ecclesiae nota catholica, quibus haec ad mirabile robur et singularem illam facultatem testatur homines fraterno foedere inter se sociandi, diversas recipiendi humani cultus formas, sermones inter se plane dissimiles, liturgiae ac pietatis modos notabilissimos, discrepantes res illas, quas vita nationum, res socialis, eruditio atque doctrina prae se ferunt : haec omnia ea ad unitatem feliciter redigit, omnium servans legitimam et naturalem varietatem.

Sanctitas Ecclesiae hic celebratur, quia ea hic implorat misericordiam Dei, ut ignoscat infirmitatibus et erroribus hominum peccatorum, quos esse confitemur, et quia hic, ministerio sacro fungentes, quam maxime intellegimus nos haurire posse ex ((investigabilibus divitiis Christi »[2] praeclarissima dona salutis et sanctificationis, quibus homines cunctos locupletemus, et quia conscii sumus nihil aliud nobis esse propositum, quam ut « paremus Domino plebem perfectam ».[3]

Hic denique celebratur Ecclesiae nota apostolica, quae praerogativa nobis ipsis mira esse videtur, utpote qui fragilitatem nostram experiendo cognoscamus nec ignoremus ex historia constare, etiam firmissima humana instituta eidem esse obnoxia, atque etiam probe sciamus quam congruenter constanterque mandatum a Christo Apostolis datum usque

[1] *t Cor.* 4, 1.
[2] Cfr. *Eph. 3,* 8.
[3] Cfr. *Luc.* 1, 17.

ad nos, humiles et stupentes, pervenerit, quam inexplicabiliter et quam invicte Ecclesia per saecula permanserit, semper vivax, semper idonea ad excitandas in se ipsa vires, quibus irrefrenabili quasi impulsione reviresceret.

Cadunt sane in rem haec verba Tertulliani : « ipsa repraesentatio totius nominis Christiani magna veneratione celebratur. Et hoc quam dignum fide auspicante congregari undique ad Christum ! Vide, quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum ».[4]

Quodsi hic est Ecclesia, hic etiam est Spiritus Paraclitus, quem Christus Apostolis suis ad Ecclesiam ipsam aedificandam promisit, in hanc sententiam locutus : « ... Ego rogabo Patrem et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum ; Spiritum veritatis quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum; vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit et in vobis erit... ».[5] Siquidem, ut novimus, opus duorum, apostolatus nempe et Spiritus Sancti, Christus pollicitus est et diversa ratione transmisit, ut ipsum munus suum pergeret, regnum a se conditum per tempora orbemque terrarum propagaret, atque homines a se redemptos congregaret in Ecclesiam suam, in Corpus suum Mysticum, ut essent plenitudo sui ipsius, donec exspectatur reditus eius in fine saeculorum, qui ad postremum fiet triumphi in modum.

Apostolatus, extrinsecus et obiectiva ratione operans, corpus, ut ita dicamus, materiale Ecclesiae conficit, eique compaginem visibilem et socialem tribuit ; Spiritus autem Sanctus intrinsecus agit vimque suam non solum in animis singulorum hominum edit, sed etiam in tota communitate, quatenus movet, vivificat, sanctificat.

Ambo, apostolatus, quem per successionem sacra Hierarchia suscepit, et Spiritus Iesu, qui eadem hac Hierarchia quasi ordinario instrumento utitur in verbi et Sacramentorum ministerio, simul agunt : die enim Pentecostes mirum in modum inter se coniunguntur, cum initium sumit amplissimum opus Christi Domini, iam non visibilis sed semper praesentis in Apostolis eorumque successoribus, « quos operis sui vicarios contulit esse pastores » :[6] uterque, ratione quidem differenti, sed conspiranti, de Christo perhibent testimonium, foedere quodam iuncti, quo actioni apostolicae vis supernaturalis confertur.[7]

[4] *De ieiuniis,* Cap. XIII; *P.L.* 2, 1024.

[5] *Io.* 14, 16-17.

[6] Cfr. *Praef, de Apostolis.*

[7] Cfr. *1 Petr.* 1, 12.

Credimusne hoc consilium operis salvifici, quo Redemptio Christi ad nos pertinet et in nobis perficitur, etiam nunc vigere? Certe, Venerabiles Fratres ; quin immo credamus oportet per nos eiusmodi consilium continuari et ad effectum deduci, eo quod facultate et sufficientia praediti sumus, quae est a Deo, «qui et idoneos nos fecit ministros novi Testamenti : non littera sed Spiritu ... qui vivificat)).[8]

Si quis hac de re dubitaret, iniuriam inferret fidelitati Christi, qui promissa sua facit, deesset mandato nostro apostolico, Ecclesiam destitueret certissima illa proprietate, ex qua deficere nequit, et quae verbo divino est praestita atque experientia per saeculorum decursum comprobatur.

Spiritus hic adest, non quidem ut gratiam sacramentalem addat operi, quod nos omnes in Concilio congregati aggredimur, sed ut id illuminet ac dirigat in Ecclesiae totiusque humanae familiae utilitatem. Spiritus hic adest : eum nos invocamus, eum exspectamus, eum sequimur. Spiritus hic adest : hoc doctrinae caput, hanc veram eius praesentiam memoramus praecipue, ut iterum et modo quam absolutissimo ac paene ineffabili communionem cum Christo viventi percipiamus ; nam Spiritus nos cum eo coniungit. Haec monemus etiam, ut animo parato et sollicito ei nos sistamus, ut sentiamus miseriam nostram et inanitatem, qua humiliamur, et necessitatem implorandi eius misericordiam et auxilium, atque ut haec verba Apostoli, quasi in intimis latebris animorum ad nos facta, audiamus :'«... habentes administrationem iuxta quod misericordiam consecuti sumus, non deficimus » :[8] hoc igitur Concilii tempore ad summam docilitatem interiorem impellantur, ad verbum Dei obsequentissime, ut filios addecet, accipiendum, ad impense precandum et amandum, ad mentes nostras spirituali ardore innuammandas. Huic singulari eventui haec verba a S. Ambrosio, quo erat poetico ingenio, prolata, quam maxime videntur congruere : « laeti bibamus sobriam ebrietatem spiritus)).[10] Hoc profecto nobis contingat per sacrum Concilii tempus.

Ac demum haec affirmamus, siquidem in rerum ac vicissitudinum progressione nunc eo perventum est, ut Ecclesia, quae per nos repraesentatur et a nobis formam et vitam accipit, dicat de se ea, quae Christus eandem instituens cogitavit et voluit, et Patres, Pontifices, Doctores

[8] **Cfr. *2 Cor.* 3, 6.**
[5] ***2 Cor.* 4, 1.**
[10] ***P.L.* 16, 1411.**

pro sua sapientia, veluti meditatione in saecula producta, pie fideliterque exploraverunt. Ecclesia oportet se ipsam definiat, et ex germana conscientia sua promat doctrinam, quam Spiritus Sanctus iam ei ingerit iuxta promissum Domini : « Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia et suggeret vobis omnia quaecumque dixero vobis)).[11]

Hoc igitur modo absolvenda est doctrina, quam Concilium Oecumenicum Vaticanum primum sibi statuerat enuntiare, sed, ob externa impedimenta abruptum, definire non potuit nisi quoad primam partem, quae agit, ut nostis, de Summo Ecclesiae Pastore seu Romano Pontifice, atque de eius summis praerogativis, ad primatum iurisdictionis et infallibilitatem magisterii pertinentibus, quibus Iesus Christus Petrum Apostolum donavit, utpote suum Vicarium visibilem ac terrenum, et eos, qui in tam celso et gravissimo munere ei essent successuri.

Superest, ut compleatur tractatio de hac doctrina atque adeo explicentur cogitata Christi de universa Ecclesia ipsius ac praesertim de natura et munere eorum, qui Apostolorum sunt successores, Episcopatus nempe, cuius dignitate et officio maior pars vestrum, Venerabiles Patres, quin immo nostrum, Reverendissimi Fratres, ex benigna Dei voluntate, est aucta.

De multis aliis rebus Concilio erit sermo instituendus ; sed eiusdem disceptatio, quae in hac ipsa re vertitur, prae ceteris esse videtur maioris gravitatis atque prudentiae. Haec eadem res in posteritatis memoria peculiarem notam sine dubio tribuet sollemni huic Synodo, historia sane dignae. Eius est quasdam theologicas controversias easque laboriosas dirimere; de Pastorum Ecclesiae natura et sacro munere constituere; disceptare de praerogativis ex Episcopatu legitime manantibus ac, Spiritus Sancti ope, de iis certam ferre sententiam; rationes, quae huic Sedi Apostolicae cum Episcopis intercedunt circumscribere; ostendere instituta et formam Ecclesiae, tam in oriente quam in occidente, licet proprietates quasdam utrimque habeat, esse eiusdem naturae ; eius denique est manifestare Fidelibus Ecclesiae catholicae et Fratribus ab eius communione seiunctis, quae sit vera notio ordinum sacrae Hierarchiae, de quibus haec verba dicta sunt : « Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei)),[12] ac quidem cum auctoritate certa, quam in dubium vocari non licet ; ii vero etiam contendant, ut fratribus humiliter

[11] ***Io.* 14, 26.**
[12] ***Act.* 20, 28.**

ac patienter serviant, quemadmodum Pastores decet, ministros scilicet fidei et caritatis.

Haec vividiore cum meditatione Nos et vos ipsi, Venerabiles Fratres, animo volvimus, eo quod in tertia sessione Concilii Oecumenici ex variis diversisque quaestionibus illic disceptandis praecipua habebitur quaestio ad enucleandam et declarandam doctrinam naturae et mandati Ecclesiae pertinens. Ex quo continget, ut resumatur et integre perficiatur pertractatio in superioribus duabus sessionibus inchoata, utque haec sollemnis generalis Synodus congruens continuatio et perpetuitas Oecumenici Concilii Vaticani primi evadat. Vult denique Ecclesia se ipsam contemplari, vel potius in mente Iesu Christi, Divini Conditoris sui, se ipsam inquirere. Quod profecto idem valet ac sapientiae et caritati Fundatoris sui honoris exhibere obsequium, atque, dum ipsi iterata observantia fidem et fidelitatem profitetur, se instructiorem facere ad opus salutis exsequendum, ob quod instituta est.

Nemo autem putet Ecclesiam, dum ita se gerit, oblectationis causa in se ipsa conquiescere eandemque oblivisci tum Christum, a quo cuncta accipit, cui cuncta debet, tum humanum genus, cui quidem ad deserviendum nata est. Inter Christum et hominum societatem Ecclesia media consistit, minime contenta sui, minime quasi opacum quiddam visum impediens, minime sibi ipsi finis, sed contra idcirco constanter sollicita, ut tota sit Christi, in Christo, pro Christo, ut tota sit hominum, inter homines, pro hominibus, vere humilis et excellens trames inter Divinum Servatorem et humanum genus ideo constitutus, ut tueatur et expandat supernaturalis vitae veritatem et gratiam.

Haec nunc praegravia et maxima sunt, hoc nimirum momento vertente temporis, quod saeculorum decursu valde sacratum esse videtur. Etenim de Ecclesia suscipienda consideratio Nobis ac potissimum vobis aliquid in medium proferet summi profecto ponderis, quod spectabit Ecclesiae ipsius hierarchicam constitutionem coniunctimque originem, naturam, munus, potestatem Episcopatus. Ecclesiasticae nempe Hierarchiae, ut iam monuimus, Episcopatus pars est celsa et eximia eamque ((Spiritus Sanctus posuit... regere Ecclesiam Dei)).[13]

Quocirca putamus Nos providentissimi Dei obsequi consilio, cum in hoc eventu celebrationis historia dignae vobis, Venerabiles et dilecti in Episcopatu Fratres, honorem impertimus, quem Dominus Noster voluit Apostolis una cum Petro attribuì.

[13] *Act.* 20, 28.

A Patribus Concilii Oecumenici Vaticani primi definitae et declaratae sunt potestates, reapse unicae summaeque, a Christo Petro collatae et successoribus eius transmissae. Hac pronuntiatione nonnullis visa est Episcoporum, Apostolorum successorum, auctoritas minui; hoc persuasum illis habebatur supervacaneam prorsus fieri et praepediri convocationem subsequentis Concilii Oecumenici, cui tamen suprema in universam Ecclesiam potestas iure canonico agnoscitur.

Haec Synodus pariter Oecumenica confirmatura utique est doctrinam superioris Concilii Oecumenici de Summi Pontificis praerogativis ; attamen id quoque et praecipue intendet, ut praerogativas Episcopatus describat et honore collustret. Pro certo sciant omnes praesentis Concilii convocationem ultro et sponte factam esse a felicis recordationis Decessore Nostro Ioanne XXIII et a Nobis statim confirmatam, cum probe novissemus, id quod a sacratissimo hoc Coetu quaereretur, prorsus Episcopatum attingere. Nec aliter evenire poterat, cum non tantum considerarentur conexae doctrinae, verum etiam cum sincera exsisteret voluntas profitendi gloriam, mandatum, merita, amicitiam Nostrorum Fratrum, qui partes agunt docendi, sanctificandi, moderandi Ecclesiam Dei.

Liceat Nobis iterare et quasi Nostra facere praeclara verba, quae remotus sanctissimusque Decessor Noster immortalis memoriae Gregorius Magnus ad Eulogium, Episcopum Alexandrinum, scripsit : « Meus honor est honor universalis Ecclesiae. Meus honor est fratrum meorum solidus vigor. Tum ego vere honoratus sum, cum singulis quibusque honor debitus non negatur » .[14]

Veritatis catholicae integritas nunc postulat, ut doctrinae caput declaretur, quod, congruenter cum doctrina de Romano Pontifice, fulgida in sua luce ponat dignitatem ac munera, quae ad Episcopatum pertinent. Huiusmodi dignitatis atque munerum lineamenta describere, officium erit Concilii Oecumenici quod non alio contendet nisi ut mentem Iesu Christi recte interpretetur, qualem divinae revelationis fontes ac doctrina catholica certe exinde derivata exhibent. Ad Nos quod attinet, iam nunc gaudemus Episcopos agnoscere Fratres Nostros, eosque cum Petro Apostolo appellare « Seniores », Nosque « Conseniorem » grata nec absimili appellatione nuncupare ;[15] hoc est gaudium Nostrum, quod eos Pauli Apostoli verbis appellare possumus « socios in tribulationibus et consolationibus » ,[16] haec sollicitudo Nostra, quod venerationem, existi-

[14] **8, 30; *P.L.* 77, 933.**

[15] **Cfr. *1 Petr.*** 5, **1.**

[16] **Cfr. *2 Cor.* 1. 4, 7.**

mationem, caritatem, animi coniunctionem Nostram iis testari licet. Denique Nostrum est officium eos agnoscendi Magistros, Pastores, Sanctificator populi christiani, «dispensatores mysteriorum Dei»,[17] testes Evangelii, ministros novi Testamenti, quasi, splendorem gloriae Domini.[18]

Quodsi, utpote Petri successor, atque hac de causa plena in universam Ecclesiam potestate praediti, Nos etsi immerentes officio fungimur vestri Moderatoris ; hoc non eo spectat ut vestra imminuatur auctoritas ; immo eam Nos imprimis veneratione prosequimur. Praeterea, si apostolicum munus a Nobis requirit ut, ad potestatis episcopalis perfunctionem quod attinet, aliquid Nobis reservemus, limites praefiniamus, formas statuamus, agendi rationes ordinemus, haec omnia, ut probe nostis, ipsum Ecclesiae universae bonum postulat, postulat unitas Ecclesiae; quae quidem eo magis supremo ductore indiget, quo latius catholici nominis fines proferuntur, quo graviora fiunt pericula et instantius urgent necessitates populi christiani in variis temporum rerumque adiunctis, immo, ut addere licet, quo expeditior hodie nobis commeandi facultas praebetur. Haec potestatis ecclesiasticae in unum veluti centrum ordinatio, quae temperate semper exercebitur, ac semper pensa bitur opportunis facultatibus utilibusque ministeriis quae locorum Pastoribus vigilanter tribuantur ; haec ad unum veluti centrum ordinatio, dicimus, censenda minime est quasi quoddam artificium dominandi cupiditate quaesitum; verum eadem, Venerabiles Fratres, famulatus speciem induit; indoli Ecclesiae respondet, quae suapte natura una et hierarchica est; efficit illud ornamentum, illud robur, illam pulchritudinem, quam Christus Ecclesiae pollicitus est eique temporum successione concedit.

Quam ad rem verba commemorare placet, quae Decessor Noster Pius XII fel. rec. ad Episcoporum coetum habuit : « Haec ergo coniunctio et congruens rei communicatio cum Sancta Sede non oritur ex quodam studio omnia in unum cogendi et conformandi, sed ex iure divino et ex proprio ipsius constitutionis Ecclesiae Christi elemento».[19]

Attamen haec norma episcopalem auctoritatem nullo modo extenuat, immo robore auget, sive ea in singulis Antistitibus, sive in toto Episcoporum collegio consideratur. O quanta admiratione prosequimur, quantopere tueri cupimus munera sacrae Hierarchiae propria! Ea enim e

[17] **Cfr. *1 Cor.* 4, 1.**
[18] **Cfr. *2 Cor.* 3, 6-18.**
[19] ***A. A. S.* XLVI, 1954, p. 676.**

caritate Christi orta est, ut compleret, diffunderet atque integrum frugiferumque per temporum decursum transmitteret sacrum illum fidei, exemplorum, praeceptorum et charismatum thesaurum, quem Christus Ecclesiae suae hereditate reliquit; ipsa christifidelium communitatem generat eiusque visibilem compaginem apte ordinat; ipsius opera fit ut Ecclesia Mater et Magistra appellari possit; ipsius ministerio nobis Sacramentorum divitiae impertiuntur ; ipsa praeeunte, Deo preces adhibentur ; ipsa christianae caritatis promovet opera atque incepta. Nos, qui sacri huius Instituti supremo regimini praepositi sumus, nonne Nostras curas, Nostram fiduciam, Nostrum praesidium illi praebebimus? Num defensionem Nostram ei denegabimus? Quod officium frequentius, gravius, gratiusque Nobis esse poterit, quam iura, libertatem, dignitatem sacrae Hierarchiae in variis Nationibus tueri? Nonne hac ardua navitate fere tota Summi Pontificatus historia contexitur, praesertim nostris temporibus, quibus tot rerum perturbationes cernimus?

Alio quoque argumento has catholici Episcopatus laudes confirmare placet, ut manifesto pateat quantum eius dignitati, quantum eius caritati prosint haec hierarchicae communionis vincula, quae Episcopos cum Apostolica Sede coniungunt ; scilicet Sedes Apostolica vobis indiget, Venerabiles Fratres ! Etenim quemadmodum vobis, varias terrarum orbis partes incolentibus, ut veram Ecclesiae notam catholicam efficiatis atque ostendatis, necessarium omnino est centrum et principium unitatis fidei et communionis, quod in hac Petri Cathedra habetis ; ita semper vestram praesentem operam expetimus, ut vultus Apostolicae Sedis pulchritudine niteat neve eadem careat vi atque momento suo humano et historico, immo ut fides eius consonanter servetur, officia eius in exemplum impleantur, in eius angustiis solacium ipsi praebeatur.

Itaque Nos, dum exspectamus vestros coetus doctrinam de episcopali munere declaraturos esse, ipsi Episcopatui iam Nostrum tribuimus honorem, animum Nostrum fraternum, immo paternum profitemur, atque ab ipso assensionem petimus, quae Nos ex imo pectore soletur. Utinam animorum illa consensio et conspiratio, qua catholicae Hierarchiae ordines vitali fidei caritatisque foedere inter se coniunguntur, ex hoc Oecumenico Concilio altior, validior atque sanctior usque fiat : exinde gloria Christo, pax Ecclesiae, lux terrarum orbi obveniet.

De qua re, deque aliis multis, quae Concilio ad examinandum propositae sunt, vel plura diceremus, nisi timeremus vestra abuti patientia.

Attamen facere non possumus, quin ex hac Basilica atque hoc peculiari temporis momento ecclesiasticas communitates, quarum partes

agitis, singulari cum benevolentia salvere iubeamus : imprimis cogitatio convertitur Nostra ad Sacerdotes in universo terrarum orbe degentes, quos carissimos habemus et colimus, eosdemque veros validosque episcopalis muneris adiutores existimamus ; ad Religiosos Sodales, omni studio adlaborantes, ut Christo conformes fratribusque utiles fiant; ad omnes e laicorum ordine catholicos homines, qui adiutricem operam sacrae Hierarchiae impense navant, ut Ecclesia aedificetur atque humani generis societati praebeatur ministerium ; ad omnes convertitur corporis animi ve doloribus affectos, ad inopes, ad hostiliter insectatos : hi sane e recordatione Nostra excidere nequeunt, et ii praesertim, qui libertatis expertes ab hac Synodo abesse coguntur.

Deinde salutem dicimus hic praesentibus Auditoribus, quorum nobiles animi sensus atque insignia merita Nobis perquam nota sunt. Tum laetantes consalutamus dilectas Nobis in Christo filias, scilicet Auditrices mulieres, quae nuncupantur, quibusque primum facultas facta est quosdam Concilii conventus participandi. Qui omnes, sive Auditores sive Auditrices, ex huiusmodi sibi facto ad Concilium aditu procul dubio intellegant oportet, quo paterno animo in cunctos plebis Dei ordines feramur, et quantopere cupiamus, ut christianae societati uberiorem in dies copiam concordiae, mutuae conspirationis et operae, caritatisque demus.

Vos denique, dignissimi ac praeclari Observatores, qui iam tertio Concilii coetibus volentes interestis, salvere iubemus ; vobis gratias agimus, vobis voluntatem atque opem Nostram denuo testamur, fore confisi ut omne impedimentum, omnis dissensio, omnisque suspicio quondam tollantur, quibus praepedimur, quominus in Christo in eiusque Ecclesia « cor unum et animam unam))[20] omnino nos esse sentiamus. Pro Nostra parte nihil intentatum relinquemus, quod ad id consequendum in Nostra fuerit potestate. Plane intellegimus, rem maximi momenti esse, ut huiusmodi unitas redintegretur : qua de causa omnem curam in id intendemus, omneque in hac re consumemus tempus, quod ab eadem postulatum erit. Haec res prorsus nova ac recens est, si eam cum diuturna lugendaque rerum gestarum serie comparamus, quae singula discidia antecesserunt : at nos aequo animo exspectabimus, donec condicionum maturitas veniat, quibus eam quaestionem certo exitu et mente amica expediamus. Haec res maximi est momenti, quae in arcanis Dei consiliis penitus est recondita : at nos humili piaque voluntate studebimus, ut tanta gratia digni evadamus. Memores sumus, quae verba

[20] **Cfr. *Act.* 4, 32.**

Paulus Apostolus fecerit, qui « omnibus omnia factus »[21] Evangelii donum cunctis gentibus est largitus, tali usus indulgentia, quam e nostrae aetatis ratione « pluralismum practicum)) appellare Nobis liceat ; memores pariter sumus, ipsum Apostolum nos obtestari, ut <(sollíciti servemus unitatem spiritus in vinculo pacis », quoniam « unus est Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus et Pater omnium » :[22] quam ob rem operam dabimus, ut, summa cum fidelitate erga unam Christi Ecclesiam, ea omnia melius cognoscamus atque probemus, quae in variis christianorum hominum communitatibus, a nobis adhuc seiunctis, et vera et probanda sint. Itemque ab istis communitatibus petimus, ut catholicam fidem et catholicam vitae rationem melius ipsae cognoscant, neve ullam offensionem capiant ex huiusmodi Nostra invitatione, sed eam potius officiosam atque fraternam esse ducant, quippe qua eos advocemus, ut veritatis caritatisque plenitudinem ex integro participent : eam dicimus plenitudinem, quam Christi praeceptum nobis immeritis laetissima sorte at gravissimo onere custodiendam tradidit ; et quae clariore in luce ponetur cum omnes Christi nomen profitentes in unitate compositi erunt.

Interea per vos, venerabiles et illustres hospites, sollemnibus his coetibus observatorum partes agentes, et christianas communitates ex animo salutamus, quarum personam geritis ; et ad eas etiam, quae delegatos huc non miserunt, reverentem cogitationem Nostram convertimus. Nos vero precibus caritateque omnia Christi membra, adhuc a plena spirituali et visibili Mystici Corporis integritate seiuncta, in unum componimus ; in quo sane amoris pietatisque studio Noster accrescit dolor, nostraque accrescit spes. O Ecclesiae a Nobis remotae, at Nobis tam proximae ! O Ecclesiae, quas sincera benevolentia suspiramus ! O Ecclesiae, quas insomni desiderio prosequimur ! O Ecclesiae lacrimarum Nostrarum, quas valde cupimus in germano Christi amore complecti et honestare ! Ad vos perveniant, ex hoc unitatis cardine, nempe ab apostoli martyrisque Petri sepulcro, ab hoc Oecumenico fraternitatis et pacis Concilio, Nostra clamantia caritatisque plena verba : adhuc longo fortasse intervallo seiungimur, multumque temporis praeteribit, donec plena et perfecta reconciliatio fiat ; sciatis tamen vos iam in sinu Nostro esse ; atque misericordiarum Deus haec vota Nostra excipiat atque spem alat tam suavem !

[21] ***1 Cor.* 9, 22.**
[22] **Cfr. *Eph.* 4, 3. 5-6**

Postremum, cogitatio Nostra ad hominum consortionem convertitur, in qua vivimus, quaeque favore, vel neglegentia, vel fortasse hostili animo in nos est affecta : ei salutem iterum dicimus, quam a Bethlehemico specu ipsi iam fecimus, eodem proposito moti operam dandi, ut Ecclesia ad hominum spiritualem salutem civilemque prosperitatem comparandam inserviat, atque adeo ipsi pace veraque felicitate fruantur.

Dum igitur vos omnes compellamus, Venerabiles Fratres, ut Spiritum Paraclitum concordes exoretis, tertiae huius Oecumenici Concilii Vaticani secundi Sessionis initium facimus, atque in nomine Domini, tutela confisi Sanctissimae Virginis Mariae ac Beatorum Apostolorum Petri et Pauli, vobis omnibus Apostolicam Benedictionem peramanter largimur.

II

Ad Excellentissimum Virum Augustinum Munyaneza, a Ruandensi Republica ad Apostolicam Sedem missum liberis cum mandatis primum Legatum, qui Summo Pontifici commissi muneris fidem facientes Litteras tradidit. *

Monsieur l'Ambassadeur,

Nous remercions volontiers Votre Excellence des paroles délicates qu'elle vient de prononcer en Nous remettant les Lettres par lesquelles le Gouvernement du Rwanda l'accréditait auprès de Notre Personne en qualité d'Envoyé Extraordinaire et Ambassadeur Plénipotentiaire.

C'est pour Nous un plaisir véritable d'accueillir ici le premier Ambassadeur d'un Pays qui comporte une communauté catholique très importante par le nombre et la qualité de ses membres. A la suite de Nos Prédécesseurs immédiats, Vous n'ignorez pas quelle attention affectueuse Nous portons aux peuples du Continent africain, dont la majorité a accédé maintenant à l'indépendance politique. C'est là une situation nouvelle et de grande conséquence dans le concert des Nations. L'Eglise catholique, pour sa part, a prévu et favorisé par son action religieuse et sociale cette évolution, si conforme à la nature des choses.

Dans Notre sollicitude pour l'Afrique Nous réservons une place de choix au Rwanda et c'est avec joie que Nous souhaitons la bienvenue à celui qui le représente auprès de Nous. Pous la prospérité de votre Pays, Monsieur l'Ambassadeur, pour le succès de votre haute mission, Nous formons de tout cœur des vœux très chaleureux.

*** Die 15 mensis Septembris a. 1964.**

NUNTIUS RADIOPHONICUS

Christifidelibus Germaniae in urbe Stuttgardia adunatis ad octogesimum Coetum habendum v. d. « Katholikentag ». *

Geliebte Söhne und Töchter des katholischen Deutschland!

Die Katholikentage sind leuchtende Marksteine in der Geschichte des katholischen Deutschland. Wir sind daher gern der Einladung Unseres Ehrwürdigen Bruders, des Oberhirten der Rottenburger Diözese, gefolgt, um im Rahmen dieser feierlichen Stunde ein Wort an euch zu richten.

Vor allem grüssen Wir Unsere Brüder im Bischofsamt, die aus Deutschland und dem Ausland so zahlreich nach Stuttgart gekommen sind, wie auch den gesamten anwesenden Klerus. Ebenso richten Wir Unseren von Herzen kommenden Gruss an die Vertreter der Hohen Bundesregierung wie an die Behörden aus Stadt und Land von Baden-Württemberg.

Endlich grüssen Wir von ganzem Herzen die Hunderttausende von Gläubigen wie all jene, die nur im Geiste dieser erhabenen Feierstunde beiwohnen können.

Unser herzlicher Gruss gilt ebenso den evangelischen Christen Stuttgarts,^ die in so hochherziger Weise ihre Hilfsbereitschaft für diese Tagung bekundet haben, Stuttgart, eine Stadt, die ob ihrer landschaftlichen Schönheit wie ihrer technischen und kulturellen Hochleistungen mit Recht zu den bedeutendsten Städten Deutschlands gezählt wird.

Geliebte Söhne und Töchter!

1) Dieser achtzigste Deutsche Katholikentag steht unter dem Wort der Heiligen Schrift : « Wandelt euch durch ein neuses Denken !

Damit habt ihr diese Versammlung in Zusammenhang gebracht mit der grossen geistigen Erneuerung, die das Zweite Vatikanische Konzil anstrebt. Möge dieser Katholikentag dazu beitragen, wie es Hauptziel des gegenwärtigen Konzils ist, dass die Bitte Christi erfüllt werde, die wir dem himmlischen Vater so oft vorbringen : « Sende aus deinen Geist und alles wird neu geschaffen, und es erneuert sich das Antlitz der

* Die 6 mensis Septembris a. 1964.

[1] *Rom.* 12, 2.

Erde)).[2] Beglückt erfahren wir dabei das Walten dessen, der von sich gesagt hat : « Siehe, ich mache alles nen ».[3] In der Tat, Gott erneuert die heutige Welt durch die gewaltigen Wandlungen, deren Zeugen und Mitträger wir sein dürfen. Wohl ist die Kirche nicht von dieser Welt, aber sie lebt in dieser Welt und hat einen Auftrag an diese Welt. Ihre Glieder auf Erden werden deshalb durch die Veränderungen, die wir zu Beginn eines neuen Zeitalters erleben, zur Besinnung aufgerufen, damit ein jeder die geistige Erneuerung bei sich selbst beginne. Die geistige Erneuerung eines jeden, sein Leben aus Gott, in Gott und für Gott, ist die Grundlage für die geistige Erneuerung der Familie und damit der einzelnen Volksgruppen. Bei aller Anerkennung, die wir den grossen technischen Errungenschaften unseres Zeitalters schulden, wird der aus dem Geiste Christi lebende Mensch sich nicht der Materie ausliefern oder sich von roher Gewalt leiten lassen, sondern sein ganzes Leben wird immer mehr geformt werden von der glühenden Liebe Christi. Durch diese Erneuerung ihrer Glieder aber wird die Kirche Christi in neuem Lichte aufstrahlen.

Diese Erneuerung bewegt sich im Geiste der jahrhundertealten Tradition und steht keineswegs im Gegensatz zu ihr. Johann Adam Möhler, der grosse Theologe eures Landes, sagt mit Recht : « In demselben Augenblick, in dem die Tradition aufhörte, verlöre die Kirche und alles Christentum seine Existenz)).[4] Die vom Konzil angestrebte Erneuerung der Kirche meint ja nicht eine falsche Anpassung an die Welt, vor der uns der Apostel an der gleichen Stelle warnt, an der er uns zur Erneuerung aufruft : « Machet euch dieser Welt nicht gleichförmig !)).[5]

2) Wir leben in einer pluralistischen Welt. Es gibt eine Mehrheit von religiösen Bekenntnissen, jedoch nur einen wahren Glauben. Die religiöse Wahrheit ist etwas Unbedingtes, nicht etwas Relatives. Seien wir Gott demütig dankbar dafür, dass er uns ohne unser Verdienst, fast alle von uns ohne unser Zutun, zum wahren Glauben und zu seiner Kirche berufen hat. Seien wir stolz auf unseren Glauben und unsere Kirche !

3) Habt Vertrauen ! Christus der Herr bleibt in der Kirche gegenwärtig auch in dieser Stunde und ist in ihr wirksam, auch in den gewaltigen

[3] ***Ps.* 103, 30.**

[3] ***Apoc.* 21, 5.**

[4] **J. A. Möhler in *Theol. Quartalschr.* 1828, S. 729.**

[5] ***Rom.* 12. 2.**

Wandlungen, die unsere heutige Welt erschüttern. In seiner ganzen Fülle wird er sich erst in der vollen Offenbarung am Ende der Zeiten erschliessen. Eröffnen wir uns seinem Wort, so wird es uns, wie der heilige Petrus sagt, « eine Leuchte, die in der Finsternis Licht verbreitet, bis der helle Tag anbricht und der Morgenstern aufgeht in unseren Herzen)>.[6]

Das Wort Gottes ist eine Leuchte; es schenkt unserem Leben Kraft und Trost. Wie es letzte Autorität und symbolischer Brennpunkt für die Väter des Ökumenischen Konzils ist, so steht es im Mittelpunkt eurer Beratungen. Ist es doch besonderes Anliegen dieses Katholikentages, dass von der Heiligen Schrift neue Impulse ausgehen zur weiteren Entfaltung der katholischen Bibelarbeit in Deutschland, die in Stuttgart seit langem eine verdienstvolle Heimstatt besitzt. Sie möge beitragen zur Vertiefung der theologischen Studien, zur Erneuerung der kirchlichen Verkündigung und zur Bereicherung des Gottesdienstes. Beitragen auch zur Vertiefung der religiösen Unterweisung eurer Jugend, insbesondere auch für die zur Reife gelangten jungen Menschen. Die Welt der Liturgie ist etwas Erhabenes ! Was bedeutet sie aber, wenn ihre Voraussetzung, der Boden, über dem sie sich wölben soll, das klare, umfassende, überzeugende Wissen um den Glauben fehlt? Wo heute das Wort an die Gläubigen gerichtet wird, hat die Glaubenslehre, die in der Heiligen Schrift grundgelegt ist, den ersten Platz.

Wir wünschen euch allen einen felsenfesten Glauben. Seid betende Menschen ! Pflegt gewissenhaft das gemeinsame Gebet in der Familie ! Habt den Mut, Ehe und Familie aufzubauen nach Gottes Gesetz ! Dann wird Gottes Segen nicht fehlen. Schafft ein Klima, in dem der Ruf Gottes zum Priestertum und Ordensstand gehört und befolgt werden kann. Denkt an eure Ordensgenossenschaften ! Die ihnen gestellten Aufgaben werden immer grösser und die jungen Kräfte immer weniger. Unterstützt den Ruf Gottes !

Euch Priestern aber gilt Unser herzlicher Glückwunsch zu eurem opferfrohen Einsatz. Ihr seid bestrebt, euch den heutigen Lebensformen anzupassen, um eure Mitmenschen nicht abzustossen, sondern sie zu gewinnen. Die Kirche weist dabei die rechten Grenzen, die durch den Grundsatz gesteckt sind, dass der Priester zu jeder Stunde im Dienst des gläubigen Volkes steht. Im Gottesvolk Glaubensbewusstsein, Glaubensfreude, Glaubensmut zu wecken und zu pflegen, dazu rufen Wir

[6] ***2 Petr.* 1, 19.**

euch von Herzen auf. Seid eingedenk, euer Wirken gewinnt den Menschen, wenn es aus dem vertrauten Umgang mit Gott und aus der Liebe zu Christus hervorgeht. Der aus dem Glauben und im Glauben lebende katholische Mensch ist der höchste Wert, den die Kirche zur Schaffung einer neuen Welt beizusteuern vermag.

Möge das Erlebnis des Katholikentages euch allen Ansporn sein, das Ungute zum Guten zu wenden, und das Gute noch besser zu machen ! Als Unterpfand dieses eures Wollens und Vollbringens erteilen Wir euch, insbesondere euren hochverdienten Oberhirten, euren Seelsorgern, euren Familien, euren Gemeinden und Organisationen, nicht zuletzt auch den Tausenden von Gastarbeitern wie den ausländischen Studenten, aus der Fülle des Herzens den Apostolischen Segen.

NUNTIUS SCRIPTO DATUS

Ad **Exc.mum** P. **D. Michaelem Gonzi, Archiepiscopum Melitensem, cum sui iuris esse Melita insula coepisset.**

Saint Luke wrote of the Maltese that « they showed no little kindness » to himself and to the Apostle Paul, and ((they honoured us with many marks of honour, and ... provided us with such things as we needed **A.**[1] Thus, in apostolic times, was the goöd news Of salvation brought to Malta, together with the signs followed, for « ali the sick on the island came and were cured » ;[2] and ever since the Faith has remained alive and active in the hearts of the Maltese people.

After centuries of the most varied vicissitudes, your island now prepares to assume its independence ; and we have designated Our Venerable Brother and Apostolic Delegate, Hyginus E. Cardinale, to represent Us at the officiai célébrations to be held in Malta later this month. We wish thus to testify to Our paternal interest in the island and its people, Our loving concern for their welfare and progress, and Our heartfelt affection for all the Maltese.

At the altar of sacrifice and in prayer, We shall invoke f rom Almighty God ali the grâces of enlightenment and strength necessary

[1] ***Act.* 28, 2, 10.**
[2] ***Ibid.* 9.**

to the Government and people as they initiate independent existence as a new nation. Through the intercession of Onr blessed Mother, We pray that the most cordial relations may prevail between Church and State, that the faithful may show themselves to be loyal and active **Citizens,** ever striving for the greater good of their country, and that the life of independent Malta may be marked by peace, justice and prosperity, in fìrm fidelity to its high Catholic ideáis and traditions. It is in pledge of thèse heavenly blessings that We impart to you, Venerable Brother, to the Most Reverend Bishop of Gozo and the other Members of the Hierachy présent at the célébrations, the clergy, religious and faithful of Malta, Our Apostolic Blessing.

From the Vatican, September 7, 1964.

PAULUS PP. VI

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SS.

SUPREMA SACRA CONGREGATIO S. OFFICII

INSTRUCTIO

De cadaverum crematione

Piam et constantem christianorum consuetudinem fidelium cadavera humandi Ecclesia semper fovere studuit sive ipsam communiendo opportunis ritibus, quibus inhumationis symbolica et religiosa significatio clarior appareret, sive etiam poenas comminando contra eos qui tam salutarem praxim impeterent ; quod praesertim praestitit Ecclesia quoties impugnatio fiebat ex infenso animo adversus christianos mores et ecclesiasticas traditiones ab iis qui, sectario spiritu imbuti, humationi cremationem substituere conabantur in signum violentae negationis christianorum dogmatum, maxime vero mortuorum hominum resurrectionis et humanae animae immortalitatis.

Quod vero propositum, uti patet, erat quid subiective inhaerens animo cremationis fautorum, obiective autem ipsi cremationi non adhaerens; corporis enim incineratio, sicut nec animam attingit nec Dei omnipotentiam impedit a corpore restituendo, ita in se non continet illorum dogmatum obiectivam negationem.

Non ergo agitur de re intrinsece mala vel christianae religioni ex se infensa; quod semper sensit Ecclesia, quippe quae, in quibusdam adiunctis, scilicet quando certo constabat vel constat cadaverum cremationem fieri honesto animo et gravioribus ex causis, praesertim ordinis publici, tunc incinerationi non obstabat nec obstat.

Huiusmodi animi in melius mutatio et rerum adiuncta inhumationi obstantia iam frequentiora his ultimis temporibus et clariora apparent, unde crebrae porriguntur S. Sedi preces ad obtinendam disciplinae ecclesiasticae mitigationem circa cadaverum cremationem, quam constat multoties hodie promoveri, minime ex odio contra Ecclesiam vel christianos mores, sed tantum ob rationes vel hygienicas, vel oeconomicas, vel alius etiam generis sive publici sive privati ordinis.

Quas preces Sancta Mater Ecclesia, spirituali quidem fidelium bono directe intenta, sed aliarum necessitatum non ignara, benigne suscipiendas censet, sequentia statuendo :

1. curandum omnino ut consuetudo fidelium, defunctorum corpora sepeliendi sancte servetur; quapropter, opportunis instructionibus et suasionibus adhibitis, caveant Ordinarii ut populus christianus a cadaverum crematione abstineat, nec recedat, nisi necessitate coactus, ab usu inhumationis, quem Ecclesia semper retinuit et sollemnioribus ritibus consecravit;

2. ne autem difficultates ex hodiernis rerum adiunctis exsurgentes plus aequo augeantur, et ne frequentior oriatur necessitas dispensandi a legibus in hac re vigentibus, consultius visum est aliquatenus mitigare iuris canonici praescripta, quae cremationem tangunt, ita scilicet ut quae statuuntur in can. 1203, par. 2 (de non exequendo mandato cremationis) et in can. 1240, par. 1, n. 5° (de deneganda sepultura ecclesiastica iis qui mandaverint suum corpus cremationi tradi) non iam universaliter urgeantur, sed tunc tantum quando constiterit cremationem electam fuisse ex negatione christianorum dogmatum, vel ex animo sectario, vel ex odio in catholicam religionem et Ecclesiam;

3. inde etiam sequitur, iis qui elegerint proprii cadaveris cremationem, non esse, ex hoc capite, deneganda sacramenta nec publica suffragia, nisi constet ipsos talem electionem fecisse ex supra indicatis rationibus christianae vitae adversis;

4. ne autem pius christifidelium sensus erga ecclesiasticam traditionem detrimentum patiatur et ut Ecclesiae animus a crematione alienus clare pateat, ritus ecclesiasticae sepulturae et subsequentia suffragia numquam fieri poterunt in ipso loco cremationis, ne per modum quidem simplicis comitatus in translatione cadaveris.

Quam Instructionem, ab Emis Patribus rebus fidei et morum tutandis praepositis in plenario conventu diei 8 Maii 1963 recognitam, Ssmus D. N. D. Papa Paulus VI, in Audientia Emo Secretario S. Officii die 5 Iulii eiusdem anni concessa, benigne adprobare dignatus est.

Sebastianus Másala, *Notarius*

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

PROVISIO ECCLESIARUM

Sanctissimus Dominus Noster Paulus Divina Providentia Pp. VI, successivis decretis Sacrae Congregationis Consistorialis, singulas quae sequuntur Ecclesias de novo Pastore dignatus est providere, nimirum :

die 29 Maii 196I¡. — Cathedrali Ecclesiae Fodinensi R. P. D. Edmundum Quaglia, Protonotarium Apostolicum « ad instar », parochum ecclesiae cathedralis et Vicarium Generalem dioecesis Canalopolitanae.

die 4 *Iunii.* — Ecclesiae' Cathedrali Septemlacunensi Exc. P. D. Danielem Tavares Baêta Neves, hactenus Episcopum titularem Alexandrinum minorem.

die 18 Iunii. — Praelaturae « nullius » Borbensi, noviter erectae, R. P. Adrianum J. M. Veigle, sodalem Tertii Ordinis Regularis S. Francisci.

die 22 Iunii. — Titulari archiepiscopali Ecclesiae Gangrensi Exc. P. D. Antonium Ferreira de Macedo, hactenus Episcopum titularem Attudensem, quem constituit Coadiutorem etiam « sedi datum » Emi P. D. Caroli Carmeli S. R. E. Cardinalis de Vasconcellos Motta, Archiepiscopi Apparitiopolitani.

die 17 Iulii. — Titulari episcopali Ecclesiae Acufidensi R. P. D. Ioannem Jenko, Administratorem Apostolicum partis archidioecesis Goritiensis et Gradiscanae in Slovenia exstantis, quem constituit praeterea Administratorem Apostolicum territorii dioecesium Tergestinae et Justinopolitanae ac Fluminensis, quod in memoratam Sloveniam patet.

die 27 Iulii. — Cathedrali Ecclesiae Linensi R. P. Petrum Paulum Koop, sodalem Congregationis Missionariorum Sacratissimi Cordis Iesu.

die If Augusti. — Cathedrali Ecclesiae Florestensi, noviter erectae, R. P. Franciscum Xaverium Nierhoff, sodalem Congregationis Missionariorum a S. Familia.

die 28 Augusti. — Cathedrali Ecclesiae Salfordensi Exc. P. D. Thomam Holland, hactenus Episcopum titularem Étennensem.

— Titulari episcopali Ecclesiae Belesasensi R. D. Gastonem Hains, Canonicum eeelesiae cathedralis S. Hyacinthi, quem deputavit Auxiliarem Excmi P. D. Arturi Douville, Episcopi S. Hyacinthi.

die 5 Septembris. — Titulari episcopali Ecclesiae Macrianensi in Mauritania Exc. P. D. Franciscum F. Reh, hactenus Episcopum Carolopolitanum.

die 8 Septembris. — Titulari episcopali Ecclesiae Mazacensi R. P. D. Renatum Spallanzani, e clero romano, Protonotarium Apostolicum, quem deputavit Auxiliarem Excmi P. D. Adalgisi Albanesi, Archiepiscopi-Episcopi Viterbensis et Tuscanensis.

die 15 Septembris. — Metropolitanae Ecclesiae Oolocensi Exc. P. D. Andream Hamvás, hactenus Episcopum Csanadiensem.

— Titulari episcopali Ecclesiae Rotariensi R. P. D. Paulum Brezanóczy, Antistitem Urbanum, Administratorem Apostolicum archidioecesis Agriensis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Melzitanae R. D. Iosephum Cserháti, e clero dioecesis Quinque Ecclesiensis, quem constituit Administratorem Apostolicum dioecesis Quinque Ecclesiensis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Tagaratensi R. P. D. Iosephum Ijjas, Antistitem Urbanum, curionem in civitate vulgo « Baja », archidioecesis Oolocensis, quem constituit Administratorem Apostolicum Ecclesiae Csanadiensis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Materianensi R. D. Iosephum Bank, e clero archidioecesis Strigoniensis, quem deputavit Auxiliarem Excmi P. D. Colomanni Papp, Episcopi Jaurinensis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Dadimensi R. D. Iosephum Winkler, e clero dioecesis Sabariensis, quem deputavit Auxiliarem Excmi P. D. Alexandri Kovács, Episcopi eiusdem dioecesis.

SACRA CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

LYDENBURGENSIS

DECRETUM

De commutatione nominis dioecesis

Cum Excmus ac Revmus Dominus Antonius Réitérer, Episcopus Lydenburgensis, petiisset ut praesens denominatio dioecesis Lydenburgensis ita permutaretur ut deinde *Lydenburgensis-Witbankensis* nuncupantur, Sacra haec Congregatio, re mature perpensa, acceptoque

favorabili voto Excmi ac Revmi Domini Ioseph McGeough, Archiepiscopi tit. Hemeseni et Apostolici in Africa Meridionali Delegati, optatis praelaudati Episcopi inhaerendum censuit.

Itaque eadem Sacra Congregatio, vigore facultatum sibi a Ssmo Domino nostro Paulo Divina Providentia Papa VI concessarum, supramemoratam propositionem adprobavit ac praesens in re Decretum confici iussit.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, die 13 mensis Septembris a. D. 1964.

G. P. Card. **AGAGIANIAN**, *Praefectus*

L. © S.

f Petrus Sigismondi, Archiep. tit. Neapolit. in Pisidia, *a Secretis*

SACRA CONGREGATIO RITUUM

i

BRIXIEN.

Beatificationis et canonizationis Servi Dei Ioannis Baptistae Piamarta, sacerdotis, fundatoris Congregationum S. Familiae a Nazareth et Humilium Domini Ancillarum.

SUPER DUBIO

An signanda sit Commissio introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur.

Virens Ecclesiae Christi arbor, cuius in ramis caeli habitant volucres (cfr. *Mt.* 13, 32) nova in dies virgulta procréât temporum necessitatibus accommodata. Nostra quoque aetate, cum opificum et operariorum continuo crescat in socialibus necessitudinibus rebusque politicis momentum, Divinae fuit Providentiae consilium viros iam antea excitare eximios, qui religiosa Instituta iuvenibus puellisque opificibus a vitiis arcendis, virtutibus christianis imbuendis, variisque artibus excolendis conderent.

Hos inter praeclaros viros iure meritoque recensendus est Servus Dei Ioannes Baptista Piamarta.

Ipse natus est Brixiae, humili quidem loco, die 26 mensis Novembris anno 1841, postridie autem sacro est renatus fonte. Matre religiosissima orbatus, quae vera educatrix fuerat, nonum agens annum, avunculum nactus est praeceptorem. Postea vero, primis litterarum ludis absolutis, tiro acceptus est a culcitario quodam. Interim in oppido cui nomen *Vallio,* quo feriarum causa se contulerat, consuetudinem inivit cum R. D. Pancratio Pezzana eiusdem loci parocho, qui, bona iuvenis indole percitus, ut in dioecesanum Seminarium cooptaretur suis sumptibus curavit. Inibi autem pietate, sollertia acrique voluntate adeo emicuit, ut ad sacros Ordines aditum sibi comparare potuerit, ac tandem die 23 Decembris anno 1865 sacerdotio auctus sit. Ministerii sui primitias in paroecia loci *(Jarzago Riviera* ut vicarius cooperator obtulit ; postea vero, tres circiter post annos, parocho ecclesiae v. *Bedizzole,* ubi eximia pastoralis sollicitudinis specimina praebuit.

Anno 1870 Brixiam se contulit, et tredecim annos in paroecia S. Alexandri pari studio muneribus Directoris Oratorii Praefectique Sacrarii operam navavit. Non aliter se gessit cum, annis 1883-1887, paroeciam rexit vici quem dicunt *Pavone Mella,* ubi et abusus exstirpavit et piis associationibus novum attulit incrementum. Eodem autem tempore sacrae Paenitentiae administrum cum in Seminario tum in religiosis domibus sollerter egit. Neque suam denegavit operam losephinae Bosio in condenda et dirigenda sodalitate Adoratrieum S. Cordis in paroecia S. Afrae.

Sed Dei Famulus praecipuas curas impendit pro pauperum iuvenum christiana institutione, ad quam firmius assequendam parochi munere, de Episcopi consensu, abdicato, Revmi domini Petri Capretti, Brixiensis Seminarii rectoris, libentissime excepit consilium et adiutorium et Collegium pro pusionibus operariis condidit.

Novae huius fundationis exordia perardua sane fuere atque difficultatibus plena ; sed Dei Servus, tenaci qua pollebat voluntate atque inconcussa in Deum fiducia, sese ex impedimentis ac negotiis omnibus feliciter expedire valuit. Ne autem huic operi assiduum deesset munimen, socios sibi adscivit eosque in Piam Unionem cooptavit, quae paulatim in religiosam Congregationem a Sacra Familia de Nazareth nuncupatam excrevit. Neque id satis ; nam, sacerdote Ioanne Bonsignori valide cooperante, Coloniam seu Scholam Agricolam in pago *Remedello,* in qua iuvenes praeter moralem ac religiosam, agrariam quoque institutionem susci-

perent, condidit. Itemque, piissima vidua Elisa Baldo adiuvante, in pago *Gavardo* Sodalitatem Pauperum Ancillarum a Sacra Familia, quae deinceps dictae sunt Humiles Domini Ancillae, ut pusionum operariorum Instituto praesertim operam praestarent, fundavit.

Summo cum emolumento civilis societatis ea omnia a Dei Famulo agebantur. Quod in eius obitu ipsi Ecclesiae adversarii agnoverunt, dicentes : « *8i può dire che quasi tutti gli operai Ai Brescia sono passati per il suo Istituto* ». Reverentiam et in ipsos religionis osores Servus Dei magnam indebat.

Tantae molis opus tantaeque religionis rabiem excitabat hostis humani generis, qui plurimas contra Dei Famulum exercuit pugnas, ut ab incepto amoveret.

Iam a secundo Instituti anno res peritura videbatur ita, ut Episcopus accersitum Dei Servum ab incepto desistere moneret. Cui fortissime iste : ((*No, Eccellenza, morirò qui coi miei giovanetti!* ». Unde commotus Episcopus ei benedixit dicens : ((*Dio vi assista ».*

At innumera alia obstacula, impedimenta, amaritudines, vexationes, sive ex odio religionis exorta, sive ex aequivocationibus, ex timoribus, ex negotiis, superanda habuit. Unde saepius suis dicebat Servus Dei : *« ... che se V opera si fosse basata su mezzi umani, sarebbe certamente fallita. Diceva anche che fino allora gli aveva riservato un cumulo di amarezze; insisteva perchè si riponesse tutta la fiducia in Dio, dopo aver fatto tutto da parte nostra ».*

Neque sui Instituti moderationi tantum et Congregationis fundationi vacabat Dei Famulus. Ardens enim regni Dei dilatandi desiderio, gloriam Dei augere omni sui sacerdotalis ministerii ope satagebat. Quapropter in audiendis fidelium confessionibus indefessus erat, exquisitus a multis christianae perfectionis sectatoribus, vel pro infirmis ac moribundis adiuvandis et obstinatis convertendis peccatoribus. In ministrando Dei verbo persollicitus atque ferventissimus erat. Alacriter in sui mortificationem intendebat, modico sibi concesso et somno et cibo. Orationi instabat assidue, longas protrahens caritatis moras coram Iesu, eucharistico velo delitescente, atque Deipara Virgine. In laudibus Deo persolvendis meditate et ferventer orabat. Qua erat prudentia praeditus, saepe ab Episcopo ad sedanda plebis dissidia solvendasque intricatas controversias pacemque paroeciis restituendam mittebatur. Virtutum quoque et suis et exteris exemplar elucebat, de die in diem ad perfectionis culmen ascendens, ita ut heroem illum fama acclamet.

Tandem, die 25 mensis Aprilis Servus Dei anno 1913, paralysi cor-

reptus, in rurali colonia apud vicum *Remedello,* Ecclesiae Sacramentis rite susceptis, pie obdormivit in Domino.

Fama sanctitatis in dies aucta, de Beatorum Caelitum honoribus eidem decernendis causa agi coepta est. Instructi itaque sunt ordinarii, qui dicuntur, processus in ecclesiastica Brixiensi Curia, iique absoluti ad Sacram Rituum Congregationem delati sunt. Interim plurimae litterae Cardinalium, sacrorumque Antistitum, Ordinum ac Congregationum religiosorum religiosarumque Moderatorum, atque virorum tam ecclesiastica quam civili auctoritate insignium, ad Romanum Pontificem pervenerunt, Famuli Dei sanctitatem extollentes causaeque beatificationis introductionem enixe postulantes.

Servatis itaque omnibus de iure servandis, Sacra Rituum Congregatio, scriptis Servi Dei rite perpensis, nihil obstare Decreto diei 2 Aprilis anno 1954 edixit quominus ad ulteriora in hac causa procedi posset.

Quapropter, instante Revmo P. Iosepho Baccoli, sedulissimo Congregationis S. Familiae a Nazareth Postulatore Generali, Emus ac Revmus Dominus Arcadius M. Cardinalis Larraona, Sacrae Rituum Congregationis Praefectus Causaeque huius Ponens seu Relator, in Ordinario Particulari Coetu eiusdem Sacrae Congregationis die 26 mensis Martii anno 1963 ad Vaticanas aedes celebrato, sequens dubium discutiendum proposuit : *An signanda sit Commissio introductionis Causae, in casu et ad effectum de quo agitur.* Et Emi ac Revmi Patres, sacris ritibus tuendis praepositi, post ipsius Cardinalis Ponentis relationem, auditis quoque Ofiicialium" Praelatorum, praesertim R. P. Ferdinand! Antonelli O. F. M., Fidei Promotoris Generalis, suffragiis, rescribere censuerunt : *Affirmative,* seu *signandam esse Commissionem, si Sanctissimo placuerit.*

Facta demum, die 29 Martii anno 1963, de his omnibus Sanctissimo Domino nostro Ioanni Papae XXIII per infrascriptum Cardinalem fideli relatione, Sanctitas Sua rescriptum Sacrae Rituum Congregationis ratum habuit et confirmavit, atque *Commissionem introductionis Causae Servi Dei Ioannis Baptistae Piamarta propria manu signare benigne dignata est.*

Datum Romae, die 29 Martii a. D. 1963.

ARCADIUS M. Card. LARRAONA, *Praefectus*

L. © S.

f Henricus Dante, Archiep. tit. Carpasien., *a Secretis*

II

VERULANA

Beatificationis et canonizationis Servae Dei Mariae Fortunatae Viti, monialis professae Ordinis S. Benedicti.

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate cum in Deum tum in proximum, nec non de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine earumque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

Umbratilem vitam absconditam cum Christo in Deo intra saepta monasterii ducere, in paupertate, in humili servili statu, mundi oblectamenta omnino despicere ac Deum unice quaerere in simplicitate cordis, hilari animo adversa omnia superare, mirifica haec est illa sanctitatis celsitudo quam innumeri Dei Famuli consequi fortiter adlaborarunt. *Tota enim sapientiae disciplina,* scribit sanctus Leo Papa (Sermo 37 ad Epiph., 7) *non in abundantia verbi, non in astutia disputandi, neque in appetitu laudis et gloriae, sed in vera et voluntaria humilitate consistit, quam Dominus noster Iesus Christus ab utero Matris pro omni fortitudine et elegit et docuit.* Haec inquam est illa genuina virtutum ratio quam homines, saeculi delirationibus oppressi, nimio sui amore impulsi, insanis voluptatibus agitati, divitiarum cupidi, contemnere solent. Solacium contra est ingens oculos et animum ad personas a Deo excitatas vertere ut mortales edoceant, sublimium virtutum exempla praebeant, Divini Salvatoris vestigia prementes, quo, in candelabro positae, omnibus luceant et salutis viam ostendant.

In recentioribus exemplis, quae ceterum nullo umquam saeculo defuerunt, adnumeranda sane est humilis divi Benedicti assecla, quae in quaerendo Iesu Christi beneplacito longaevam suam vitam transegit.

Maria Fortunata Viti Verulis, die 10 Februarii anno 1827, nata est ex Aloisio et Anna Bono, parentibus non opulentia, sat vero fortunae bonis gaudentibus. Quadriduo post, sacri Baptismi undis est abluta, nominibus receptis Annae Felicis. Quinquennis, die 11 Iunii anno 1832, sacro fuit chrismate illita.

VI. *De competenti auctoritate in re liturgica* (ad Const. art. 22)

20. Sacrae Liturgiae moderatio ad Ecclesiae auctoritatem pertinet ; nemo proinde alius in hac re suo marte procedat, cum detrimento, saepius, ipsius Liturgiae eiusque instaurationis a competenti auctoritate peragendae.

21. Apostolicae Sedis est tum libros liturgicos generales instaurare atque approbare, tum sacram Liturgiam in iis quae universam Ecclesiam respiciunt ordinare, tum Acta et deliberationes auctoritatis territorialis probare seu confirmare, tum eiusdem auctoritatis territorialis propositiones et petitiones accipere.

22. Episcopi est Liturgiam intra fines suae dioeceseos, iuxta normas et spiritum Constitutionis de sacra Liturgia, necnon decretorum Apostolicae Sedis et competentis auctoritatis territorialis, moderari.

23. Varii generis territoriales coetus Episcoporum, ad quos moderatio rei liturgicae, vi art. 22 § 2 Constitutionis, pertinet, *interim* intellegi debent :

a) vel coetus omnium Episcoporum alicuius nationis, ad normam Litt. Apost. *Sacram Liturgiam,* n. X;

b) vel coetus iam legitime constitutus ex Episcopis, aut ex Episcopis aliisque locorum Ordinariis, plurium nationum constans;

c) vel coetus, de licentia Apostolicae Sedis, constituendus ex Episcopis aut ex Episcopis aliisque locorum Ordinariis plurium nationum, praesertim si in singulis nationibus Episcopi tam paini sunt, ut aptius simul conveniant ex variis nationibus eiusdem sermonis eiusdemque cultus civilis.

Si vero peculiares locorum condiciones aliud suadeant, res Aposto licae Sedi proponatur.

24. Ad praedictos vero coetus vocari debent :

a) Episcopi residentiales ;

b) Abbates et Praelati nullius ;

c) Vicarii et Praefecti Apostolici;

d) Administratores Apostolici dioecesium stabiliter constituti ;

e) ceteri omnes locorum Ordinarii, Vicariis Generalibus exceptis.

Episcopi Coadiutores et Auxiliares vocari possunt a Praeside, cura

consensu maioris partis illorum qui cum voto deliberativo coetui intersunt.

25. Coetus convocatio, nisi pro quibusdam locis et attentis peculiaribus rerum adiunctis aliter legitime provideatur, fieri debet :

a) a respectivo Praeside, si agitur de coetibus iam legitime constitutis;

b) ab Archiepiscopo vel Episcopo cui legitime competit ius praecedentiae ad normam iuris, in aliis casibus.

26. Praeses, habito Patrum consensu, statuit ordinem servandum in quaestionibus examinandis, et ipsum coetum aperit, transfert, prorogai, absolvit.

27. Suffragium deliberativum competit omnibus de quibus in n. 24, Episcopis Coadiutoribus et Auxiliaribus minime exceptis, nisi aliud in convocationis documento expresse caveatur.

28. Ad legitima ferenda decreta, duae ex tribus suffragiorum secretorum partes requiruntur.

29. Acta competentis auctoritatis territorialis ad Apostolicam Sedem transmittenda, ut ab hac probentur seu confirmentur, ea quae sequuntur contineant oportet :

a) nomina eorum qui coetui interfuerunt;

ô) relationem de rebus actis;

c) exitum suffragationis pro singulis decretis.

Haec Acta, duplici exemplari exarata, a Praeside et Secretario coetus subscripta et sigillo debite munita, mittantur Consilio ad exsequendam Constitutionem de sacra Liturgia.

30. Cum vero agitur de Actis in quibus decreta habentur circa, usum et modum linguae vernaculae in Liturgia admittendae, praeter ea quae numero praecedenti recensentur, iuxta art. 36 § 3 Constitutionis et Litt. Apost. *Sacram Liturgiam,* n. IX, contineant oportet etiam :

a) indicationem singularum partium, (piae in Liturgia lingua vernacula dici statuuntur ;

b) textuum liturgicorum lingua vernacula exaratorum duplex exemplar, quorum alterum coetui Episcoporum restituetur ;

c) brevem relationem circa criteria, quibus interpretationis opus innixum est.

31. Decreta auctoritatis territorialis quae Apostolicae Sedis probatione seu confirmatione indigent, tunc tantum promulgentur et in praxim deducantur cum ab Apostolica Sede probata seu confirmata fuerint.

VII. *De singulorum officio in Liturgia servando* (ad Const. art. 28)

32. Partes quae ad scholam et ad populum spectant, si ab ipsis ea* nuntur aut recitantur, a celebrante privatim non dicuntur.

33. Item a celebrante privatim non dicuntur lectiones quae a competenti ministro vel a ministrante leguntur aut canuntur.

VIII. *De acceptione personarum non habenda* (ad Const. art. 32)

34. Singuli Episcopi, aut si opportune videtur, Conferentiae Episcoporum regionales vel nationales, curent ut praescriptum sacrosancti Concilii, quo vetatur acceptio privatarum personarum aut condicionum socialium, sive in caeremoniis sive in exterioribus pompis, in suis territoriis in praxim adducatur.

35. De cetero ne omittant pastores cum prudentia et caritate adlaborare ut in actionibus liturgicis, et peculiari ratione in Missae celebratione et in Sacramentorum et Sacramentalium administratione, aequalitas fidelium etiam exterius eniteat ac praeterea omnis species quaestus vitetur.

IX. *De nonnullis ritibus ad simpliciorem formam reducendis* (ad Const. art. 34)

30. Ut actiones liturgicae nobili illa simplicitate fulgeant, quae nostrae aetatis menti aptius respondet :

a) chori salutationes ex parte celebrantis et ministrorum fiant tantum in initio et in fine actionis sacrae;

b) cleri thurificatio, praeterquam eorum qui charactere episcopali sunt insignes, fiat per modum unius, ad singulas chori partes, triplici ductu ;

c) altaris vero thurificatio unice ad altare perficiatur, ad quod actio liturgica celebratur;

d) oscula manus et rerum, quae porrigantur aut accipiuntur, omittantur.

X. *De sacris verbi Dei celebrationibus* (ad Const. art. 35, 4)

37. In locis (piae sacerdote carent, si nulla copia est Missam celebrandi diebus dominicis et festis de praecepto, sacra verbi Dei celebra-

tio, de iudicio Ordinarii loci, foveatur, diacono vel etiam laico ad hoc deputato ei praesidente.

Eatio huius celebrationis eadem fere sit ac ratio liturgiae verbi in Missa : lingua vernacula legantur generatim Epistola et Evangelium e Missa diei, cantibus, praesertim e psalmis, praemissis et interiectis ; is qui praeest, si est diaconus, homiliam habeat, vel, si non est diaconus, homiliam legat ab Episcopo vel a parocho significatam; et universa celebratio « oratione communi » seu « fidelium » et oratione dominica claudatur.

38. Convenit ut etiam sacrae verbi Dei celebrationes, in sollemniorum festorum pervigiliis, in aliquibus feriis Adventus et Quadragesimae, atque dominicis et diebus festis fovendae, rationem liturgiae verbi in Missa prae se ferant, quamvis nihil impediat quominus una tantum lectio fiat.

In pluribus autem lectionibus disponendis, ita ut etiam historia salutis clare perspiciatur, lectio Veteris Testamenti generatim lectionem Novi Testamenti praecedat, et lectio sancti Evangelii quasi culmen efficiatur.

39. Ut hae celebrationes digne pieque fiant, curae sit Commissionibus liturgicis in singulis dioecesibus apta subsidia indicare et praebere.

XI. *De popularibus textuum liturgicorum interpretationibus* (ad Const. art. 36 § 3)

40. In interpretationibus popularibus textuum liturgicorum exarandis ad normam art. 36 § 3, expedit ut haec serventur :

a) Populares textuum liturgicorum interpretationes fiant e textu liturgico latino. Pericoparum autem biblicarum versio eidem textui liturgico latino conformis sit oportet, integra manente facultate illam ipsam versionem, si expediat, iuxta textum primigenium vel aliam versionem magis perspicuam recognoscendi.

b) Praeparatio interpretationis textuum liturgicorum speciali modo Commissioni liturgicae, de qua in art. 44 Constitutionis et in n. 44 huius Instructionis, mandetur, cui, quantum fieri potest, opem ferat Institutum liturgiae pastoralis. Si vero eiusmodi Commissio non habetur, cura interpretationis faciendae duobus vel tribus Episcopis committatur, qui sibi personas, laicis non exceptis, in re biblica, liturgica, linguis biblicis et lingua latina, lingua vernacula necnon arte musica

peritas eligant : perfecta enim textuum liturgicorum interpretatio popu laris multis condicionibus simul apte respondeat necesse est.

c) Consilium de interpretationibus ineatur, si casus fert, cum Episcopis finitimarum regionum eiusdem linguae.

d) In nationibus plurium linguarum interpretationes populares singulis linguis respondentes conficiantur et peculiari examini Episcoporum quorum interest subiciantur.

e) Consulatur dignitati librorum ex quibus textus liturgicus populo lingua vernacula legitur, ut ipsius libri dignitas fideles ad maiorem verbi Dei et rerum sacrarum reverentiam excitet.

41. In actionibus liturgicis quae concurrente populo alius linguae alicubi, praesertim adstante coetu emigrantium, paroeciae personalis hisque similium, celebrantur, adhibere licet, de consensu Ordinarii loci, linguam vernaculam iis fidelibus notam, iuxta modum et versionem a competenti auctoritate ecclesiastica territoriali illius linguae legitime approbata.

42. Novae melodiae pro partibus lingua vernacula a celebrante et a ministris canendis, a competenti auctoritate ecclesiastica territoriali approbari debent.

43. Libri liturgici particulares rite approbati ante promulgationem Constitutionis de sacra Liturgia, atque indulta usque ad eundem diem concessa, nisi Constitutioni adversentur, vim suam retinent, donec, instauratione liturgica, ex parte vel ex toto, perfecta, aliter statuatur.

XII. *De Commissione liturgica penes coetum Episcoporum* (ad Const. art. 44)

44. Commissio liturgica, ab auctoritate territoriali opportune instituenda, ex ipso Episcoporum gremio, quantum fieri potest, eligatur; aut saltem ex uno alterove Episcopo constet, nonnullis additis sacerdotibus in re liturgica et pastorali peritis, nominatim ad hoc designatis.

Expedit ut huius Commissionis sodales aliquoties in anno cum eiusdem Commissionis consultoribus conveniant ad quaestiones simul pertractandas.

45. Cui Commissioni auctoritas territorialis opportune committere potest :

a) studia atque experimenta, ad normam art. 40, 1) et 2) Constitutionis, promovenda;

ö) practica incepta in universo territorio provehenda, quibus res liturgica et applicatio Constitutionis de sacra Liturgia foveatur ;

c) studia et subsidia praeparanda quae ex decretis coetus plenarii Episcoporum necessaria fiunt;

d) munus actionem liturgicam pastoralem in universa dicione moderandi, applicationi decretorum ipsius coetus plenarii invigilandi, et de his omnibus ad ipsum coetum referendi;

e) consilia saepe conferenda atque incepta communia promovenda cum sodalitatibus quae in eadem regione rem biblicam, catecheticam, pastoralem, musicam et artem sacram curant itemque cum sodalitatibus religiosis laicorum omnis generis.

46. Instituti liturgiae pastoralis membra necnon singuli periti qui in adiutorium Commissionis liturgicae vocantur, ne renuant etiam singulis Episcopis opem libenter ferre, ad actionem liturgicam pastoralem in ipsorum territorio efficacius promovendam.

XIII. *De Commissione liturgica dioecesana* (ad Const. art. 45)

47. Commissionis liturgicae dioecesanae, moderante Episcopo, est :

a) statum actionis pastoralis liturgicae in dioecesi cognoscere;

d) accurate persequi ea quae in re liturgica a competenti auctoritate proposita sunt, necnon perspecta habere studia et incepta quae alibi in hoc campo fiunt ;

c) incepta practica omnis generis, quae ad rem liturgicam provehendam conferre possint, suggerere et promovere, praesertim ad sacerdotes iam in vinea Domini operantes adiuvandos quod spectat;

d) in singulis casibus, aut etiam pro universa dioecesi, suggerere opportunos et progressivus ordines laboris pastoralis liturgici ; idoneos viros, qui in hac re sacerdotes, data occasione, iuvare possint, indicare aut etiam vocare, et apta instrumenta atque subsidia proponere ;

e) curare ut in dioecesi incepta ad rem liturgicam provehendam concordi animo et mutuo adiutorio cum aliis sodalitatibus progrediantur, simili quadam ratione ei quae de Commissione penes coetum Episcoporum instituta dicta, est (n. 45 *e).*

CAPUT II

DE SACROSANCTO EUCHARISTIAE MYSTERIO

I. *De Ordine Missae* (ad Const. art. 50)

48. Donec integer Ordo Missae instauratus fuerit, haec iam serventur :

a) Partes Proprii, quae a schola vel a populo canuntur aut recitantur, a celebrante privatim non dicuntur.

ö) Partes Ordinarii celebrans potest una cum populo vel schola cantare vel recitare.

c) In precibus ad pedem altaris faciendis, initio Missae, psalmus 42 omittitur. Omnes autem preces ad pedem altaris omittuntur, quoties alia actio liturgica immediate praecessit.

d) In Missa sollemni, patena a subdiacono non tenetur, sed super altare relinquitur.

e) Oratio secreta, seu super oblata, in Missis in cantu cantetur, in aliis elata voce dicatur.

/) Doxologia in fine Canonis a verbis *Per ipsum* usque ad *Per omnia saecula saeculorum.* RJ. *Amen* inclusive, cantetur aut elata voce dicatur. Per totam autem doxologiam celebrans calicem cum hostia parum elevatum tenet, omissis signis crucis et, in fine, genuflectit solum post responsum *Amen* a populo datum.

g) Pater noster, in Missis lectis, a populo una eum celebrante recitari potest lingua vernacula; in Missis autem in cantu a populo una cum celebrante cani potest lingua latina, et, si auctoritas ecclesiastica territorialis id decreverit, etiam lingua vernacula, melodiis ab eadem auctoritate approbatis.

h) Embolismáis post orationem dominicam cantetur aut elata voce dicatur.

i) In distribuenda sacra Communione adhibeatur formula *Corpus Christi.* Celebrans, haec verba proferens, hostiam parum elevatam supra pyxidem communicanti ostendit, qui respondet : *Amen,* et postea a celebrante, omisso signo crucis cum hostia, communicatur.

;) Ultimum Evangelium omittitur ; preces Leonianae supprimuntur.

h) Licet Missam cum solo diacono in cantu celebrare.

/) Licet Episcopis, pro necessitate, Missam in cantu more pre sbyteronun celebrare.

II. *De Lectionibus et cantibus inter Lectiones* (ad Const. art. 51)

49. In Missis cum populo celebratis, Lectiones, Epistola et Evangeli um versus populum legantur vel cantentur :

a) in Missa sollemni, in ambone aut ad cancellos;

b) in Missa cantata et in Missa lecta, si a celebrante leguntur aut canuntur, sive ex altari sive in ambone sive ad cancellos, prout magis opportunum fuerit; si vero ab alio leguntur aut canuntur, in ambone vel ad cancellos.

50. In Missis non sollemnibus cum populo celebratis, Lectiones et Epistola, una cum cantibus inter ipsas occurrentibus, a lectore idoneo seu ministrante legi possunt, celebrante sedente et auscultante; Evangelium autem a diacono vel ab aliquo sacerdote legi potest, qui dicit *Munda cor meum,* benedictionem petit et, in fine, librum Evangeliorum celebranti deosculandum praebet.

51. In Missis in cantu, Lectiones, Epistola et Evangelium, si lingua vernacula proferuntur, sine cantu legi possunt.

52. In legendis vel cantandis Lectionibus, Epistola, cantibus post ipsas occurrentibus, et Evangelio, sic proceditur :

a) In Missa sollemni, celebrans Lectiones et Epistolam, necnon cantus inter ipsas occurrentes sedens auscultât. Epistola cantata aut lecta, subdiaconus se confert ad celebrantem et ab eo benedicitur. Deinde celebrans sedens incensum imponit et benedicit, et dum cantatur *Alleluia cum* suo versu, vel circa finem aliorum cantuum post Epistolam, surgit diaconum benedicturus, et ad sedem Evangelium auscultât, librum Evangeliorum osculatur et, post homiliam, symbolum intonat, si dicendum sit ; symbolo autem expleto, cum ministris ad altare revertitur, nisi orationem fidelium moderetur.

b) In Missis cantatis aut lectis, in quibus Lectiones, Epistola, cantus post ipsas occurrentes et Evangelium a ministro, de quo in n. 50, canuntur aut leguntur, celebrans modo supra exposito se gerit.

e) In Missis cantatis aut lectis, in quibus Evangelium a celebrante cantatur aut legitur, ipse celebrans, dum cantatur aut legitur *Alleluia* cum suo versu, vel circa finem aliorum cantuum post Epistolam, accedit ante infimum gradum altaris, ibique profunde inclinatus dicit *Munda cor meum* ac deinde pergit ad ambonem vel ad cancellos ad Evangelium canfandum vel legendum.

d) Si vero in Missa cantata aut lecta omnes lectiones ab ipso celebrante in ambone aut ad cancellos canuntur aut leguntur, ipse celebrans ibidem stans etiam cantus post Lectiones et Epistolam occurrentes, si necesse sit, legit; *Munda cor meam* dicit ad altare conversus.

III. *De homilia* (ad Const. art. 52)

53. Homilia diebus dominicis et festis de praecepto habeatur in omnibus Missis, quae concurrente populo celebrantur, Missis conventualibus, in cantu atque pontificalibus minime exceptis.

Diebus vero non festis, homilia commendatur praesertim in quibusdam feriis Adventus et Quadragesimae necnon in aliis occasionibus in quibus populus frequentior ad ecclesiam convenit.

54. Nomine homiliae ex textu sacro faciendae intellegitur explicatio aut alicuius aspectus lectionum Sacrae Scripturae aut alterius textus ex Ordinario vel Proprio Missae diei, ratione habita sive mysterii quod celebratur sive peculiarium necessitatum auditorum.

55. Si schemata praedicationis intra Missam habendae pro aliquibus temporibus proponuntur, intimus nexus cum praecipuis saltem temporibus et festis anni liturgici (cfr. Const. art. 102-104) seu cum mysterio Redemptionis harmonice servandus est; homilia enim est pars Liturgiae diei.

IV. *De oratione communi seu fidelium* (ad Const. art. 53)

.56. In locis ubi iam viget consuetudo faciendi orationem com munera seu fidelium, ante Offertorium, dicto *Oremus,* fiat interim iuxta formulas in singulis regionibus exstantes ; quam celebrans aut ad sedem, aut ex altari aut in ambone vel ad cancellos moderetur.

Intentiones seu deprecationes a diacono vel a cantore vel ab alio idoneo ministrante cani possunt, servatis tamen celebranti verbis introductionis atque oratione conclusiva, quae de more erit oratio : *Deus, refugium nostrum et virtus* (cfr. *Missale romanum,* Orationes diversae, n. 20), aut alia peculiari necessitati magis respondens.

In locis autem ubi orationis communis seu fidelium usus non habetur, competens auctoritas territorialis decernere potest ut fiat, modo supra indicato, formulis interini ab ipsa approbatis.

V. *De parte quae linguae vernaculae in Missa tribui potest* (ad Const. art. 54)

57. In Missis sive in cantu sive lectis, quae cum populo celebrantur, competens auctoritas ecclesiastica territorialis linguam vernaculam admittere potest, actis ab Apostolica Sede probatis seu confirmatis :

a) praesertim in proferendis Lectionibus, Epistola et Evangelio, necnon in oratione communi seu fidelium ;

b) pro condicione autem locorum, etiam in cantibus Ordinarii Missae, nempe : *Kyrie, Gloria, Credo, Sanctus-Benedictus* et *Agnus Dei,* et in antiphonis ad introitimi, ad offertorium et ad communionem, necnon in cantibus inter lectiones occurrentibus ;

c) insuper in acclamationibus, salutationibus et formulis dialogi, in formulis : *Ecce Agnus Dei; Domine, non sum dignus* et *Corpus Christi* in communione fidelium, et in oratione dominica cum sua admonitione et embolismo.

Missalia tamen, quae usui liturgico inserviunt, praeter interpretationem vernaculam, etiam textum latinum contineant oportet.

58. Solius Apostolicae Sedis est linguam vernaculam concedere in aliis partibus Missae, quae a solo celebrante canuntur aut dicuntur.

59. Sedulo curent animarum pastores ut christifideles, maxime vero sodales religiosarum societatum laicorum, etiam lingua latina partes Ordinarii Missae, quae ad ipsos spectant, simul dicere vel cantare sciant, praesertim adhibitis modis simplicioribus.

VI. *De facultate Communionem eodem die iterandi* (ad Const. art. 55)

GO. Fideles qui in Missa Vigiliae paschalis et in Missa in nocte Nativitatis Domini communicaverint, iterum ad communionem accedere possunt in secunda Missa Paschatis et in una ex Missis (piae die Nativitatis Domini celebrantur.

CAPUT III

DE CETERIS SACRAMENTIS ET DE SACRAMENTALIBUS

I. *De parte quae linguae vernaculae tribui potest* (ad Const. art. 63)

61. Competens auctoritas territorialis linguam vernaculam admittere potest, actis ab Apostolica Sede probatis seu confirmatis :

a) in ritibus Baptismi, Confirmationis, Paenitentiae, Unctionis infirmorum et Matrimonii, formula essentiali minime excepta; necnon in distribuenda sacra Communione;

b) in collatione Ordinum : in allocutionibus initio cuiusque Ordinationis seu Consecrationis, et etiam in examine electi in Consecratione Episcopali, necnon in admonitionibus ;

c) in Sacramentalibus;

d) in exsequiis.

Sicubi tamen amplior usus linguae vernaculae opportunus esse videatur, servetur praescriptum art. 40 Constitutionis.

II. *De omittendis in Ordine supplendi omissa super baptizatum* (ad Const. art. 69)

62. In Ordine supplendi omissa super infantem baptizatum, qui legitur in Rituali romano, tit. II, cap. 5, omittantur exorcismi qui inveniuntur sub nn. 6 *(Exi ab eo),* 10 *(Exorcizo te, immunde spiritus • Ergo, maledicte diabole)* et sub n. 15 *(Exorcizo te, omnis spiritus).*

63. In Ordine supplendi omissa super adultum baptizatum, qui legitur in Rituali romano, tit. II, cap. 6, omittantur exorcismi qui inveniuntur sub nn. 5 *(Exi ab eo),* 15 *(Ergo, maledicte diabole),* 17 *(Audi,' maledicte satana),* 19 *(Exorcizo te - Ergo, maledicte diabole),* 21 *(Ergo, maledicte diabole),* 23 *(Ergo, maledicte diabole),* 25 *(Exorcizo te - Ergo, maledicte diabole),* 31 *(Nec te latet)* et 35 *(Exi, immunde spiritus).*

III. *De Confirmatione* (ad Const. art. 71)

64. Si Confirmatio intra Missam confertur, convenit, ut Missa ab ipso Episcopo celebretur, qui proinde Confirmationem paramentis Missae indutus confert.

Missa autem intra quam confertur Confirmatio dici potest, tamquam votiva II classis, de Spiritu Sancto.

65. Post Evangelium et homiliam, ante susceptionem Confirmationis, confirmandi laudabiliter renovent promissiones Baptismi, iuxta ritum in singulis regionibus legitime vigentem, nisi ante Missam hoc iam factum fuerit.

66. Si Missa ab alio celebratur, convenit, ut Episcopus Missae assistat paramentis indutus pro Confirmationis collatione praescriptis, quae possunt esse aut coloris Missae aut albi coloris. Ipse Episcopus homiliam habeat, celebrans vero Missam tantum post collatam Confirmationem résumât.

67. Confirmatio confertur iuxta ritum in Pontificali romano descriptum; sed ad verba *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti,* quae sequuntur formulam *Signo te,* unicum signum crucis fiat.

IV. *De ritu continuo Unctionis infirmorum et Viatici* (ad Const. art. 74)

68. Cum Unctio infirmorum et Viaticum simul administrantur, nisi in Rituali particulari ritus continuus iam habeatur, res ita ordinentur : praemissa aspersione cum orationibus ad ingressum quae sunt in Ordine Unctionis, sacerdos confessionem infirmi, si necesse sit, recipiat, ac deinde Unctionem conferat ac tandem Viaticum praebeat, omissis aspersione cum suis formulis et confessione atque absolutione.

Si autem et Benedictio Apostolica cum indulgentia plenaria in articulo mortis tunc impertiatur, haec immediate ante Unctionem detur, omissis aspersione cum suis formulis et confessione atque absolutione.

V. *De manuum impositione in Consecratione Episcopali* (ad Const. art. 76)

69. Manuum impositionem, in Consecratione Episcopali, omnes Episcopi praesentes, habitu chorali induti, facere possunt. Verba autem *Accipe Spiritum Sanctum* a Pontifice Consecratore et duobus Episcopis Conconsecrantibus tantum dicantur.

VI. *De ritu Matrimonii* (ad Const. art. 78)

70. Matrimonium, nisi iusta causa a celebratione Missae excuset, intra Missam, post Evangelium et homiliam, quae numquam est omittenda, celebretur.

71. Quoties Matrimonium intra Missam celebratur, semper, etiam tempore clauso, dicatur Missa votiva pro Sponsis aut de ea fiat commemoratio, iuxta rubricas.

72. Quantum fieri potest, parochus ipse vel eius delegatus qui Matrimonio assistit Missam celebret; quod si alius sacerdos assistit, celebrans Missam ne prosequatur nisi expleto ritu Matrimonii.

Sacerdos autem qui Matrimonio tantum assistit sed Missam ipse non celebrat, sit superpelliceo et stola alba et, iuxta locorum consuetudinem, etiam pluviali, indutus, et homiliam habeat. Benedictio vero post *Pater noster* et ante *Placeat* semper a sacerdote Missam celebrante impertienda est.

73. Benedictio nuptialis intra Missam semper, etiam tempore clauso et etsi unus vel uterque coniux ad alias nuptias transit, impertiatur.

74. In celebrando Matrimonio sine Missa :

a) initio ritus, iuxta Litt. Apost. *Sacram Liturgiam,* n. V, brevis admonitio habeatur, quae tamen non est homilia, sed tantum simplex introductio ad celebrandum Matrimonium (cfr. Const. art. 35, 3) ; sermo autem seu homilia habeatur, e textu sacro (cfr. Const. art. 52), post lectionem Epistolae et Evangelii e Missa pro Sponsis, ita ut ordo totius ritus sit : brevis admonitio, lectio Epistolae et Evangelii lingua vernacula, homilia, celebratio Matrimonii, benedictio nuptialis.

b) Pro lectione Epistolae et Evangelii e Missa pro Sponsis, deficiente textu vulgari a competenti auctoritate ecclesiastica territoriali approbato, licet, ad interim, adhibere textum ab Ordinario loci approbatum.

c) Nihil impedit quominus inter Epistolam et Evangelium habeatur cantus. Item valde commendatur post expletum ritum Matrimonii, ante benedictionem nuptialem, oratio fidelium, iuxta formulam ab Ordinario loci approbatam, in qua etiam supplicationes pro sponsis proferantur.

d) In fine ritus, benedictio sponsis semper, etiam tempore clauso et etiam si unus vel uterque coniux ad alias nuptias transit, impertiatur, iuxta formulam quae legitur in Rituali romano tit. VIII, cap. III, nisi in Ritualibus particularibus alia benedictio habeatur.

75. Si Matrimonium celebratur tempore clauso, parochus sponsos moneat ut rationem habeant peculiaris naturae illius temporis liturgici.

VI. *De Sacramentalibus* (ad Const. art. 79)

76. In benedictione candelarum die 2 februarii, et cinerum in capite ieiunii quadragesimalis, dici potest una tantum ex orationibus quae in Missali romano pro his benedictionibus inveniuntur.

77. Benedictiones usque adhuc reservatae, qime in Rituali romano, tit. IX, cap. 9, 10 et 11 continentur, ab omni sacerdote impertiri possunt, exceptis benedictionibus campanae ad usum ecclesiae benedictae vel oratorii (cap. 9, n. 11), primarii lapidis pro ecclesia aedificanda (cap. 9, n. 16), novae ecclesiae seu oratorii publici (cap. 9, n. 17), antimensii (cap. 9, n. 21), novi coemeterii (cap, 9, n. 22) et exceptis benedictionibus papalibus (cap. 10, nn. 1-3), necnon benedictione et erectione stationum Viae Crucis (cap. 11, n. 1) utpote Episcopo reservata.

CAPUT IV

DE OFFICIO DIVINO

I. *De Officio divino persolvendo ab iis qui chori obligatione tenentur* (ad Const. art. 95)

78. Donec divini Officii instauratio perficiatur :

a) Communitates Canonicorum, Monachorum et Monialium aliorumque Regularium vel Religiosorum ex iure vel constitutionibus choro adstrictae, praeter Missam conventualem, debent cotidie totum Officium in choro persolvere.

Singuli vero harum communitatum sodales, qui sunt in ordinibus maioribus constituti aut sollemniter professi, conversis exceptis, etsi a choro legitime dispensati, debent cotidie Horas canonicas, quas in choro non persolvunt, soli recitare.

b) Capitula cathedralia et collegialia, praeter Missam conventualem, illas partes Officii in choro persolvere debent, quae iis a iure communi vel particulari imponuntur.

Singuli vero horum Capitulorum sodales, praeter Horas canonicas, quas omnes clerici in Ordinibus maioribus constituti persolvere tenentur (cfr. Const. art. 96 et 89), debent illas Horas soli recitare, quae a suo Capitulo persolvuntur.

c) In regionibus vero Missionum, salva disciplina chorali religiosa vel capitulari iure statuta, sodales religiosi vel capitulares qui ministerii pastoralis causa legitime a choro absunt, de licentia Ordinarii loci, non tamen Vicarii Generalis vel Delegati, frui possunt concessione facta per Litteras Apostolicas *Sacram Liturgiam,* n. VI.

II. *De facultate ab Officio divino dispensandi vel illud commutandi* (ad Const. art. 97)

79. Facultas omnibus Ordinariis concessa subditos suos, in casibus singularibus iustaque de causa, ab obligatione Officii divini ex toto vel ex parte dispensandi, vel illud commutandi, extenditur etiam ad Superiores maiores Religionum clericalium non exemptarum vel Societatum clericorum in communi viventium sine votis.

III. *De parvis Officiis* (ad Const. art. 98)

80. Nullum parvum Officium in modum divini Officii confectum censetur, quod non coalescat e psalmis, lectionibus, hymnis, orationibus et horarum diei necnon respectivi temporis liturgici aliquam rationem non habeat.

81. Ad publicam Ecclesiae orationem agendam, interim illa parva Officia adhiberi possunt, quae usque adhuc legitime approbata sunt, dummodo iuxta requisita, quae sub numero praecedenti recensentur, confecta sint.

Nova autem parva Officia, ut ad publicam Ecclesiae orationem agendam adhiberi possint, ab Apostolica Sede approbari debent.

82. Conversio textus parvi Officii in linguam vernaculam ad publicam Ecclesiae orationem agendam, a competenti auctoritate ecclesiastica territoriali approbari debet, actis ab Apostolica Sede probatis seu confirmatis.

83. Auctoritas competens ad linguam vernaculam concedendam in recitatione parvi Officii iis qui ex constitutionibus ad hoc adstringuntur, aut ad dispensandum ab obligatione recitationis vel ad eam commutandam, est cuiusque subiecti Ordinarius vel Superior maior.

IV. *De Officio divino aut parvis Officiis a sodalibus Statuum perfectionis in communi persolvendis* (ad Const. art. 99)

84. Obligatio persolvendi in communi Officium divinum, aut aliquod parvum Officium, aut eorum partes, sodalibus Statuum perfectionis ab

ipsorum Constitutionibus facta, facultatem non adimit omittendi Horam Primam, et ex ceteris Horis minoribus illam eligendi, quae diei momento magis congruat (cfr. Litt. Apost. *Sacram Liturgiam,* n. VI).

V. *De lingua in recitatione divini Officii adhibenda* (ad Const. art. 101)

85. In divino Officio in choro persolvendo, clerici linguam latinam servare tenentur.

86; Facultas Ordinario facta concedendi usum linguae vernaculae, singulis pro casibus, iis clericis quibus usus linguae latinae grave impedimentum est quominus Officium debite persolvant, extenditur etiam ad Superiores maiores Religionum clericalium non exemptarum et Societatum clericorum in communi viventium sine votis.

87. Grave impedimentum quod requiritur ut praedicta concessio detur, ponderari debet considerata condicione physica, morali, intellectuali et spirituali petentis. Hac tamen facultate, quae ad recitationem divini Officii faciliorem reddendam magisque devotam unice conceditur, nullo modo derogari intenditur obligationi qua sacerdos ritus latini tenetur linguam latinam discendi.

88. Versio vernacula Officii divini iuxta alium ritum ac romanum a respectivis Ordinariis eiusdem linguae praeparetur et approbetur, adhibita tamen, pro elementis utrique ritui communibus, versione ab auctoritate territoriali approbata, ac deinde confirmationi Apostolicae Sedis proponatur.

89. Breviaria adhibenda a clericis quibus usus linguae vernaculae in persolvendo divino Officio, ad normam art. 101 § 1 Constitutionis, tribuitur, praeter interpretationem vernaculam, textum etiam latinum contineant oportet.

CAPUT V

DE ECCLESIIS ET ALTARIBUS DEBITE EXSTRUENDIS AD FIDELIUM ACTUOSAM PARTICIPATIONEM FACILIUS OBTINENDAM

I. *De ecclesiarum dispositione*

90. In ecclesiis noviter erigendis, reficiendis aut aptandis sedulo curetur ut idoneae evadant ad actiones sacras celebrandas iuxta veram ipsarum naturam, et ad fidelium actuosam participationem obtinendam (cfr. Const. art. 124).

II. *De altari maiore*

91. Praestat ut altare maius exstruatur a pariete seiunctum, ut facile circumiri et in eo celebratio versus populum peragi possit; in sacra autem aede eum occupet locum, ut revera centrum sit quo totius congregationis fidelium attentio sponte convertatur.

In eligenda materia ad ipsum altare aedificandum et ornandum, praescripta iuris serventur.

Presbyterium insuper circa altare eius amplitudinis sit, ut sacri ritus commode peragi possint.

III. *De sede celebrantis et ministrorum*

92. Sedes pro celebrante et ministris, iuxta singularum ecclesiarum structuram, ita collocetur ut a fidelibus bene conspici possit, et ipse celebrans revera universae fidelium communitati praeesse videatur.

Attamen, si sedes post altare collocatur, vitanda est forma throni, utpote qui uni Episcopo competat.

IV. *De altaribus minoribus*

93. Altaria minora numero sint pauciora, immo quantum aedificii structura permittit, valde congruit ut in sacellis ab ecclesiae parte principali aliquomodo seiunctis collocentur.

V. *De altarium ornatu*

94. Crux et candelabra^ quae pro singulis actionibus liturgicis in altari requiruntur, de iudicio Ordinarii loci, etiam iuxta ipsum poni possunt.

VI. *De sanctissima Eucharistia asservanda*

95. Sanctissima Eucharistia asservetur in tabernaculo solido atque inviolabili in medio altaris maioris vel minoris, sed vere praecellentis, posito, aut, iuxta legitimas consuetudines et in casibus peculiaribus ab Ordinario loci probandis, etiam in alia ecclesiae parte vere pernobili et rite ornata.

Licet Missam versus populum celebrare, etiam si in altari exstat tabernaculum, parvum quidem., sed aptum.

VII. *De arnione*

96. Convenit ut ambo vel ambones habeantur ad sacras lectiones proferendas, ita dispositi ut minister a fidelibus bene conspici et audiri possit.

VIII. *De loco scholae et organi*

97. Scholae et organi loca ita disponantur, ut clare appareat cantores et organi modulatorem fidelium communitatis congregata© partem efficere, et ut ipsi suo munere liturgico aptius fungi possint.

IX. *Dç locis fidelium*

98. Loca fidelium peculiari cura disponantur, ut ipsi visu et animo sacras celebrationes debite participare possint. Expedit ut de more scamna seu sedilia ad eorum usum ponantur. Consuetudo tamen personis quibusdam privatis sedilia reservandi reprobanda est, ad normam art. 32 Constitutionis.

Curetur etiam ut fideles sive celebrantem sive alios ministros non tantum videre, sed etiam, hodiernis instrumentis technicis adhibitis, commode audire valeant.

X. *De baptisterio*

99. In baptisterio exstruendo et ornando, sedulo attendatur ut dignitas sacramenti Baptismi clare appareat, et locus aptus sit ad communes celebrationes peragendas (cfr. art. 27 Const.).

* *' *

Praesentem Instructionem a Consilio ad exsequendam Constitutionem de sacra Liturgia de mandato Ss.mi Domini Nostri Pauli Pp. VI paratam, Iacobus S. R. E. Card. Lercaro, eiusdem Consilii Praeses, Sanctitati Suae detulit.

Beatissimus Pater, postquam ea qua par est consideratione hanc Instructionem perpendit, in hac re auxilium ferentibus sive supra memorato Consilio, sive hac Sacra Rituum Congregatione, eam in Audientia, die 26 septembris 1964 Arca dio Mariae S. R. E. Card. Lar-

raona, Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, concessa, in omnibus et singulis speciali modo approbavit et auctoritate Sua confirmavit, et publici iuris fieri iussit, ab omnibus ad quos spectat, a die 7 martii anno 1965, prima dominica in Quadragesima, sedulo servandam.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Romae, die 26 septembris 1964.

IACOBUS Card. **LERCARO**
Archiepiscopus Bononiensis
Praeses Consilii ad exsequendam Constitutionem de sacra Liturgia

ARCADIUS M. Card. **LARRAONA**
8. B. C. Praefectus

f Henricus Dante
Archiep. tit. Carpasien.
8. E. C. a Secretis

An. et vol. LVI 30 Novembris 1964 (Ser. III, v. VI) - N. 15

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico — Città del Vaticano — *Administratio:* Libreria Editrice Vaticana

ACTA PAULI PP. VI

IN SOLLEMNI CANONIZATIONE

Beatorum Caroli Lwanga, Matthiae Mulumba Kalemba et viginti sociorum Martyrum Ugandensium, die XVIII mensis Octobris a. MCMLXIV, dominica XXII post Pentecosten, in Basilica Vaticana peracta.

Ad postulationem instanter, instantius, instantissime *factam, per Advocatum Sacri Consistorii, a Viro Eminentissimo Arcadio S. R. E. Card. Larraona, Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, Revmus D. Hamletus Tondini, ab Epistulis ad Principes, Sanctitatis Suae nomine haec respondit :*

((Quod vos rite postulavistis, ut videlicet Augustus Pontifex immutabili pronuntiatione sua Sanctorum caelitum ordinibus ascribat viginti duos beatos Ugandenses, quorum et factum Martyrium et patrata mirabilia signa probata sunt, idem est mox facturus, animo sane libentissimo plenoque spei maximae.

Id enim initio ad gloriam valet Christi, humani generis Redemptoris ; quoniam qui pro eo vitam posuerunt, simul eius cruciatus immanissimos eiusque mortem acerbissimam ante oculos sibi constituerunt, simul ab iis virtutem prorsus divinam sumpserunt, quae nullo tormentorum genere vinci potuit.

Id insuper in honorem Ecclesiae, matris nostrae dulcissimae, vertit ; utpote quae, quocumque sive suae doctrinae praecepta sive superna sanctitatis adiumenta proferre potest, ibi tales erudiat, conformet, nutriat alumnos, qui, si res poscat, suam fidem testandi causa, sanguinem ipsum profundere non dubitent.

Sed ex corona, quam Christi Vicarius his beatis Martyribus sollemni ritu nexurus est, ei spes etiam non exiguae proponuntur. Primum scilicet illo fretus effato praeclarissimi Africi apologetae : *semen esse sanguinem christianorum/* in bonum spem ingreditur fore ut, clementissimo Deo volente, in Africae regionibus, ubi superioribus hisce duobus saeculis christianum nomen laeta accepit incrementa, vel laetiora in posterum accipiat; afferatque generosis illis gentibus cum certo salutis aeternae pignore, certas quoque civilis prosperitatis progressiones.

Eodem tempore Apostolorum Principis Successor plurimum confidit fore ut ex hac beatorum Martyrum consecratione universi Ecclesiae filii invitamentum^- sumere non recusent, cum ad divinam fidem suam perpetua animi firmitate profitendam, tum ad vitae morumque integritatem servandam, quae e dignitate christiani hominis sit. Nam — ut ait Hieronymus — *non solum effusio sanguinis in confessione reputatur, sed devotae quoque mentis servitus immaculata cotidianum Martyrium est.*[2]

En praecipuas tenetis causas, ob quas Antistes sacrorum Maximus beatos hos Martyres sanctitatis infula honestaturus est laetabundus.

Attamen, antequam de gravissima hac re sententiam suam, falli nesciam, ferat, vult Summus Pontifex nostris precibus uberius Spiritus Sancti lumen menti suae conciliari ».

Post cantatas Sanctorum Litanias, precibus secreto effusis hymnoque Veni, Creator Spiritus *decantato, Summus Pontifex, in Cathedra sedens mitramque gestans, hanc canonizationis formulam sollemniter pronuntiavit :*

Ad honorem Sanctae et individuae Trinitatis, ad exaltationem Fidei Catholicae et Christianae Religionis augmentum, auctoritate Domini nostri Iesu Christi, Beatorum Apostolorum Petri et Pauli, ac Nostra : matura deliberatione praehabita, et divina ope saepius implorata, ac de Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum et Episcoporum, in Urbe exsistentium, consilio, Beatos Carolum Lwanga, Matthiam Mulumba Kalemba et viginti socios Martyres Sanctos esse decernimus et d efini mu s, ac Sanctorum catalogo adscribimus : statuentes

[1] **Cfr. Tert. *Apol.* 48, *PL.* I, 603.**
[2] **Epist. 108 ad Eustoch., *P.L.* XXII, 905.**

illorum memoriam quolibet anno die tertia iunii inter Sanctos Martyres pia devotione recoli debere. In nomine Pa *ffa* tris et Fi £ß Iii et Spiritus £g Sancti. Amen.

Praecinente Beatissimo Patre, hymnus Te Deum *ab universo clero populoque decantatus est.*

Ante Missam vero Pontificalem, a Summo Pontifice haec habita est

HOMILIA

Venerabiles Fratres ac dilecti filii,

((Hi, qui amicti sunt stolis albis, qui sunt et unde venerunt 1 »

Haec verba de Sacris Bibliis deprompta in mentem Nostram occurrunt, dum in gloriosum album Sanctorum, qui in caelum victores ascenderunt, -hos viginti dúos filios Africae ascribimus; eos Benedictus XV, Decessor Noster recolendae memoriae, merita eorum singularia agnoscens, iam die sexta mensis Iunii anno millesimo nongentesimo vicesimo Beatos renuntiavit atque adeo peculiarem cultum probavit iis tribuendum.

Qui sunt? sunt Africani, veri Africani colore, genere, ingenii cultu, digni alumni gentium « Bantu », quae dicuntur, et Niloticarum, quas, fabulosas olim, Ioannes Stanley ac David Livingstone saeculo praeterito animose exploraverunt. Quae quidem gentes regiones Africae orientalis, amplis lacubus distinctae, incolunt, ad circulum scilicet meridianum, ubi aër caelique status sunt gravissimi, nempe torrido loco proprii, quibus levamen affertur tantummodo ubi regio est in montium dorso porrecta, et cum pluviae certis anni temporibus violentius effunduntur.

Eorum patria, cum vitam agerent, Britanniae patrocinio erat subiecta, sed anno millesimo nongentesimo sexagesimo secundo, ut plures aliae regiones eiusdem continentis, sui iuris est facta; eademque libertatem adeptam nunc confirmat velocibus et egregiis incrementis cultus civilis, qui hac aetate viget. Urbs princeps est quidem *Kampala,* sed territorium in re ecclesiastica praecipuum est Rubagaënse, olim sedes primi vicariatus apostolici ea in regione anno millesimo octingentesimo

[1] *Apoc.* 7, 13.

septuagesimo octavo constituti, nunc vero ad dignitatem archidioecesis evecti, ad quam septem dioeceses suffraganeae pertinent. In hunc apostolatus missionalis campum primum administri sacrorum anglicam, natione Britanni, advenerunt, quos post duos annos subsecuti sunt Missionarii catholici, scilicet ((Patres Albi », qui dicuntur, seu Missionarii Africae, filii Caroli Martialis Cardinalis Lavigerie (qui vixit ab anno millesimo octingentesimo vicesimo quinto ad nonagesimum secundum); quem non solum Africa sed etiam homines cultu civili ornati celebrent oportet ut virum e praeclarissimis, quos Divina Providentia misit. Hi ((Patres Albi » religionem catholicam in Ugandam intulerunt, Evangelium ann unti an tes eaque in re certationem amicalem quandam ineuntes cum Missionariis Anglicanis. Illis igitur feliciter contigit, ac merito quidem propter pericula et labores ingentes susceptos, ut Christo Martyres educarent, quos hodie ut fratres in fide praestantissimos colimus et ut protectores gloria caelesti circumfusos invocamus. Re quidem vera sunt Africani et sunt Martyres. « Hi sunt — ut in memorato loco Sacrorum Bibliorum legere pergimus — qui venerunt de tribulatione magna et laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine Agni. Ideo sunt ante thronum Dei ».[2]

Quotiescumque nomen Martyris enuntiamus, ea quidem vi et sententia, quam christiani hagiographi ei subiecerunt, spectaculum taeterrimum sed simul admirabile menti nostrae obversatur; taeterrimum propter iniustitiam, quae, auctoritate et crudelitate potens, causa est facinoris huiusmodi gravissimi; taeterrimum propter sanguinem, qui profluit, et cruciatus corporum, quae doloribus vexantur et morti atroci addicuntur; admirabile autem propter innocentiam, quae viribus naturalibus minime se defendit sed docilis se supplicio submittit, laeta et alacris quod invictam fidei veritatem possit testari, quae cum vita humana quasi coaluit; vita moritur quidem, fides vivit. Vis conflictatur cum fortitudine; illa cum vincit profligatur, haec cum superatur triumphat. Spectaculum singulare est martyrium, horrendum simul et animos alliciens; violentia iniusta et nefaria, unde ortum est, de recordatione paene evanescit, sed in saeculorum memoria semper vigebit fulgens et

[2] ***Apoc.* .14, 15.**

suavis illa lenitas, quae effecit, ut vitae devovendae studium evaderet sacrificium et holocaustum, et fieret summus actus amoris et fidelitatis erga Christum, exemplum, testimonium, nuntium quoddam perenne, quod hominibus praesentibus et futuris affertur. Hoc profecto est martyrium.

Haec est gloria Ecclesiae in omne aevum perdurans. Hoc egregie factum est eiusmodi, ut Ecclesia inducatur ad sollicite congerendas « passiones Martyrum », e quibus confectus est liber ille aureus de filiis ipsius maxime inclitis, id est martyrologium. E quo tanta pulchritudo et sublimitas enituit, ut vitae Sanctorum fabulares et artes inde res portentosas et cogitatione fictas uberrime hauserint. Sed vera historia, eodem libro aureo etiam nunc testata, digna est, quam valdissime admiremur; merito nos impellit ad laudis praeconia Deo tribuenda, qui magna efficit in hominibus fragilibus; merito nos movet, ut honore celebremus fortissimos illos, qui veluti litteris sanguine suo purpuratis libri eiusdem incomparabilis paginas conscripserunt.

Hi igitur Martyres Africani albo vic torum, quod est martyrologium, paginam addunt, qua res simul funestissimae et magnificae perhibentur: paginam dicimus, sane dignam, quae adiungatur egregiis illis narrationibus veteris Africae, quas nos, hac aetate viventes, utpote homines modicae fidei, opinabamur numquam habituras esse aequam continuationem. Quis umquam suspicari potuit, ut exemplum afferamus, ad acta illa, animos commoventia, Martyrum Scillitanorum, Martyrum Carthaginiensium, Martyrum « Massae candidae » Uticensis, de quibus Sanctus Augustinus [3] et Prudentius commemorant, Martyrum Aegypti, quorum amplissimam laudem apud Ioannem Chrysostomum scriptam invenimus,[4] Martyrum persecutionis Vandalicae, nostris temporibus novas historias accessuras esse, quibus res non minus fortiter gestae, res non minus fulgidae narrarentur? Quis animo praesentire potuit fore, ut praecelsis Sanctis Martyribus et Confessoribus Africanis, rerum memoria notis, veluti Cypriano, Felicitati et Perpetuae et Augustino, viro summo, quondam aggregaremus Carolum Lwan-

[3] **Cfr. *P.L.* 36, 571 et 38, 1045.**

[4] **Cfr. *P.G.* 50, 693 ss.**

ga, Matthiam Mulumba Kalemba, quae nomina cara nobis sunt, eorumque viginti socios? Et mentione digni sunt alii etiam, qui, anglicana instituta religiosa profitentes, pro Christi nomine morte affecti sunt.

Hi profecto Martyres Africani novae aetatis initia ponunt. Oh ! mens non ad persecutiones et conflictationes religiosas convertatur, sed ad regenerationem christianam et civilem. Africa enim, sanguine horum Martyrum irrorata, qui primi sunt novae huius aetatis (et utinam, Deo volente, postremi, cum holocaustum eorum tantum sit tamque pretiosum!), Africa libera et sui iuris facta renascitur. Facinus illud, quo ii oppressi sunt, tam infandum est ac tam significans, ut sufficientes causae eaeque manifestae praebeantur, quibus novus populus ratione morali formetur, ut novae consuetudines spirituales ad posteros transmittendae invalescant, ut quasi symbolice exprimatur ac provehatur transitus a simplici et rudi vitae instituto, in quo non deerant egregia quaedam bona humana, sed quod inquinatum erat et infirmum ac veluti sui ipsius servitute tenebatur, ad cultum civilem, quo celsiores significationes mentis humanae et altiores condiciones vitae socialis expetuntur.

Nolite arbitrari Nobis in animo esse casus Martyrum, quos honore prosequimur, vobis enarrare. Sunt enim res nimis longae ac nimis implicatae, cum ad viginti duos homines spectent, maxima e parte adulescentes, quorum unusquisque singulari praeconio est dignus; his autem addendus esset duplex ac longus index aliorum, qui eadem in cruenta persecutione interempti fuerunt, scilicet alter index neophytos et catechumenos catholicos complectens, alter anglicanos, qui et ipsi — prout narratur — nominis Christi causa sunt necati ; sed haec historia de re nimis crudeli tractat; nam tormenta corporum et arbitrium tyrannicum auctoritatis tam facile eveniunt tamque atrociter, ut animus noster perturbetur. Est enim historia vix credibilis; re quidem vera difficile mente comprehendere possumus barbaras condiciones, quae inopinabiles et intolerandae videntur, et in quibus vita multarum tribuum Africae fere ad haec usque tempora innitebatur et versabatur. Sed historia digna esset diligentiore consideratione, quia causae morales, quibus eidem historiae vis et pretium tribuuntur, scilicet causae simplicissimae et celsissimae religionis et pudoris, tam mani-

festae fiunt, ut animos commoveant et religiose afficiant. Quam historiam, aptam ad miserationis sensus excitandos; ipsi potius legite, est enim prae manibus; pauca vero acta Martyrum, nobis tradita, documentis ita probantur ut haec. Non locus est piae cuidam fabulae, sed refertur « Passio Martyrum » accurate conscripta; qui legit, videt; qui videt, infremit; qui infremit, plorat. Et ad postremum non est qui non concludat : revera, hi sunt Martyres ; « hi sunt — ut verba iteremus auctoris Apocalypsis — qui venerunt de tribulatione magna et laverunt stolas suas in sanguine Agni ».

Divinae Revelationis fontes perpetuum certamen inter carnem et spiritum indesinenter describunt, quo hominum conscientiae in terris gravantur: «Caro enim concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem ; haec enim sibi invicem adversantur, ut non quaecumque vultis haec faciatis » *(Gal.* 5, 17), ita ut cum ipsis ethnicis ingemisceret Apostolus : « Non enim quod volo bonum, hoc ago ; sed quod odi malum, illud facio », qui tandem fide Christi regeneratus exelamabat : ((Infelix ego homo ! quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum Nostrum » *(Rom,* 7,15. 24-25). Ad huiusmodi animarum a peccato ad iustitiam translatar-um excelsum in Deum itinerarium explorandum illustrandumque summopere adlaboravit semper Patrum Doctorumque theologica eruditio, adeo ut « Theologia spiritualis » quae dicitur de christiana ascesi ac de sanctorum mysticis phaenomenis plenius penitiusque in dies disseruerit, vestigiis Evangelii D. N. I. C. Ipsiusque praeclarorum imitatorum supernae sapientiae fideliter haerens. Qua in evehenda doctrina praecipui innotuerunt praeclari illi magistri qui in Ordine B. M. V. de Monte Carmelo sanctitate emicuerunt. Quapropter Pontificia Facultas Theologica SS. Teresiae a Iesu et Ioannis a Cruce, quae anno MCMXXXVII in Urbe ab Apostolica Sede erecta est, assiduis hortamentis Sacrae Congregationis de Seminariis et Studiorum Universitatibus ad laudatam Theologiam Spiritualem alacrius impensiusque excolendam adeo incitata est, ut anno Domini MCMLVII « Institutum Spiritualitatis » in suis aedibus composuerit. Expleto autem primo septennio uberrimis fructibus locupletato, eadem Facultas Theologica, per Magnum suum Cancellarium Praepositum Generalem Ordinis Carmelitarum Discalceato-

rum, suppliciter postulavit ut Institutum Spiritualitatis ita Facultati insereretur ut omnes Licentiatos S. Theologiae biennio asceticarum mysticarumque disciplinarum altioris studii ad Doctoratum S. Theologiae cum « specialisatione)) Theologiae Spiritualis promovere posset. Eadem igitur Sacra Congregatio de Seminariis et studiorum Universitatibus, potestate sibi facta a Ssmo D. N. Paulo Div. Prov. Pp. VI, optatis Praepositi Generalis O. C. D. obsecundans, ut in Ecclesia magistri Theologiae Spiritualis efformentur asceticis mysticisque doctrinis alte imbuti, *Institutum Spiritualitatis Pontificiae Facultati Theologicae SS. Teresiae a Iesu et Ioannis a Cruce* ita inserit ut ad Doctoratum S. Theologiae Licentiatos peculiari biennio « specialisationis » perducere valeat, servatis tum in generalibus Facultatis tum in peculiaribus Instituti ad hoc approbatis Statutis promulgatis normis, addita potestate conferendi auditoribus qui per integrum saltem annum praelectionum cursum rite ad normam peculiarium Statutorum frequentaverint ((diploma magisterii in Theologia Spirituali » aut « diploma peritiae in Theologia Spirituali ». Ceteris omnibus servatis de iure servandis, ad praelectionum celebrationem atque ad examina et scripto et ore superanda in primis quod attinet. Contrariis quibusvis minime obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus S. Congregationis de Seminariis et de studiorum Universitatibus, d. VIII m. Septembris, in Festo Nativitatis B. Mariae Virginis, a D. MCMLXIV.

© **IOSEPHUS** Card. **PIZZARDO**, Ep. Albanen., *Praefectus*

L. © S.

f Dinus Staffa, Archiep. tit. Caesarien. in Palaestina, *a Secretis*

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA PAENITENTIARIA APOSTOLICA

(SECTIO DE INDULGENTIIS)

DECRETUM

Novensilibus sacerdotibus facultas tribuitur impertiendi Benedictionem Papalem.

Ssmus D. N. Paulus Div. Prov. Pp. VI, preces Sibi oblatas in favorem novensilium sacerdotum libenti animo excipiens, ut paternam Suam sollicitudinem erga ipsos ostenderet, benigne statuere dignatus est ut quilibet novensilis sacerdos, cum primum Missam quadam sollemnitate celebraverit, impertiri valeat, unica vice, adhibita formula quae in Rituali Romano invenitur, ac extra Urbem, Benedictionem Papalem cum adnexa plenaria Indulgentia, acquirenda a christifidelibus, qui, sacramentali paenitentia expiati et sacra Communione refecti, eidem Missae sacrificio pia mente adstiterint, praefatam Benedictionem devote acceperint et ad Summi Pontificis mentem preces fuderint.

Praesenti *in perpetuum* valituro, ab hac ipsa die et absque ulla Apostolicarum Litterarum in forma brevi expeditione.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, e S. Paenitentiaria Apostolica, die 5 Novembris 1964.

F. Card. **CENTO**, *Paenitentiarius Maior*

L. f£ S.

I. Sessolo, *Regens*

TRIBUNAL VICARIATUS URBIS

Citatio edictalis

ROMANA

Nullitatis matrimonii (Gambuto - Cecconi)

Cum ignoretur locus actualis commorationis dominae Alexandrinae Cecconi, in causa de qua supra conventae, eandem citamus ad comparendum coram Tribunali Primae Instantiae Vicariatus Urbis (Piazza S. Callisto, 16 - Roma), aut per se aut per procuratorem legitime constitutum, in diem 31 Ianuarii 1965, hora decimatertia, pro concordatione sequentis dubii :

An constet de nullitate matrimonii, in casu.

Ordinarii locorum, parochi, fideles quicumque notitiam habentes actualis commorationis praedictae dominae Alexandrinae Cecconi, curare debent ut ipsa de hac edictali citatione rite moneatur. *

Albanus Milioni, *Iudex Instructor*

Ex Aedibus Tribunalis Vicariatus Urbis, die 10 Octobris a. 1964.

V. Frazzano, *Cancellarius*

* Etant inconnu le lieu de la demeure actuelle de M.me Alessandrina Cecconi, défenderesse en cette cause, nous la citons à comparaître, par propre personne ou par un procureur légitimement constitué, au siège du Tribunal du Vicariat de Rome (Piazza S. Callisto, 16 - Roma) le 31 janvier 1965, à 13 heures, pour concorder le doute ci-dessous rapporté :

Conste-t-il de la nullité du mariage, dans le cas?

Les Ordinaires des lieux, les prêtres, les fidèles ayant connaissance du lieu de la résidence de ladite Alessandrina Cecconi, devront, dans la mesure ^ du possible, l'avertir de la présente citation.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Lunedì, 12 ottobre 1964, il Santo Padre Paolo VI ha ricevuto in Visita Ufficiale Sua Eccellenza il Dott. Stjkarno, Presidente della Repubblica d'Indonesia.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Brevi Apostolici il Santo Padre Paolo VI, felicemente regnante, si è degnato di nominare:

16 luglio 1964. S. E. Revma Monsig. Bellotti Luigi, Arcivescovo tit. di Voncariana, *Delegato Apostolico nell'Africa Centro-Occidentale.*

1 settembre » S. E. Revma Monsig. Torpigliani Bruno, Arcivescovo tit. di Malliana, *Nunzio Apostolico in Guatemala ed El Salvador.*

Con Brevi Apostolici il Santo Padre Paolo VI, felicemente regnante, si è degnato di nominare:

Assistenti al Soglio Pontificio :

11 maggio 1964. S. E. Revma Monsig. Barneschi Attilio Costantino Maria, Vescovo di Manzini.

9 settembre » S. E. Revma Monsig. Beccaro Felice, Vescovo di San Miniato.

25 » » S. E. Revma Monsig. Blanquet du Chayla, Arcivescovo tit. di Derco.

Protonotari Apostolici ad instar participantium:

29 ottobre 1963. Monsig. Vilar Giovanni (Paraná).
12 giugno 1964. Monsig. Doherty Giuseppe Francesco (Camden).
» » Monsig. Crine Michele Agostino (Camden).
» » Monsig. Foley Giacomo Cornelio (Camden).
» » Monsig. Doyle Bartolomeo B. (Camden).
» » Monsig. Jess Alfredo Guglielmo (Camden).
16 luglio » Monsig. Severini Pasquale (Norcia).
16 settembre » Monsig. Butler Giovanni Giuseppe (Saint Louis).

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Paolo VI, felicemente regnante, si è degnato di confermare:

Camerieri segreti soprannumerari di Sua Santità:

21	giugno	1963.	Monsig. Brambilla Franco (Como).
1	luglio	»	Monsig. Donohue Giacomo (Baltimore).
»	»	»	Monsig. White Porter (Baltimore).
6		»	Monsig. Henny Giuseppe (Ohur).
»	»	»	Monsig. Maranta Reto (Chur).
»		»	Monsig. Ludwa Riccardo (Ohur).
»		»	Monsig. Ignatavicius Zenone (Kaunas).
»		»	Monsig. Balciunas Vytautas (Panevezys).
»	»	»	Monsig. Mincevicius Vincenzo (Vilkaviskis).
11	»	»	Monsig. Cardoso Giuseppe Filippo (Lisboa).
		»	Monsig. Belpaire Giovanni (Malines-Bruxelles).
»		»	Monsig. Simon Luigi (Malines-Bruxelles).
»		»	Monsig. Van den Bosch Bernardo (Malines-Bruxelles).
»	»	»	Monsig. Vyverman Giulio (Malines-Bruxelles).
13	»		Monsig. Bianda Antonio (Lugano).
»		»	Monsig. Bonanomi Achille (Lugano).
		»	Monsig. Oamponovo Felice (Lugano).
»	»	»	Monsig. Gianini Emilio (Lugano).
	»	»	Monsig. Pessina Alfonso (Lugano).
»			Monsig. Snider Giovanni (Lugano).
»		»	Monsig. Pizzoli Domenico (Sabina e Poggio Mirteto).
»		»	Monsig. Storti Nicola (Sant'Angelo in Vado).
15	»	»	Monsig. Conley Raimondo (Des Moines).
»	»	»	Monsig. Davidsaver Alberto (Des Moines).
»		»	Monsig. Harkin Edoardo (Des Moines).
»	»	»	Monsig. Higgins Giovanni (Des Moines).
	»	»	Monsig. Kelliher Michele (Des Moines).
»	»	»	Monsig. Marasco Paolo (Des Moines).
»		»	Monsig. Moriarty Tommaso (Des Moines).
		»	Monsig. Schwarte Michele (Des Moines).
	»	»	Monsig. Tennessen Milo M. (Des Moines).
»	»	»	Monsig. Zuch Frank (Des Moines).
16	»	»	Monsig. Cerda Fariña Zosimo (Santiago de Chile).
	»	»	Monsig. De La Fuente Oscar (Santiago de Chile).
	»	»	Monsig. García Huidobro Abele (Santiago de Chile).
		»	Monsig. Gómez ügarte Giorgio (Santiago de Chile).
»		»	Monsig. Larrain Errazuriz Raffaele (Santiago de Chile).
»		»	Monsig. Lecourt Mella Edoardo (Santiago de Chile).
»	»	»	Monsig. Mardones Arenas Luigi (Santiago de Chile).
	»	»	Monsig. Silva Labbé Giuseppe Ippolito (Santiago de Chile).
»	»	»	Monsig. Troncoso Giuseppe Luigi (Santiago de Chile).
19	»	»	Monsig. Callo vini Carlo (Roma).
»		»	Monsig. Conti Leopoldo (Trivento).
20	»		Monsig. Maldaner Bruno (Porto Alegre).

26	luglio	1963.	Monsig. Casey Guglielmo (Brooklyn).
»		»	Monsig. Di Marco Giuseppe (Brooklyn).
»	»	»	Monsig. Fitzpatrick Giacomo (Brooklyn).
»	»	»	Monsig. Hickey Matteo (Brooklyn).
»		»	Monsig. Holzheimer Giuseppe (Brooklyn).
»	»	»	Monsig. Kelly Tommaso (Brooklyn).
»		»	Monsig. McDonald J. Emmett (Brooklyn).
»	»	»	Monsig. McLees Arcibaldo (Brooklyn).
»	»	»	Monsig. Molloy Eugenio (Brooklyn).
»	»		Monsig. O'Brien Giovanni (Brooklyn).
»	»	»	Monsig. Privitera Santo (Brooklyn).
»	»		Monsig. Rudden Giovanni (Brooklyn).
»	»	»	Monsig. Smiddy Tommaso (Brooklyn).
	»		Monsig. Snyder Giovanni (Brooklyn).
»	»	»	Monsig. Testagrossa Roberto (Brooklyn).
»		»	Monsig. Welsh Roberto (Brooklyn).
	»		Monsig. Yéager Meritt (Brooklyn).
»	»	»	Monsig. Mac Donald Colin (Manchester).
	»	»	Monsig. Olkovikas Alberto (Manchester).
»	»	»	Monsig. Paradis Wilfrido (Manchester).
	»	»	Monsig. Canili Daniele (San Francisco).
»	»		Monsig. Gallagher Eugenio (San Francisco).
»	»	»	Monsig. Hur ley Francesco (San Francisco).
»			Monsig. Quinn Francesco (San Francisco).
»		»	Monsig. Thompson Chester (San Francisco).
	»	»	Monsig. Walsh Donneil (San Francisco).
	»		Monsig. Cox Geraldo (Santa Rosa in California).
	»	»	Monsig. Farrell Giovanni (Santa Rosa in California)
28	»		Monsig. Lef ort Giuseppe (Calgary).
»	»	»	Monsig. O'Brien Giovanni G. (Calgary).
29	»		Monsig. Fähndrich Emilio (Basel e Lugano).
»			Monsig. Feer Carlo (Basel e Lugano).
	»		Monsig. Filiinger Guglielmo (Basel e Lugano).
	»	»	Monsig. Fuchs Alfonso (Basel e Lugano).
»	»		Monsig. Jeannerat Othmar (Basel e Lugano).
»	»	»	Monsig. Lang Giuseppe (Basel e Lugano).
»	»	»	Monsig. Lautenschlager Antonio (Basel e Lugano).
»			Monsig. Mathez Giorgio (Basel e Lugano).
»			Monsig. Villiger Giovanni (Basel e Lugano).
»			Monsig. Gamache Giovanni Carlo (Hauterive).
»	»		Monsig. Gendron Donato (Hauterive).
»	»		Monsig. Beaudoin Luciano (Hull).
»	»	»	Monsig. Foucault Edgardo (Mcolet).
»	»	»	Monsig. Roy Paolo (Mcolet).
»	»		Monsig. Rouillard Giacomo (Mcolet).
	»		Monsig. Vallières Giovanni Marco (Mcolet).
»	»		Monsig. Lafleur Giuseppe (Lafayette).
»	»		Monsig. Murie Marcello (Lafayette).
»			Monsig. Neyboér Bernardo (Lafayette).

29	luglio	1693.	Monsig. Vincent Amos (Lafayette).
»	»	»	Monsig. Allgeier Giuseppe Lorenzo (Louisville).
»	»	»	Monsig. McKune Giovanni Guglielmo (Louisville).
	»	»	Monsig. O'Bryan Giuseppe Luigi (Louisville).
»	»	»	Monsig. Steinhäuser Alfredo Guglielmo (Louisville).
»	»	»	Monsig. Treece Raimondo Giuseppe (Louisville).
»	»		Monsig. Wheätley Giuseppe Leone (Louisville).
»	»	»	Monsig. Cummins Giovanni (Oakland).
»	»	»	Monsig. McCracken Giovanni (Oakland).
»	»	»	Monsig. O'Neill Giacomo (Oakland).
»	»	»	Monsig. Concannon Francesco (Rockville Centre).
»	»	»	Monsig. Daly Tommaso (Rockville Centre).
	»	»	Monsig. Griffin Giacomo (Rockville Centre).
	»		Monsig. Haíüey Riccardo (Rockville Centre).
	»	»	Monsig. Lawlor Giuseppe (Rockville Centre).
»	»		Monsig. McCarren Edgardo (Rockville Centre).
	»		Monsig. McGann Giovanni (Rockville Centre).
»	»	»	Monsig. McLaughlin Michele (Rockville Centre).
»		»	Monsig. Melton Edoardo (Rockville Centre).
»	»	»	Monsig. Ryan Geraldo (Rockville Centre).
»	»	»	Monsig. Stegmann Raimondo (Rockville Centre).
»		»	Monsig. Williams Francesco (Rockville Centre).
»	»	»	Monsig. Durst Geraldo (Columbus).
»	»	»	Monsig. Thielen Toraldo (Dubuque).
	»	»	Monsig. Fick Leonardo (Kansas City in Kansas).
»	»	»	Monsig. Kleinschmidt Antonio (Saint Cloud).
	»	»	Monsig. Kleinz Giovanni (Santa Fe).
»		»	Monsig. Bremer Alberto (Seattle).
30		»	Monsig. Bannon Davide (Bridgeport).
	»	»	Monsig. Devine Giacomo (Bridgeport).
		»	Monsig. Donnelly Patrizio (Bridgeport).
	»	»	Monsig. Guidone Raimondo (Bridgeport).
		»	Monsig. McGough Giovanni (Bridgeport).
	»	»	Monsig. Toomey Giovanni (Bridgeport).
»	»		Monsig. Zibell Edoardo (Bridgeport).
	»	»	Monsig. Gloeckner Giorgio (Corpus Christi).
	»	»	Monsig. Kinlough Guglielmo (Corpus Christi).
	»	»	Monsig. O'Doherty Geraldo (Corpus Christi).
		»	Monsig. Dever Daniele (Honolulu).
	»	»	Monsig. Kekumano Carlo (Honolulu).
»	»	»	Monsig, Marzen Francesco (Honolulu).
»	»	»	Monsig. Nuszkowski Edoardo (Joliet).
»	»	»	Monsig. Rotondi Armando (Joliet).
»	»		Monsig. Tchouhadjian Giovanni Francesco (Marseille).
»			Monsig. Clancy Giovanni (Portland).
			Monsig. Tatarczuk Vincenzo (Portland).
	»		Monsig. Faistl Francesco Gregorio (Pueblo).
	»		Monsig. Holland Giorgio (Pueblo).
	»	»	Monsig. Maas Pietro Francesco (Pueblo).

30	luglio	1963.	Monsig. Subotich Giorgio Luigi (Pueblo).
»	»	»	Monsig. Voss Elwood **O.** (Pueblo).
»	»	»	Monsig. Cymbor Giovanni (Steubenville).
»	»	»	Monsig. Kish Giovanni (Steubenville).
»	»	»	Monsig. Laca Stefano (Steubenville).
»	»	»	Monsig. Marshall Giacomo (Steubenville).
»	»	»	Monsig. Metzger Paolo (Steubenville).
»	»	»	Monsig. Pollack Giuseppe (Steubenville).
»	»	»	Monsig. Rojewski Girolamo (Steubenville).
»	»	»	Monsig. Wearsch Guglielmo (Steubenville).
31	»	»	Monsig. Vincent Alberto (Autun).
»	»	»	Monsig. Maitz Edoardo (Eisenstadt).
»	»	»	Monsig. Ruysschaert Giuseppe (Tournai).
3	agosto	»	Monsig. Costantini Giuseppe (Roma).
»	»	»	Monsig. Piantoni Giovanni (Roma).
6	»	»	Monsig. Rotunno Tommaso (Aversa).
10	)>	»	Monsig. Davis Enrico Francesco (Birmingham).
»	»	»	Monsig. Doran Vilfredo (Birmingham).
»	»	»	Monsig. Gray Giuseppe (Birmingham).
»	»	»	Monsig. Healey Giuseppe Vincenzo (Birmingham).
»	»	»	Monsig. Humphreys Giovanni (Birmingham).
»	»	»	Monsig. Montgomery Ugo Edmondo (Birmingham).
»	»	»	Monsig. Allgeier J. Mcola (Fort Wayne-South Bend).
»	»	»	Monsig. Badina Antonio (Fort Wayne-South Bend).
»	»	»	Monsig. Bapst Giovanni (Fort Wayne-South Bend).
»	»	»	Monsig. Conroy Giacomo (Fort Wayne-South Bend).
»	»	»	Monsig. Capczynski Ignazio (Fort Wayne-South Bend).
»	»	»	Monsig. Girardot Carlo (Fort Wayne-South Bend).
»	»	»	Monsig. Lester J. Guglielmo (Fort Wayne-South Bend).
»	»	»	Monsig. MacDonald Arturo (Fort Wayne-South Bend).
»	»	»	Monsig. Moorman Giorgio (Fort Wayne-South Bend).
»	»	»	Monsig. Nadolny Giovanni (Fort Wayne-South Bend).
»	»	»	Monsig. Peterson Elmer (Fort Wayne-South Bend).
»	»	»	Monsig. Reed Giovanni (Fort Wayne-South Bend).
»	»	»	Monsig. Suelzer Curt A. (Fort Wayne-South Bend).
»	»	»	Monsig. Bogovich Paolo (Gary).
»	»	»	Monsig. Charlebois Giovanni (Gary).
»	»	»	Monsig. Conway Giacomo (Gary).
»	»	»	Monsig. Doktor Giuliano (Gary).
»	»	»	Monsig. Grothouse Lorenzo (Gary).
»	»	»	Monsig. Klein Everardo (Gary).
»	»	»	Monsig. Melevage Ferdinando (Gary).
»	»	»	Monsig. Michalski Luigi (Gary).
»	»	»	Monsig. Schmid Paolo (Gary).
»	»	»	Monsig. Sweigart Guglielmo (Gary).
»	»	»	Monsig. Griese Nicola Orville (Green Bay).
»	»	»	Monsig. Head Enrico Carlo (Green Bay).
»	»	»	Monsig. Kleiber Uberto (Green Bay).
»	»	»	Monsig. Schneider Alberto (Green Bay).

10	agosto	1963.	Monsig. Trzebiatowski Luigi (Green Bay).
»	»	»	Monsig. Lujan Calvo Oscar (Guam).
»		»	Monsig. Collins Raffaele (Lincoln).
»	»		Monsig. Dewitt Max G. (Lincoln).
	»	»	Monsig. Mercier Tommaso (Lincoln).
»	»	»	Monsig. Murray Girolamo (Lincoln).
»		»	Monsig. Szmydt Adamo (Lincoln).
»	»		Monsig. Barry Dennis (Milwaukee).
»	»		Monsig. Beres Francesco (Milwaukee).
»	»	»	Monsig. Donovan Giovanni (Milwaukee).
»			Monsig. Witkowiak Stanislao (Milwaukee).
»			Monsig. O'Neill Arturo (Rockford).
			Monsig. Wahl Raimondo (Rockford).
»	»		Monsig. Mango Vincenzo (Sant'Agata dei Goti).
»			Monsig. Beuel Donaldo (Scranton).
		»	Monsig. Fonimeli Guglielmo (Scranton).
		»	Monsig. Kennedy Michele (Scranton).
	»		Monsig. Lowry Giacomo (Scranton).
		»	Monsig. Quinn Giuseppe (Scranton).
»	»		Monsig. Sullivan Edoardo (Scranton).
»	»		Monsig. Cahill Bernardo (Southwark).
			Monsig. Clark Alan (Southwark).
»	»	»	Monsig. Clark Guglielmo Paolo (Southwark).
»		»	Monsig. Henderson Carlo (Southwark).
		»	Monsig. Mahony Edoardo (Southwark).
»	»	»	Monsig. Reynolds Antonio (Southwark).
		»	Monsig. Standen Ernesto (Southwark).
»			Monsig. Strand Pietro (Southwark).
»			Monsig. Wall Denis (Southwark).
»			Monsig. Barth Arturo (Wichita).
»		»	Monsig. Smith Carlo (Wichita).
»			Monsig. Taggart Paolo (Wilmington).
»			Monsig. Harrington Timoteo (Worcester).
»		»	Monsig. Kulik Stanislao (Worcester).
12	»	»	Monsig. Baquedano Silvano (Monterey-Fresno).
»	»	»	Monsig. Buckley Michele (Monterey-Fresno).
»	»		Monsig. De Galarreta Giuseppe (Monterey-Fresno)
»	»	»	Monsig. Doherty Denis (Monterey-Fresno).
»			Monsig. Flood Patrizio (Monterey-Fresno).
		»	Monsig. Forde Giovanni (Monterey-Fresno).
»	»		Monsig. Hannon Patrizio (Monterey-Fresno).
			Monsig. Herdegen Antonio (Monterey-Fresno).
			Monsig. Lahey Maurizio (Monterey-Fresno).
	»		Monsig. Lee Howard T. (Monterey-Fresno).
			Monsig; Mangan Michele (Monterey-Fresno).
		»	Monsig. McCann Roger (Monterey-Fresno).
		»	Monsig. McGoldrick Giuseppe (Monterey-Fresno).
»		»	Monsig. McGovern Tommaso (Monterey-Fresno).
			Monsig. McHugh Martino (Monterey-Fresno).

12 agosto 1963. Monsig. McKenna Francesco (Monterey-Fresno).
» » » Monsig. O'Brien Matteo (Monterey-Fresno).
» » » Monsig. O'Reilly Patrizio (Monterey-Fresno).
» » » Monsig. O'Shea Guglielmo (Monterey-Fresno).
» » » Monsig. Pointek Francesco (Monterey-Fresno).
» » » Monsig. Rechenmacher Eoberto (Monterey-Fresno).
» » » Monsig. Kichards Vincenzo (Monterey-Fresno).
» » » Monsig. Ryan Giovanni F. O. (Monterey-Fresno).
» » » Monsig. Ryan Giovanni J. (Monterey-Fresno).
» » » Monsig. Smith Giuseppe (Monterey-Fresno).
14 » » Monsig. Bonicelli Gaetano (Bergamo).
» » » Monsig. Nardini Pietro (Civita Castellana).
» » » Monsig. Koncius Giuseppe (Kaunas).
24 * » . » Monsig. Núñez Secondino (Asunción).
» » » Monsig. Pérez Edoardo (Asunción).
7 settembre » Monsig. Bradley Giovanni (Detroit).
» » » Monsig. Burkhardt Edoardo (Detroit).
» » » Monsig. Fournier Edmondo (Detroit).
» » » Monsig. Horkan Vincenzo (Detroit).
» » » Monsig. Howard Vincenzo (Detroit).
» » » Monsig. Karey Arturo (Detroit).
» » » Monsig. Malloy Carlo (Detroit).
» » » Monsig. Suedkamp Villibrordo (Detroit).
» » » Monsig. Dunn Francesco (Dubuque).
» » » Monsig. Roach Guglielmo (Dubuque).
» » » Monsig. Tarrant Daniele (Dubuque).
» » » Monsig. Rando Federico (Messina).
» » » Monsig. Bochnewich Michele (Saint Nicholas of Chicago).
» » » Monsig. Leskiw Pietro (Saint Nicholas of Chicago).
» » » Monsig. Knapp Stefano (Saint Nicholas of Chicago).
12 » » Monsig. Kerr Giorgio (Boston).
» » » Monsig. Hamburger Donald (Charleston).
» » » Monsig. Sterker Luigi (Charleston).
» » » Monsig. Bertke Stanley (Cincinnati).
» » » Monsig. Connaughton Edoardo (Cincinnati).
» » » Monsig. Franer Guglielmo (Cincinnati).
» » » Monsig. Gilligan Martino (Cincinnati).
» » » Monsig. Kennedy Francesco (Cincinnati).
» » » Monsig. Klocker Enrico (Cincinnati).
» » » Monsig. Murphy Carlo (Cincinnati).
» » » Monsig. Schröder Raimondo (Cincinnati).
» » » Monsig. Staunton Giovanni (Cincinnati).
» » » Monsig. Tensing Roberto (Cincinnati).
» » .» Monsig. Unger Uberto (Cincinnati).
» » » Monsig. Walter Lorenzo (Cincinnati).
» » » Monsig. Whalen Earl (Cincinnati).
» » » Monsig. Aiken Tommaso (Los Angeles).
» » » Monsig. Clyne Giacomo (Los Angeles).
» » » Monsig. Johnson Guglielmo (Los Angeles).

12	settembre	1963.	Monsig. Laubacher Aroldo (Los' Angeles).
»		»	Monsig. O'Brien Kenneth (Los Angeles).
			Monsig. O'Callaghan Michele (Los Angeles).
»			Monsig. Ward Giovanni (Los Angeles).
»	»		Monsig. Abood Giuseppe (Saida dei Maroniti).
			Monsig. Ehlinger Paolo (San Antonio).
»	»	»	Monsig. Holden Michele (San Antonio).
			Monsig. Murray Patrizio (San Antonio).
»	»	»	Monsig. Trad Giovanni (San Antonio).
14	»		Monsig. Morriccioni Vittorio (Sant'Angelo in Vado).
»		»	Monsig. Bocconcelli Cristoforo (Urbanía).
»		»	Monsig. Fini Alessandro (Urbania).
19	»	»	Monsig. Elsaesser Giovanni S. (Covington).
»	»	»	Monsig. Welp Enrico Giuseppe (Covington). *
	»		Monsig. Dall Norberto (La Crosse).
»	»	»	Monsig. Finucan Giacomo (La Crosse).
»	»		Monsig. Wagener Antonio (La Crosse).
»	»	»	Monsig. McCaslin Edoardo (Omaha).
		»	Monsig. Mickells Antonio (Omaha).
»		»	Monsig. Schmitt Francesco (Omaha).
	»	»	Monsig. Ulrich Romano (Omaha).
		»	Monsig. Bonneric Maurizio (Tärbes et Lourdes).
»	»	»	Monsig. Rosenweig Walter (Tücson).
28		»	Monsig. Sacchi Angelo (Cremona).
14	novembre		Monsig. Freitas Vincenzo (Cajazeiras).
»	»	»	Monsig. Barile Alessandro (Terlizzi).
22	»		Monsig. Gasbarrone Guido (Terracina, Priverno e Sezze).
»	»		Monsig. Natalini Vincenzo (Terracina, Priverno e Sezze).
»		»	Monsig. Pernarella Mario (Terracina, Priverno e Sezze).
27		»	Monsig. Deragowski Eugenio (Springfield-Cape Girar-deau).
28	»	»	Monsig. Mattathil Ciriaco (Kottayam).
»		»	Monsig. Nedumchira Giacomo (Kottayam).
»	»	»	Monsig. Theccanat Matteo (Kottayam).
6	dicembre		Monsig. Moráis Costa Giuseppe (Lamego).
10	»	»	Monsig. Affini Luigi (Cremona).
»		»	Monsig. Bosio Angelo (Cremona).
»		»	Monsig. Galimberti Mario (Cremona).
»		»	Monsig. Lana Guido (Cremona).
	»	»	Monsig. Macchi Ettore (Cremona).
»	»		Monsig. Tadini Giovanni Battista (Cremona).
23		»	Monsig. Erdle Alberto (Augsburg).
»	»		Monsig. Kirchner Paolo (Ausgsburg).
	»	»	Monsig. Gibboni Alberto (Campagna).
»	»		Monsig. Grillo Dino (Fabriano).
»	»	»	Monsig. Guerci Pietro (Fabriano).
»		»	Monsig. Mei Dario (Fabriano).
»	»	»	Monsig. Migliarini Giuseppe (Fabriano).
»			Monsig. Ragni Pietro (Fabriano).

23	dicembre	1963.	Monsig. Martel Paolo (Grenoble).
»	»	»	Monsig. Martin Giuseppe (Grenoble).
»	»	»	Monsig. Sojat Giuseppe (Modrus).
»	»	»	Monsig. Kucan Liubomiro (Rijeka).
»	»	»	Monsig. Perkan Danilo (Rijeka).
»	»	»	Monsig. Kraljic Vladimiro (Senj).
»	»	»	Monsig. Usmiani Vladimiro (Senj).
»	»	»	Monsig. Landoll Gilberto Giuseppe (Salina).
»	»	»	Monsig. Lemoine Vincenzo Paolo (Salina).
»	»	»	Monsig. Wasinger Alfredo Girolamo (Salina).
»	»	»	Monsig. Weber Giovanni Giorgio (Salina).
»	»	»	Monsig. Alvares Botero Samuele (Sonsón).
»	»	»	Monsig. Aristizabal Zuluaga Michele (Sonsón).
»	»	»	Monsig. Borie Nicola (Zagreb).
»	»	»	Monsig. Borosak Giuseppe (Zagreb).
»	»	»	Monsig. Gaspert Giovanni (Zagreb).
»	»	»	Monsig. Grundler Francesco (Zagreb).
»	»	»	Monsig. Komericki Vincenzo (Zagreb).
3	gennaio	1961.	Monsig. Bandera Giuseppe (Krk).
»	»	»	Monsig. Bolonic Mihovil (Krk).
»	»	»	Monsig. Haljic Mario (Krk).
»	»	»	Monsig. Toljanic Antonio (Krk).
»	»	»	Monsig. Zie Giovanni (Krk).
»	»	»	Monsig. Forte Carmelo (Policästro).
7	» •	»	Monsig. Cataldo Giuseppe (Grosseto).
»	»	»	Monsig. Pompili Amleto (Grosseto).
»	»	»	Monsig. Saroli Vincenzo (Grosseto).
»	»	»	Monsig. Tacconi Adelmo (Grosseto).
»	»	»	Monsig. Cardoso de Carvalho Emanuele (Lamego).
»	»	»	Monsig. Souris Marcello (P^ris).
»	»	»	Monsig. Adamiak Leone (Philadelphia degli Ucraini).
«	»	»	Monsig. Batza Giuseppe (Philadelphia degli Ucraini).
»	»	»	Monsig. Chehansky Stefano (Philadelphia degli Ucraini).
»	»	»	Monsig. Gresko Demetrio (Philadelphia degli Ucraini).
»	»	»	Monsig. Poloway Michele (Philadelphia degli Ucraini).
»	»	»	Monsig. Pospishil Vittorio (Philadelphia degli Ucraini).
»	»	»	Monsig. Spatuzza Domenico (S. Angelo dei Lombardi).
»	»	»	Monsig. Coce Francesco (Split i Makarska).
»	»	»	Monsig. Bucan Antonio (Split i Makarska).
»	»	»	Monsig. Luger Ercolano (Split i Makarska).
»	»	»	Monsig. Melki Giuseppe (Split i Makarska).
»	»	»	Monsig. Mikié Giovanni (Split i Makarska).
8	»	»	Monsig. Barreca Filippo (Oppido Mamertina).
»	»	»	Monsig. Formica Rosario (Oppido Mamertina).
15	»	»	Monsig. Torregrossa Saiz Antonio (Albacete).
25	»	»	Monsig. Capula Salvatore (Ampurias e Tempio).
»	»	»	Monsig. Cimino Francesco (Ampurias e Tempio).
»	»	»	Monsig. Vico Salvatore (Ampurias e Tempio).
»	»	»	Monsig. Hendry Regina! do (Argyll and The Isles).

30	gennaio	1964.	Monsig. Adamini Eligio (Ivrea).
»	»		Monsig. Barra Tommaso (Ivrea).
	»	»	Monsig. Bongera Alessandro (Ivrea).
»	»	»	Monsig. Depaoli Lorenzo (Ivrea).
»	»	»	Monsig. Meaglia Cesare (Ivrea).
			Monsig. Testore Giuseppe (Ivrea).
»	»		Monsig. Vesco Mario (Ivrea).
1	febbraio		Monsig. Daniel Alfonso (Jujuy).
»	»	»	Monsig. Mallagray Germano (Jujuy).
			Monsig. Villoldo Sisto (Jujuy).
4	»		Monsig. Ferreira da Cunha Gioacchino (Coimbra).
»	»	»	Monsig. López de Oñate Vincenzo (Tacna).
5	»	»	Monsig. Glesaz Lorenzo Stefano (Aosta).
20	»	»	Monsig. Benedetti Giovanni (Foligno).
»	»	»	Monsig. Botti Veglia Giuseppe (Foligno).
	»		Monsig. Buono Ernesto (Foligno).
	»	»	Monsig. Conti Francesco (Foligno).
	»	»	Monsig. Ferri Gino (Foligno).
		»	Monsig. Forte Beniamino (Foligno).
	»	»	Monsig. Lanna Angelo (Foligno).
»	»	»	Monsig. Maffei Tullio (Foligno).
»	»		Monsig. Mattinati Decio (Foligno).
»	»	»	Monsig. Ottaviani Ottavio (Foligno).
			Monsig. Spuntarelli Guglielmo (Foligno).
»	»		Monsig. Del Giorno Filippo Vittorio (Istanbul).
26	»		Monsig. Esquibel Saverio (Tuy-Vigo).
			Monsig. De Marco Virginio (Vallo della Lucania).
			Monsig. Mcoletti Pietro (Vallo della Lucania).
6	marzo		Monsig. Bondì Dalli Edoardo (Gozo).
»	»	»	Monsig. Tabone Salvatore (Gozo).
7			Monsig. Cardona Bernardo (Medellín).
			Monsig. Duque Francesco (Medellín).
	»		Monsig. Wiedemann Vittorio (Medellín).
11	»	»	Monsig. Erbrick Giuseppe (Dallas-Förth Worth).
»			Monsig. Forliti Roberto (Dallas-Förth Worth).
	»	»	Monsig. Hartnett Donaldo (Dallas-Förth Worth).
			Monsig. McCoey Guglielmo (Dallas-Förth Worth).
			Monsig. McTamney Clair (Dallas-Förth Worth).
»	»		Monsig. Mulholland Carlo (Dallas-Förth Worth).
	»	»	Monsig. Smyth Guglielmo (Dallas-Förth Worth).
		»	Monsig. Szapka Edoardo (Dallas-Förth Worth).
			Monsig. Tschoepe Tommaso (Dallas-Förth Worth).
	»	»	Monsig. Weinzapfel Tommaso (Dallas-Förth Worth).

An. et vol. LVI 29 Decembris 1964 (Ser. IH, v. VT) - N. 16

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico — Città del Vaticano — *Administratio:* Libreria Editrice Vaticana

ACTA PAULI PP. VI

LITTERAE APOSTOLICAE

I

Sanctus Benedictus Abbas principalis totius Europae Patronus eligitur

PAULUS PP. VI

Ad perpetuam rei memoriam. — Pacis nuntius, unitatis effector, civilis cultus magister, maxime vero religionis christianae praeco et monasticae vitae in occidente auctor meritissimo Sanctus Benedictus Abbas praedicatur. Is, cum aliae Europae regiones, quo tempore Romanorum imperium vetustate corruptum dilabebatur, in tenebras videbantur incidere, aliae adhuc politioris humanitatis et spiritualium bonorum erant expertes, arduo molimine virtutis constantissimae suae effecit, ut nova veluti aurora eidem terrae continenti affulgeret. Cruce enim, libro, aratro, praecipue ipse per se et per filios suos gentibus, quae a Mari Mediterraneo usque ad Scandinaviam, ab Hibernia usque ad Polonorum loca patentia incolunt, christianum attulit cultum civilem (cfr. *A. A. S.*, 1947, p. 453). Cruce, id est lege Iesu Christi, privatae et publicae vitae instituta firmavit et auxit. Iuvat quoque memorare <(opere Dei », seu certa assiduaque precandi ratione, eum docuisse cultum divinum in humana consortione summi esse momenti. Sic igitur spiritualem illam unitatem Europae coagmentavit, qua quidem nationes, sermone, genere, ingenio diversae, unum populum Dei se esse sentiebant. Quae unitas, fideliter annitentibus monachis, disciplinae tanti parentis alumnis, peculiaris nota facta est mediae, quam vocant, aetatis. Illam,

quae, ut ait Sanctus Augustinus, «omnis pulchritudinis forma» est (cfr. *Ep.* 18, 2; *P.L.* 33, 85), lugenda rerum vicissitudine discissam, quotquot sunt bona praediti voluntate, restituere temporibus nostris conantur. Libro, seu ingenii cultu, idem venerabilis patriarcha, a quo tot monasteria nomen vigoremque traxerunt, vetera litterarum monumenta, cum liberales disciplinae artesque obruebantur caligine, diligenti cura servavit et ad posteros transmisit, atque doctrinas studiose excoluit. Aratro demum, seu re rustica, aliisque subsidiis loca vasta et hórrida in agros frugum feraces et hortos amoenos mutavit; et precationibus fabrilia iungens, secundum verba illa ((ora et labora », humano operi excellentiam addidit. Haud immerito ergo Pius Pp. XII Sanctum Benedictum « Europae patrem » appellavit (cfr. *A. A.* loc. mem.) ; cuius quidem terrae continentis populis ille amorem et studium recti ordinis inspiravit, in quo socialis vita eorum inniteretur. Hic Decessor Noster deinde exoptavit, ut tam incliti viri deprecatione Deus inceptis faveret eorum, qui gentes easdem verae fraternitatis vinculis copulare nituntur. Idem ut feliciter eveniret, etiam Ioannes Pp. XXIII amanti, qua enitebat, sollicitudine, ex animo concupivit. Atque Nos ipsi consilia huiusmodi, eo pertinentia, ut unitas inter Europae nationes foveatur, valde probamus. Qua de causa libenter concëssimus precibus, quibus plurimi ex variis Europae partibus Patres Purpurati, Archiepiscopi, Episcopi, Supremi Moderatores Ordinum et Congregationum religiosarum aliique insignes ex laicorum ordine viri Nos rogaverunt, ut Sanctum Benedictum Europae renuntiaremus Patronum. Cuius caelestis tutelae palam declarandae praeclara opportunitas Nobis praebetur, cum Montis Casini templum, anno MCMXLIV, bello per orbem terrarum saeviente, eversum, sed invicta pietate deinde reiectum, Deo in honorem Beatae Mariae Virginis et Sancti Benedicti hodie rursus consecramus. Quod quidem libenter peragimus, nonnullos Decessores Nostros in hoc imitati, qui eam religionis et vitae monasticae sedem, ob eiusdem Sancti Benedicti sepulchrum celeberrimam, per saeculorum decursum ipsi dedicarunt. Hic igitur praestantissimus Cáeles vota Nostra secundet, et ut olim lumine christiano tenebras dispulit pacisque bona impertiit, ita nunc Europae rebus praesit easque propitiatione sua maioribus in dies provehat incrementis. Itaque, ex Sacrae Rituum Congregationis consulto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum Sanctum Benedictum Abbatem totius Europae principalem apud Deum Caelestem *Patronum* constituimus ac declaramus, omnibus ad-

iectis honoribus ac privilegiis liturgicis, quae praecipuis locorum Patronis rite competunt. Contrariis quibusvis non obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere ; illisque, ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari ; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri,, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXIV mensis Octobris, anno MCMLXIV, Pontificatus Nostri secundo.

PAULUS PP. VI

II

Venerabilis Dei Famulus Aloisius Guanella, sacerdos, Congregationum Servorum a Caritate et Filiarum a S. Maria Providentiae fundator, Beatus renuntiatur.

PAULUS PP. VI

Ad perpetuam rei memoriam. — Caritatis praeconium quasi suavissimum melos nullo non tempore in Ecclesia resonat, quae in terrena hac peregrinatione munus persequitur divini sui Auctoris, qui ((misertus super turbam, pertransiit benefaciendo » (cfr. *Marc.* 8, 2; *Act.* 10, 38). Magnificentius autem caritas commendari videtur recentiore aetate, qua ob subortas quaestiones gravissimas, quae in re sociali vertuntur, immensum adaucta sunt officia et multiplicata opera eo pertinentia, ut indigentibus et afflictis in Christi nomine afferretur levamen. Inter sanctae vero Ecclesiae catholicae alumnos, qui ex hac parte temporibus, quae diximus, meritam laudem sibi pepererunt, eminet Aloisius Guanella, sacerdos, Congregationum Servorum a Caritate et Filiarum a Sancta Maria Providentiae conditor ac legifer pater, quem hodie Beatorum numero sollemni ritu accensemus. Quod laetantes peragimus, cum sic novum veluti sidus in Ecclesia refulgeat, atque gaudemus, quod tanti honores praestantissimo ei viro decernuntur, dum ex toto terrarum orbe Venerabiles Fratres in Episcopatu Romae adsunt ad celebrandum Concilium Oecumenicum Vaticanum Secundum, quod humanam familiam caritatis nuntio ac pastorali sollicitudine attingere nititur. Is ergo,

quem hodie singularem in modum colimus, natus est die undevicesima mensis Decembris anno millesimo octingentesimo quadragesimo secundo in remoto vico *Fraciscio,* qui pars est pagi montani *Campodolcino,* ubi sinuosis nexibus via fert ad iugum montis Spelucae, Italiam cum Helvetia pervio itinere coniungens. Nonus filius Laurentii Guanella et Mariae Bianchi, qui tenui agrorum cultura vitae rationibus consulebant quorumque vere christianum connubium tredecim natorum corona ornabatur, infantulus postero die sacro baptismate est ablutus. In paterna igitur domo quasi in virtutum palaestra et in loci illius amoenitate, divinae pulchritudinis velut imagine, adolevit. Cum esset puer septem annorum, Confirmationis Sacramento ad vitae certamen ineundum est compositus ac post annum dape Eucharistica primum refectus : tunc animus eius ita est incensus, ut, caelesti gratia praeventus, Iesu et Mariae se totum devovent. Qui oves parentum in pratis et saltibus alpinis pascebat, a Deo vocari se sensit ad oves Christi amanti cura sacerdotum sublevandas atque fovendas. Itaque, caris parentibus et viculo suo venusto relictis, Comi, in Collegio Gallio, ductu Clericorum Regularium a Somascha, anno millesimo octingentesimo quinquagesimo quarto studia ita coepit exercere, ut non solum in doctrina sed etiam in virtute magnos progressus efficeret. Humanitatis igitur disciplinis absolutis, in Seminario Sancti Abundii prius, in dioecesana sede theologiae discendae postea, exemplo sodalibus praelucens, ad sacerdotium se comparavit. E providentis Dei consilio Sanctum Ioannem Bosco et ((parvam domum » Sancti Iosephi Cottolengo, qui apostolica sollertia e caritate erant maxime insignes, tum cognovit; quorum instituta, ut ipse testatus est, admirabatur animoque studebat comprehendere. In rerum perturbatione, qua dioecesis Comensis ac tota Italia ad septemtriones vergens iis temporibus confiictabantur, Aloisius intrepide, alacriter, constanter ad altare Dei processit; die demum vicesima sexta mensis Maii anno millesimo octingentesimo sexagesimo sexto metam, quam ardenter concupiverat, attigit : sacerdotis munus ac dignitatem ea mente suscepit, ut Christo et Ecclesiae, non sibi serviret. In pago *Prosto,* quo a sacra auctoritate fuerat missus, ut archipresbytero aetate gravi esset a sacris adiutor, statim spirituales divitias, quibus amuebat, profundere coepit : scilicet iuventuti amice consuluit, aegrotos invisit, aerumnosos sublevavit, puerulos qua magister rudimenta docuit litterarum, quarum ignorantia populus tum laborabat. Post annum vero transactum, cum pagi *Savogno* pastor spiritualis esset renuntiatus, sacerdotale munus, se devovendi studio ac pietatis ardore

confirmatum, ita gessit, ut civium animos sibi conciliaret et religioso ac temporali respectu iis se praeberet benef actorem eximium. Ut nefastas doctrinas, quae tum disseminabantur, a populo propulsaret, scripta edidit, propter quae religionis osoribus fuit invidiae ; qua numquam se postmodum liberavit, ita ut parochus, non assentiente civili potestate, nominari nequiret. Natus autem ad fratres infirmos, debiles, derelictos iuvandos, Aloisius Episcopi permissu Augustam Taurinorum se recepit, ut Sancto Ioanne Bosco magistro caritatis uteretur; impulit etiam voluntas efficiendi, ut Comi institutum conderetur, quod secundum clarissimi illius viri disciplinam fieret egentium domicilium. Votis religiosis nuncupatis, cum eodem Sancto Ioanne Bosco triennium utiliter est conversatus, nihil omittens, quominus domus illa Comensis constitueretur; quae res, Deo disponente, tunc non successit. Tribus autem annis elapsis, Famulus Dei, Episcopo suo oboediens, a praeceptore illo aegerrime se divellit atque in dioecesim suam revertit. Ibi pluribus in locis plebem Dei spiritualibus provexit incrementis et officia, quibus doctrina catholica scriptis propagaretur, iuventus ad rectum et honestum institueretur, Sacramentorum usus increbresceret, geminavit. Tandem sub finem anni millesimi octingentesimi octogesimi primi in paroecia pagi *Piattello Lario* nuncupati, instituti, quod diu expetierat, initium fecit. Piam enim sodalitatem, a Carolo Coppini, loci pastore, inchoatam, cuius sociae, Filiae Mariae Immaculatae sub patrocinio Sanctae Ursulae et Sanctae Angelae Mericiae appellatae, puellis orphanis aliisque dolore vexatis operam dabant, regendam suscepit. Quae sodalitas, eo .annitente atque sororibus Marcellina et Clara Bosatta adiuvantibus, in religiosam Congregationem Filiarum a Sancta Maria Providentiae excrevit. Eidem hospitium illo in pago credidit, ubi christiana caritas foret omnibus mater. Pluribus deinde difficultatibus evictis, alterum hospitium idque amplius Comi aperuit pupillis, senibus, surdis, mutis, caecis, stolidis, iis videlicet, quos humana societas solet reicere. Quot angustias, quot aerumnas Famulus Dei in ea ((Domo Divinae Providentiae » excitanda sit perpessus, vix dici potest. Constitutiones quoque sapienter conscripsit, quas sorores ad adipiscendam sanctitatem et ad caritatis opera exsequenda servarent. Ut institutum suum, in dies vigesçens, et infirmis sexus virilis aptius prospiceret, Aloisius Congregationem Servorum a Caritate condidit et statutis firmavit, efilorescentis vitae religiosae auctor exsistens quo tempore leges civiles Ordinibus adversabantur ; atque ipse inter hos filios suos in ecclesia, quam honori Sacratissimi Cordis Iesu Comi exstruxerat, serius votorum sponsione Deo se

obligavit. ((Opus Aloisii Guanella » finibus dioecesis Comensis non amplius potuit contineri atque adeo plura in loca est propagatum. Chrir stiano enim ausu, non Immanis praesidiis, sed uni Divinae Providentiae fidens, nie sacerdos pauper, caelesti munere dives, eos, ubicumque poterat, conquisivit, qui maximis miseriis affligerentur, et domos sät multas constituit, quae caritatis quam amplissima receptacula forent. Qui Christi in terris Vicario obsequentissime adhaerebat, Famulus Dei, Romae tironibus agricolis et mulieribus dementia affectis huiusmodi praebuit domicilia ; sed, hortante Sancto Pio PP. X, Decessore Nostro, a quo valde diligebatur, arduum etiam opus est molitus, quod incolis frequentissimae regionis *Triumphans,* uti appellant, prodesset : scilicet templum Sancti Ioseph, quem potissimum excolebat, ibi excitavit in eoque piam sodalitatem a *Transitu* Sancti Ioseph pro animam agentibus instituit, qua totum orbem terrarum ad hos iuvandos vocavit et in quam ipse ille Summus Pontifex primo loco voluit ascribi. Ut fidem catholicam inter eos tueretur, qui ex Italia quaestus causa in Helvetiae finitimam regionem commigrabant, nonnullas ecclesias ibi aedificavit, sacerdotes suae Congregationis eligens, qui curam huiusmodi ((stationum catholicarum» agerent. Indefatigatum hunc apostolum caritatis Servus Dei Andreas Cardinalis Ferrari, prius Guastallensis et Comensis Episcopus, deinde Archiepiscopus Mediolanensis, Sancti Caroli Borromaei sectator et aemulus, praecipua benevolentia est prosecutus; cum eo domesticus usus fuit, ut de quibusdam mentionem faciamus, Ioanni Baptistae Scalabrini, Piacentino Episcopo, Iosepho Toniolo, Mario Chiri, Vico Necchi, Augustino Gemelli, cum esset Ecclesiae doctrinae socialis promotor industrius. Tot autem opera salutaria, tot praeclare facta e pietate, qua Famulus Dei inflammabatur, originem duxisse recte licet asseverari. « Preces fundere et pati » : haec verba continenter proferebat, haec in vitae usum ipse convertebat docebatque convertere filios suos ac filias in Christo. A peccato plane abhorrens, quod etiam a domibus suis longe abesse iubebat, singulari studio in Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum ferebatur; qui cultus ut in suis vigeret institutis, ei curae non modicae fuit. Vir sui immemor, simplex, **Candidus,** Domino et fratribus « in laetitia servire » (cfr. *Ps.* 99, 2) consueverat, sed simul voluntariis asperisque cruciatibus paenitentiae causa se exercebat. Quodsi has virtutes praedicamus, maxime tamen admiramur eius caritatem, cuius aestum nulla poterat exstinguere calamitas, nullum fastidium comprimere, nulla extenuare iniuria. Hic ignis divinus, quo pectus eius flagrabat, mire exsplenduit, cum, senio et adversa valetu-

dine laborans, in Marsicam regionem, terrae motu quassatam, accurrit, ut ingenti calamitate pressis opitularetur. In Foederatas quoque Civitates Americae Septemtrionalis se contulit, ut Italis, qui eo demigrarant, solacia et adiumenta praeberet eaque de causa instituti sui sedes ibi collocaret. Cum igitur ei datum esset colligere messem uberrimam, siquidem, ut ait Sanctus Laurentius Iustiniani, « ubi est caritas ibi et bonorum operum fecunditas » *(De triumphali Christi agone,* 14), egregius hic Servus caritatis, paralysi correptus, die vicesima quarta mensis Octobris anno millesimo nongentesimo quinto decimo Comi piissime obiit, praemium accepturus, quod iis promissum est, qui Christo in fratribus inopi et doloribus discruciato servierunt. Funere in cathedrali ecclesia Comensi ab Andrea Cardinali Ferrari, quem supra diximus, magna astante fidelium multitudine, honestissime celebrato, idem lectissimo Praesul tanto parente orbatos filios et filias est solatiis dicens eos habere protectorem in caelo et ((sanctum » conditorem. Percrebrescente autem hac sanctimoniae fama, quam Deus etiam miraculis visus est comprobare, Causa de Beatorum Caelitum honoribus Famulo Dei decernendis est acta; atque post ordinarios, quos appellant, processus, Commissio introductionis Causae a Pio PP. XII, Decessore Nostro, die quinta decima mensis Martii anno millesimo nongentesimo undequadragesimo obsignata. Apostolicis deinde inquisitionibus absolutis, de virtutibus theologalibus et cardinalibus Famuli Dei Aloisii Guanella est disceptatum; quas, omnibus perspectis et expensis, ab eodem heroum iii modum cultas esse Ioannes PP. XXIII, item Decessor Noster, lato Decreto die sexta mensis Aprilis anno millesimo nongentesimo sexagesimo secundo, edixit. Exercita deinde quaestione de miraculis, quae Famuli Dei nomine invocato a Deo ferebantur patrata, omnique re in suetis comitiis diligenter exquisita, Nos die quinta decima mensis Iulii hoc anno millesimo nongentesimo sexagesimo quarto de duobus prenuntiavimus constare. Unum igitur superfuit excutiendum, num Famulus Dei inter Beatos Caelites tuto foret recensendus. Quod quidem factum est. Purpurati enim Patres sacris Ritibus tuendis praepositi, Praelati Officiales Patresque Consultores id fieri posse cunctis sententiis affirmarunt. Quorum exceptis suffragiis Deoque enixis adhibitis precibus, Nos die prima mensis Septembris anno millesimo nongentesimo sexagesimo quarto ad Venerabilis Famuli Dei Aloisii Guanella sollemnem Beatificationem *tuto* procedi posse ediximus. Quae cum ita sint, Nos, vota Congregationum Servorum a Caritate et Filiarum a Sancta Maria Providentiae atque catholici populi explentes, harum Litterarum vi et auctoritate Nostra Apostolica, f acuì-

tatem facimus, ut Venerabilis Famulus Dei Aloisius Guanella, sacerdos, *Beati* nomine in posterum appelletur, eiusque corpus et lipsana seu reliquiae, non tamen in sollemnibus supplicationibus deferendae, publicae Christifidelium venerationi proponantur, atque etiam ut eiusdem Beati imagines radiis decorentur. Praeterea eadem auctoritate Nostra concedimus, ut de eo quotannis recitetur Officium de Communi Confessorum non Pontificum cum lectionibus propriis per Nos approbatis et Missa de eodem Communi cum orationibus propriis item probatis celebretur iuxta Missalis et Breviarii Romani rubricas. Huiusmodi vero Officii recitationem Missaeque celebrationem fieri dumtaxat largimur in dioecesi Comensi, cuius intra fines Beatus ipse ortus est diemque obiit supremum ; itemque in templis et sacellis ubique terrarum sitis, quibus utraque Congregatio a Beato eodem instituta utitur, ab omnibus Christifidelibus, qui horas canonicas recitare teneantur, et, quod ad Missas attinet, ab omnibus sacerdotibus, ad templa seu sacella, in quibus eiusdem Beati festum agatur, convenientibus. Largimur denique, ut sollemnia Beatificationis Venerabilis Aloisii Guanella, servatis servandis, praedictis in templis seu sacellis celebrentur, diebus legitima auctoritate statuendis, intra annum, postquam sollemnia eadem in Sacrosancta Patriarchali Basilica Vaticana fuerint peracta. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis nec non Decretis de non cultu editis ceterisque quibusvis contrariis. Volumus autem, ut harum Litterarum exemplis, etiam impressis, dummodo manu Secretarii Sacrae Rituum Congregationis subscripta sint atque eiusdem Congregationis sigillo munita, etiam in iudicialibus disceptationibus, eadem prorsus fides adhibeatur, quae Nostrae voluntatis significationi, hisce ostensis Litteris, haberetur.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXV mensis Octobris, dominica XXIII post Pentecosten, in festo D. N. Iesu Christi Regis, anno MCMLXIV, Pontificatus Nostri secundo.

& **HAMLETUS** I. Card. **CICOGNANI**
a publicis Ecclesiae negotiis

III

Titulus ac privilegia Basilicae Minoris paroeciali ecclesiae Sancti Godehardi in urbe Hildesia conferuntur.

PAULUS PP. VI

Ad perpetuam rei memoriam. — Hildesiae decus merito habetur templum paroeciale Sancto Godehardo, eius sedis Episcopo, dicatum, quod antiquitate, magnificentia, religione plurimum commendatur. Quae ecclesia, anno MCXXXITI exstrui coepta una cum continenti coenobio monachorum ex Ordine Sancti Benedicti, propter molis amplitudinem, structurae singularem venustatem, praeclara ornamenta artis peritorum animos ad se convertit. Sed pietatis etiam est domicilium egregium, siquidem ibi post dissolutum monasterium vita paroecialis viget et sacris ritibus agendis sedula cura adhibetur; id etiam memorandum, deleto bellica calamitate templo cathedrali Hildesheiensi, hanc Sancti Godehardi ecclesiam quindecim annos principem religionis sedem eius dioecesis fuisse. Quibus rebus permotus, Venerabilis Frater Henricus Maria Janssen, Hildesheiensis Episcopus, Nos rogavit, ut eiusdem ecclesiae honorem, Basilicae Minoris nomine ac iure tributo, benigne augeremus. Quibus precibus libenti animo obsecundantes, Nos, e Sacrae Rituum Congregationis consulto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum paroecialem ecclesiam, Deo in honorem Sancti Godehardi Hildesiae consecratam, ad dignitatem *Basilicae Minoris* evehimus, omnibus adiectis iuribus ac privilegiis, quae templis eodem nomine insignibus rite competunt. Contrariis quibusvis non obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere ; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere ; illisque, ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die VII mensis Decembris, anno MCMLXIII, Pontificatus Nostri primo.

© **HAMLETUS** I. Card. **CICOGNANI**
a publicis Ecclesiae negotiis

I V

S. Matthaeus Apostolus et Evangelista principalis Patronus Lusitanorum Militum aerariae rei tuendae, qui vulgo « Guarda Fiscal » appellantur, eligitur.

PAULUS PP. VI

Ad perpetuam rei memoriam. — Pastoralem curam et sollicitudinem eo, quemadmodum par est, intendimus, ut fideles in vitae actione ad pietatis rationes conformentur, maxime quod hac aetate non pauci homines a christianis desciscunt institutis et omnia fere ad materiam ac terrenam referunt utilitatem. Ex probato vero Ecclesiae usu patrocinium Caelitum constituitur populis vel peculiaribus ordinibus, ut fulgida Sanctorum exempla intueantur -et imitentur illorumque valido ob tegantur praesidio. Cum igitur Dilectus Filius Noster Emmanuel Sanctae Romanae Ecclesiae Presbyter Cardinalis Gonçalves Cerejeira, Lisbonensis Patriarcha, Nos rogasset, ut Lusitanos Milites rei aerariae tuendae addictos in Sancti Matthaei supernam trader^emus tutelam, Nos preces eiusmodi libenti admisimus animo, fore confisi, ut hi in eum, qui, in simili arte versatus, ((secutus est » Iesum *(Matth.* 9, 9), mentes studiose converterent. Quapropter, e Sacrae Rituum Congregationis consulto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum Sanctum Matthaeum Apostolum et Evangelistam Lusitanorum Militum aerariae rei tuendae, quibus vulgare nomen ((Guarda Fiscal » est, praecipuum apud Deum caelestem *Patronum* eligimus ac declaramus, omnibus adiectis honoribus ac privilegiis liturgicis, quae coetuum Patronis rite competunt. Contrariis quibusvis non obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere ; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere ; illisque, ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari ; sicque rite iudicandum esse ac definiendum ; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXV mensis Martii, anno MCMLXIV, Pontificatus Nostri primo.

© HAMLETUS I. Card. CICOGNANI
a publicis Ecclesiae negotiis

EPISTULAE

I

E.mo P. D. Gregorio Petro S. R. E. Cardinali Agagianian, Sacri Consilii Christiano Nomini Propagando Praefecto, quem Legatum a Latere mittit ad Eucharisticum Bombayensem ex omnibus gentibus Conventum.

PAULUS PP. VI

Dilecte Fili Noster, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Bombayae in urbe amplissima, quae est veluti porta Indiae, regionis illius latissimae, populo perfrequentis, civili cultu ab antiqua aetate nobilis, et post adeptam suis legibus vivendi potestatem ad novos progressus alacriter nitentis, proxime xxxvin ex omnibus Nationibus Conventus Eucharisticus, ut notum est, agetur. Cui, ut nuper in Petriano Templo annuntiavimus, Nos ipsi, auspice Deo perbrevi tempore intererimus eo consilio, ut augustum altaris Sacramentum in terra illa Indica sollemnissimo ritu propositum adoremus et hominibus ibi congregatis circa Principem pacis sub eucharisticis velaminibus dëlitescentem bonum nuntium afferamus eosque in fide sancta confirmemus.

Ut autem tanti momenti celebritates tunc etiam, cum aberimus, per Purpuratum Patrem, qui Nostram gerat personam, quodammodo participemus, hisce Litteris Te, Dilecte Fili Noster, ad huiusmodi munus obeundum asciscimus, id mandantes, ut qua Legatus Noster a Latere sollemnibus piisque coetibus praesideas. Cum enim notae sint excelsae mentis animique Tui dotes, non dubitamus, quin legationis officio ita sis functurus, ut gloria Dei propagetur et Ecclesiae utilitates obveniant nec paucae nec leves.

Grave quidem argumentum Conventui est pertractandum, quod nempe in consideranda Eucharistia vertitur, quatenus hominem reddit novum, ea quidem « novitate vitae)) *(Rom.* 6, 4), quae e gratia profluit divina : huius autem fons uberrimus est hoc ineffabile donum caeleste, in quo non solum gratia, sed ipse gratiae auctor accipitur.

« Novitate spiritus » *(Rom.* 7, 6) mundus his temporibus maxime opus habet, quibus homines materia veluti submergi videntur : ea novitas ex Indica illa ora, quasi ex scaturigine, novo impetu prosiliat et per universum orbem terrarum pervadat !

Doctrina autem de Sanctissima Eucharistia, e Sacris Bibliis et e Traditione hausta atque ab Ecclesia magisterio infallibili proposita ac defensa, tam locuples est atque tam luculenter et copiose explicata, ut

inaestimabilis thesaurus merito sit habenda et quasi sacra hereditas inviolabiliter servanda. In hanc profecto doctrinam qui mentem intendit, ad altitudinem divini consilii circa genus humanum et ad infinitae caritatis plenitudinem admirandam vehementer incitatur.

Est enim Eucharistia verum et perfectum sacrificium, videlicet non solum adorationem gratiasque Deo persolvens, sed etiam propitiatorium et impetratorium, siquidem in eo ((idem ille Christus continetur et incruente immolatur, qui in ara crucis semel se ipsum cruente obtulit)) (Conc. Trid., *Sess. XXII,* 2). Humili sed certa fide credimus id evenire per consecrationem panis et vini, qua fit conversio totius substantiae panis in substantiam corporis Christi et totius substantiae vini in substantiam sanguinis eius (Cfr. ib., *Sess. XIII,* 4). Ex hoc consequitur, ut statim post mirabilem illam et singularem conversionem, quam transsubstantiationem catholica Ecclesia apte appellat, non amplius panis et vinum, sed horum tantum species habeantur, sitque totus Christus, secunda Persona Sanctissimae Trinitatis, cum natura sua divina et humana sub utraque specie ((vere, realiter et substantialiter » praesens, donec utraque perdurat (cfr. ib., 8).

Alimonia deinde spiritualis est Eucharistia, quae efficit, ut, qui rite eam sumant, vita vivant illius, qui dixit : « qui manducat me et ipse vivet propter me » *(Io.* 6, 58) ; quae quidem verba « ipse vivet propter me », ut peculiaris sententia huic Conventui sunt proposita. Est denique hoc caeleste epulum etiam antidotum saluberrimum, quo animi infirmitatibus cotidianis medemur et contra assultus daemonis et cupidinum munimur.

Ei igitur, qui in augusto hoc Sacramento praesens adest et nobiscum « exsulibus filiis Evae)) conversatur, cultus non solum privatus sed etiam socialis iure est tribuendus. Hoc sensit Ecclesia, cum eucharistica sollemnia, sacras pompas et huiusmodi Conventus instituit.

Est denique Eucharistia unitatis signum et vinculum caritatis, secundum illud S. Pauli : « unus panis, unum corpus multi sumus, omnes, qui de uno pane participamus)) (/ *Cor.* 10, 17). Recte igitur monet S. Augustinus : ((Commendatur vobis in isto pane quomodo unitatem amare debeatis)) *(Serm.* 227; *PL* 38, 1100).

Votis igitur impensis Deum deprecamur, ut in isto Conventu flamma verae fraternitatis exardescat atque adeo ad effectum deducatur altera sententia eiusdem Eucharisticae Congressionis propria : « Ambulate in dilectione» *(Eph.* 5, 2).

Hanc enim mutuam necessitudinem aetate nostra homines bona prae-

diti voluntate expetunt, ad eam contendunt; eius vero praecipui electores oportet sint christiani, utpote quibus datum sit tanto Sacramento unitatis perfrui. Impelli hi se sentiant ad veram germanamque caritatem exercendam, quae scilicet non est indefinitus quidam humanitatis affectus, sed participatio caritatis Christi, qui « dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo » *(Eph.,* ibid.). Haec igitur caritas postulat se devovendi studium, postulat voluntariam iacturam rerum ac temporis, postulat tolerationem incommodi, ut fratres fame laborantes, doloribus pressi aliisque aerumnis affficti subleventur. Caritas, quae, divino igne intus urente, signum est christiani, qui vere proprieque dicitur, hoc perficit: ubi viget, vita florescit, ubi deest, pallet mors. Ea quaestiones gravissimae ad rem socialem spectantes, .quibus aetas nostra tantopere exagitatur, non modica ex parte solvuntur.

Mentem igitur ad urbem Bombayam convertentes, ubi dilectionis divinae munus supremum celebrabitur, Spiritum Sanctum invocamus, ut piis afflet inceptis, atque lumen et robur suum large diffundat.

Haec habuimus, quae ad Te, Dilecte Fili Noster, qui in eodem Conventu Eucharistico non solum Legatus Noster a Latere eris sed etiam veluti praecursor, scriberemus. Tibi demum Benedictionem Apostolicam ex animo impertimus, quam pertinere etiam volumus ad Bombayensem Cardinalem et Archiepiscopum, qui cum operis sociis sollertissime hanc celebrationem apparavit, ad ceteros Archiepiscopos et Episcopos, ad Magistratus, ad sacerdotes et fideles universos, eidem Conventui interfuturos.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die xi mensis Novembris anno MCMLXIV, Pontificatus Nostri secundo.

PAULUS PP. VI

II

Ad E.mum P. D. Gregorium Petrum S. R. E. Cardinalem Agagianian, Sacri Consilii Fidei Propagandae Praefectum, quem, Bombayensi Eucharistico Conventu ex omnibus gentibus coacto, Goam mittit, S. Francisci Xaverii sacras veneraturum exuvias.

In Bombayensi Eucharistico Conventu ex omnibus gentibus tu, Dilecte Fili Noster, Legatus Noster a latere praeeris. Quod tibi mandantes munus, praegrave scilicet et honorificum, per Apostolicas Lit-

teras die xi mensis Novembris hoc anno datas, quaenam esset celebritatum illarum causa praecipua, apertis significavimus verbis : nempe « ut augustum altaris Sacramentum in terra illa Indica sollemnissimo ritu propositum adoremus et hominibus ibi congregatis circa Principem pacis sub Eucharisticis velaminibus delitescentem bonum nuntium afferamus eosque in fide sancta confirmemus ».

Qui ut concentus adorationis et laudis erga SS. Eucharistiam plenior sit atque dignior, hoc consilium cepimus, ut. S. Franciscus Xaverius, Apostolus Indiae, quodam modo eius sit particeps. Quapropter hoc decrevimus ut diebus, quibus illic Nos praesentes aderimus, tu Goam petas, sacras exuvias eiusdem Evangelii praeconis sanctissimi veneraturus et eius impetraturus tutamen, praesidium, lucis opem, ut Eucharistica Congressio feliciter cedat et dilectae sibi Indiae fructus fidei et pietatis maturandos linquat uberrimos.

Tibi dum mandatum credimus, Apostolicam Benedictionem, caelestium munerum pignus, peramanter impertimus.

Ex Aedibus Vaticanis, die xvin mensis Novembris anno MCMLXIV, Pontificatus Nostri secundo.

PAULUS PP. VI

NUNTII GRATULATOMI

I

Ad Exc.mum P. D. Patricium Aloisium O'Boyle, Archiepiscopum Vashingtonensem, Catholicae Studiorum Universitatis Americae Cancellarium, septuagesimo quinto volvente anno ab illo Athenaeo constituto.

Cum Catholica Studiorum Universitas Americae, cuius tu, Venerabilis Frater, Cancellarii munere fungens, septuaginta et quinque a suo ortu annos celebratura sit, opportunum tempus venisse et occurrisse Nobis videtur gratulationes, comprobationes et precationes salutares ei palam exhibendi. Hoc quidem perlibenter facimus, quia a lineis Decessorum Nostrorum, huiusmodi aperto testimonio benevolentiae et egregiae existimationis, non excedimus, immo vestigiis presse insistimus ipsorum, apud quos istud magnum doctrinarum domicilium apprime

earum est habitum. Conditum faustis et bene ominatis auspiciis Leonis XIII, qui postea eius constitutionis leges sanxit, a Pio X, a Pio XI et a Pio XII gravia praeconia laudis accepit,-quorum repercussio adhuc penitus istic docentium et discentium animos recordationemque suaviter commovet. Nec immerito id contigit. Enimvero ista Studiorum Universitas singulari elucet honore arctissimae coniunctionis cum Ecclesiastica Hierarchia Foederatarum Americae Civitatum et cum Apostolica Sede, ita ut pontificia appellari possit. Ad Romanam Cathedram, a qua divinarum humanar umque rerum cum divinis coniunctarum illimis et pura docetur veritas, iugi devotoque obsequio mentis oculos convertens et inde robur, tutamen, spem hauriens, virtutum soliditate et famae splendore percrevit.

-Omnium disciplinarum et artium sedes inclita, quae ita traduntur, ut christiana sapientia quasi sol inter minores ignes caeli resplendeat, hanc praecipuam ponit curam, ut non tantum eruditione plane erudiantur ingenia et disciplinae technicae edoceantur, sed ii qui ad studium vitae istinc exeunt caritatis et iustitiae, strenuitatis, constantiae studio incalescant, iidemque ad commune Civitatis emolumentum et ornamentum provehendum, in auctum gloriae catholici nominis, incitentur et parentur. Qui usque adhuc uberes parti sunt in variis diversisque campis fructus, sicut arbori abhinc quindecim lustra satáe gloriae vertunt, ita spondent in aevum incrementa futura esse, quae Nos vehementer optamus usque feliciora. Quod prospici iubet spes, fiat prosperrimo exitu res ad opus perficiendum magis magisque egregium et eximium, certatim connitentibus omnium, quorum id interest, propositis vitae et iugis concordiae studiis.

Dominus Iesus Christus, Sapientia quae ex ore Altissimi prodivit, Verbum Patris, splendor gloriae et figura substantiae eius, cui ista pernobilis doctrinarum sedes est sacra, sive doctoribus, sive disciplinarum alumnis — omnibus unico nomine in sui ipsius, unius Magistri, schola condiscipulis — effusiorem usque hanc sapientiam, hanc prudentiam et scientiam, hunc vigorem virtutis largiatur.

Haec imo e pectore ominati, gavisi sane animi Nostri propenso obsecundare affectui, tibi, Venerabilis Frater, Catholicae Studiorum Universitatis Americae diligentissimo Moderatori, cunctarum disciplinarum praeceptoribus eorumque alumnis, iis praeterea, qui statutis celebritatibus ad recolendam sollemnem anniversariam memoriam una simul convenient, ac denique Universitatis eiusdem amicis et auxilia-

foribus Apostolicam Benedictionem, supernorum conciliatricem donorum, perlibenter impertimus.

Ex Aedibus Vaticanis, die **III** mensis Octobris, anno MCMLXIV, Pontificatus Nostri secundo.

PAULUS PP. VI

II

Ad E.mum P. D. Petrum Tatsuo S. R. E. Cardinalem Doi, Archiepiscopum Tokiensem, ob sollemnem in urbe Japoniae capite novi templi principis peragendam dedicationem.

Tokiensi, in urbe Japoniae capite imperiosa, florentissima, nobilissima, proxime in festo B. Mariae Virginis Immaculatae novi templi principis, in tui honoris sede, sollemnis dedicatio peragetur.

Quod diu erat in spe, prospero faustoque exitu ad rem deductum est. Ad caelum igitur se extollit ardua moles novae sacrae aedis, Kenzo Tange periti fabricatoris opus, in cuius structura et lineamentis nova et vetera, nativae regioni propria artis principia et aliunde accepta antiqui instituti translaticia elementa pulchro aptoque foedere cohaerent. Idem vero opus ad effigiem Crucis sapienter accommodatum Christum in Calvariae ara omnia ad se trahentem et pro loco peramplam civitatem amplectentem manifesta significatione prae se fert.

In huiusmodi encaeniis decet sane vocem Nostram, laetitiae plenam, insonare et bona proferre omina, quia quemadmodum trepidis votis a fundamentis consurgens templum longe cogitabamus, ita nunc ad culmen exstructum, absolute perfectum patensque salutamus.

Hac de re ante omnia valde gratulamur tibi, Dilecte Fili Noster, qui de praeclaro incepto curas egisti sollertes; gratulamur iis qui sive in Japonia, sive apud externas nationes, huius rei causa adiumenta stipemque corrogarunt, nominatim vero Cardinali Iosepho Frings, Coloniensi Archiepiscopo, eiusque clero et christiano populo, qui probanda certatione et munifica largitate ob id contulerunt opes. Tam piae magnificentiae numquam interibit et eximetur memoria : ipsaque saxa loquuntur et loquentur praestantiam et claritatem accepti beneficii, quod quidem inter utrasque Ecclesias vinculum nodavit fraternum, aliis quoque in posterum rari aemulationem exempli praebiturum.

Nos novae aedis sacrae consecrationem auspicio optimo exoptamus

contingere; et adeo ei caelestium munerum precamur copiam largifluam, ut ea, vere domus Dei et porta caeli, tabernaculum Dei cum hominibus, immunis a nocumentis et ruinis in aevum servetur, intacta persistat, religionis cultu sit venerabilis, frequentia fidelium insignis. Quisquis istud templum petiturus ingressus erit, ea quae postulaverit impetrasse laetetur. Deerrans ibidem inveniat viam, anceps consilium, anxius securitatem, sons veniam, aeger solamen, caecus lucem, pius adauctae fidei fervorem ; se alium et meliorem quam cum intraverit quisquis exiens se sentiat, atque earum usque sibi habeat istud pacis confugium. « Pax aeterna ab Aeterno huic domui. Pax perennis, Verbum Patris, sit pax huic domui, pacem pius consolator huic praestet domui » *(In Ecclesiae dedicatione).*

Haec libenti amantique animo cupientes, volumus novae sacrae aedi, Nobis carissimae, liturgicum Calicem, affabre caelatum, dono destinare, quod mnemosynum erit Nostrum et dedicationis eius perpetuum.

Tibi denique, Dilecte Fili Noster, ceterisque Antistitibus, viris civili potestate praecellentibus, sacerdotibus et christifidelibus, qui rite consecrando templo isti B. Mariae Immaculatae dedicato intererunt, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die x mensis Novembris anno MCMLXIV, Pontificatus Nostri secundo.

PAULUS PP. VI

ALLOCUTIONES

I

Praeclaris Viris qui interfuerunt decimae Sessioni vulgo « du Marché International du film, du film télévisé et du documentaire ». *

Chers Messieurs,

Nous sommes très touché qu'à l'occasion de la dixième session du marché international du film, du film télévisé, et du documentaire, vous ayez voulu venir Nous rendre visite au Vatican, où Nous sommes heureux de vous souhaiter la bienvenue. Et tout d'abord Nous saluons le dévoué secrétaire de la foire de Milan, promoteur d'innombrables initiatives ; Nous connaissons et apprécions ses multiples activités, spé-

*** Die 23 mensis Octobris a. 1964.**

ciiilement depuis Notre séjour dans la métropole lombarde. Puis le président bien connu de l'association nationale des industries cinématographiques et apparentées, et le délégué du bureau international du cinéma. Et enfin, c'est à vous tous, distingués représentants du bureau international du cinéma, de l'union internationale d'exploitation cinématographique, que s'adresse Notre cordial souhait de bon accueil, et à travers vos personnes, aux organismes et aux pays que vous représentez.

Vous êtes tous, les uns et les autres, au service de cette nouvelle manifestation de l'esprit moderne, art aussi bien qu'industrie, qu'est le cinéma. Le cinéma est désormais un fait qui a pris des proportions gigantesques, et qui imprègne la vie dans ses multiples manifestations récréatives, culturelles, pédagogiques, artistiques, morales, etc. L'Eglise, vous le savez, s'intéresse de près à cette activité multiforme. Les Papes Pie XI, Pie XII et Jean XXIII, et Nous-même à leur suite, n'avons pas manqué de noter la place que le cinéma occupe dans le monde actuel, et de souligner toutes les conséquences de cet état de choses. Le Concile œcuménique lui-même a tenu à établir un document solennel consacré aux techniques des communications sociales, parmi lesquelles le cinéma occupe une place de choix, et Nous avons eu plaisir à le promulguer. C'est vous dire que le cinéma, loin d'être étranger à l'Eglise, est reconnu par elle dans son originalité propre.

Votre activité, chers Messieurs, est consacrée au marché du cinéma; son importance résulte de l'extraordinaire diffusion des films à travers le monde et quiconque est témoin de l'ampleur de ce phénomène ne peut rester insensible à ses répercussions sur la vie de nos contemporains. Nul n'ignore qu'un film ne peut être réalisé qu'avec des moyens financiers considérables. Et un producteur ne se risquera à subventionner une œuvre, que s'il est moralement assuré d'une vaste diffusion de celle-ci. C'est là qu'est grande l'influence des distributeurs ; leur responsabilité est directement engagée quant à la valeur, esthétique et morale, des réalisations. Il est bien clair en effet qu'aucun producteur de film ne se hasarderait dans des entreprises dont il saurait à coup sûr qu'elles ne seraient pas reçues dans le public, lorsque le marché du cinéma se refuserait — à bon droit d'ailleurs — à véhiculer des pellicules qui ne manifestent que mépris pour les valeurs les plus sacrées de la personne et de la famille.

Chers Messieurs, Nous n'avons pas besoin d'insister. Nous voulions simplement vous dire que vos responsabilités sont grandes; que vos décisions sont lourdes de conséquences pour l'élévation — ou l'abaisse-

ment — du niveau culturel et moral de l'humanité, et qu'elles ont de graves répercussions sur les familles, et en particulier sur les jeunes.

Nous sommes sûr que vous Nous avez compris, et que vous aurez toujours plus à cœur d'être fidèles à ces exigences de votre noble activité. C'est dans ces sentiments que bien volontiers Nous appelons sur vous et les vôtres l'abondance des divines grâces, en gage desquelles Nous vous accordons Notre paternelle Bénédiction Apostolique.

II

Patribus Cardinalibus habita, Praesulibus, rei publicae Moderatoribus, Benedictinis Monachis et christifidelibus e laicorum ordine, qui sollemni ritui adfuerunt, quo reiectum post bellum Archicoenobii Casinensis templum a Summo Pontifice consecratum est. *

Signori Cardinali! Venerati Confratelli Arcivescovi e Vescovi! Reverendo Abate di questo celeberrimo monastero! Illustri Signori insigniti di autorità civile e militare! e voi Sacerdoti e Monaci e Religiosi qui presenti! voi Studenti ospiti di questa casa! voi Fedeli e Pellegrini tutti venuti a questo incontro!

Quale saluto vi rivolgeremo Noi, se non quello consueto della pietà cristiana, quello che qui sembra avere la sua espressione più vera e più familiare : *Pax huic domui, et omnibus habitantibus in ea!* pace a questa casa e a tutti quelli che vi hanno dimora.

Qui la pace troviamo, come invidiato tesoro nella sua più sicura custodia ; qua la pace rechiamo, come ottimo dono del Nostro ministero apostolico, che fatto dispensatore dei misteri divini offre con amorosa prodigalità quell'effusione di vita, ch'è la grazia, prima sorgente di pace e di gaudio. Qui la pace celebriamo, come luce risorta, dopo che il turbine della guerra ne aveva spenta la fiamma pia e benefica.

Pace a voi, Figli di San Benedetto, che di nome così alto e soave fate emblema dei vostri monasteri, scrivete sulle pareti delle vostre celle e lungo gli ambulacri dei vostri chiostri, ma ancor meglio imprimete come legge soave e forte nei vostri animi e lasciate trasparire quasi sublime stile spirituale nell'elegante gravità dei vostri gesti e delle vostre persone.

Pace a voi, alunni di questa scuola del divino servizio e della sincera

* **Die 24 mensis Octobris a. 1964.**

sapienza, che qui la respirate la pace, come atmosfera tonificante ogni buon pensiero, ogni buon volere, e fate un'esperienza, che riassume ogni pedagogia, essere la pace di Cristo principio e termine d'ogni umana pienezza, riflesso qual **è** del pensiero di Dio sulle'nostre cose.

Pace a voi, Signori della città terrena, che avete l'intelligenza e il coraggio (tali virtù infatti sono necessarie per salire quassù !) di cercare in questo domicilio, come in una fresca e segreta sorgente, quella forza spirituale che quanto più sembra estranea alle vostre faccende temporali tanto più proprio per loro si palesa necessaria, ed è la virtù morale, è la speranza che le trascende e le riscatta dalla loro tragica vanità, è la bontà, in cui vorrebbe ogni sforzo umano risolversi e di cui il salmodiante colloquio con Dio possiede la sintesi estrema.

E pace a voi, fratelli della santa Chiesa, che venendo oggi con Noi su questa sacra montagna, sentite gli animi invasi dal corteo dei ricordi antichi, delle tradizioni secolari, dei vessilli della cultura e dell'arte, delle figure dei Pastori, degli Abati, dei Monarchi e dei Santi, sentite, come torrente placato in fiume maestoso, dalla voce incantatrice e misteriosa, la storia che passa, la civiltà che si genera e si descrive, la cristianità che si affatica e si afferma ; sentite qui vivo il respiro della Chiesa cattolica. Porse la memoria mormora anche dentro le vostre menti le parole che Bossuet rivolgeva ad un grande benedettino, il Mabillon : «Je trouve dans l'histoire de votre saint ordre ce qu'il y a de plus beau dans celle de l'Eglise w.[1]

La virtù generatrice della pace

Ma fra le tante impressioni, che questa casa della pace suscita ora nei nostri spiriti, una pare dominare sulle altre; ed è la virtù generatrice della pace. Spesso avviene che, siccome all'idea di pace si connette quella della tranquillità, della cessazione dei contrasti e della loro risoluzione nell'ordine e nell'armonia, siamo facilmente indotti a pensare la pace come l'inerzia, il riposo, il sonno, la morte. E vi è tutta una psicologia, con la relativa documentazione letteraria, che accusa la vita pacifica d'immobilità e di pigrizia, di inettitudine e d'egoismo, e che vanta al contrario la lotta, l'agitazione, il disordine e perfino il peccato come sorgente di attività, di energia, e di progresso.

Qui invece la pace ci appare altrettanto vera che viva ; qui ci appare

[1] *Œuvres,* **XI, 107.**

cattiva e feconda. Qui si rivela nella sua capacità, estremamente interessante, di ricostruzione, di rinascita, di rigenerazione.

Parlano queste mura. È la pace che le ha fatte risorgere. Come ancora ci sembra incredibile che la guerra abbia avuto contro questa Abbazia, incomparabile monumento di religione, di cultura, di arte, di civiltà, uno dei gesti più fieri e più ciechi del suo furore, così non ci pare vero di vedere oggi risorto il maestoso edificio, quasi esso volesse illuderci che nulla è accaduto, che la sua distruzione fu un sogno e che possiamo dimenticare la tragedia che ne aveva fatto un ammasso di rovine. Fratelli, lasciateci piangere di commozione e di gratitudine. Per dovere del Nostro ufficio presso Papa Pio XII, di venerata memoria, Noi siamo bene informati testimoni di quanto la Sede Apostolica fece per risparmiare a questa fortezza non delle armi, ma dello spirito, il grave oltraggio della sua distruzione. Quella voce supplichevole e sovrana, inerme vindice della fede e della civiltà, non fu ascoltata. Montecassino fu bombardato e demolito. Uno degli episodi più tristi della guerra fu così consumato. Non vogliamo ora farci giudici di coloro che ne furono causa. Ma non possiamo ancora non deplorare che uomini civili abbiano avuto l'ardire di fare della tomba di San Benedetto bersaglio di spietata violenza. E non possiamo contenere la nostra letizia vedendo oggi che le rovine sono scomparse, che le sacre pareti di questa Basilica sono risorte, che la mole austera dell'antico monastero ha ripreso figura nel nuovo. Benediciamo il Signore !

È la pace che ha compiuto il prodigio. Sono gli uomini della pace che ne sono stati magnifici e solleciti operatori. Noi dobbiamo loro attribuire, in premio dell'opera loro, la beatitudine che li insignisce figli di Dio. ((Beati i pacifici, dice Cristo Signore, perché saranno chiamati figli di Dio » .[2]

Beati gli operatori della pace. Vogliamo esprimere il Nostro elogio a quanti hanno merito in questa gigantesca opera di ricostruzione. Il Nostro pensiero va all'Abate di questo Monastero ; va ai suoi collaboratori ; va ai benefattori ; va ai tecnici, va alle maestranze ed ai lavoratori. Un particolare riconoscimento è dovuto alle Autorità italiane, le quali hanno prodigato cure e mezzi quanto occorrevano, aftinché qui l'azione della pace trionfasse sulla azione della guerra. Montecassino è diventato così il trofeo di tutta l'immane fatica compiuta dal popolo italiano per la ricostruzione di questo diletto Paese, terribilmente straziato da un

'*Matth.* 5, 9.

capo all'altro del suo territorio, e, per divina assistenza e per virtù dei suo figli, risorto più bello e più giovane.

Così celebriamo la pace. Vogliamo qui, quasi simbolicamente, segnare l'epilogo della guerra ; Dio voglia : di tutte le guerre ! Qui vogliamo convertire « le spade in vomeri e le lance in falci » ;[3] le immense energie, cioè, impiegate dalle armi a uccidere e a distruggere, devolvere a vivificare ed a costruire; e per giungere a tanto, qui vogliamo rigenerare nel perdono la fratellanza degli uomini, qui abdicare la mentalità che nell'odio, nell'orgoglio e nell'invidia prepara la guerra, e sostituirla col proposito e con la speranza della concordia e della collaborazione ; qui disposare alla pace cristiana la libertà e l'amore. La lampada della fraternità abbia sempre a Montecassino il suo lume piò ed ardente.

Ma soltanto per virtù della sua ricostruzione materiale Montecassino polarizza questi voti, nei quali Ci sembra racchiuso il senso della nostra storia contemporanea e futura? No, certo. È la sua missione spirituale, che trova nell'edifìcio materiale la sua sede ed il suo simbolo, che a ciò lo qualifica. È la sua capacità di attrazione e di irradiazione spirituale, che popola la sua solitudine delle energie, di cui ha bisogno la pace del mondo.

Vita monastica e mondo moderno

E qui, fratelli e figli, il Nostro discorso dovrebbe farsi apologia dell'ideale benedettino. Ma vogliamo ben supporre che quanti Ci circondano già siano informati della sapienza che anima la vita benedettina, e che coloro che la professano ne conoscano a fondo le intime ricchezze e ne alimentino in se stessi le severe e gentili virtù. Ne abbiamo Noi stessi fatto oggetto di lunghe riflessioni ; ma parrebbe a Noi superfluo e quasi presuntuoso farne ora parola. Altri ne discorra e sveli qualche incantevole segreto di un simile genere di vita, qui tuttora superstite e fiorente.

A Noi è dato portare ora altra testimonianza, che non quella sull'indole della vita monastica ; e la esprimiamo in un semplice enunciato : la Chiesa ha bisogno ancor oggi di cotesta forma di vita religiosa; il mondo ancor oggi ne ha bisogno. Ci dispensiamo di recarne le prove, che del resto ciascuno vede scaturire da sè dalla sola Nostra affermazione : sì, la Chiesa ed il mondo, per differenti ma convergenti ragioni, hanno bisogno che San Benedetto esca dalla comunità ecclesiale e sociale,

[3] *Is.* 2, 4.

e si circondi del suo recinto di solitudine e di silenzio, e di lì ci faccia ascoltare l'incantevole accento della sua pacata ed assorta preghiera, di lì quasi ci lusinghi e ci chiami alle sue soglie claustrali, per offrirci il quadro d'un'officina del «divino servizio», d'una piccola società ideale, dove finalmente regna l'amore, l'obbedienza, l'innocenza, la libertà dalle cose e l'arte di bene usarle, la prevalenza dello spirito, la pace in una parola, il Vangelo. San Benedetto ritorni per aiutarci a ricuperare la vita personale; quella vita personale, di cui oggi abbiamo brama ed affanno, e che lo sviluppo della vita moderna, a cui si deve il desiderio esasperato dell'essere noi stessi, soffoca mentre lo risveglia, delude mentre lo fa cosciente.

Ed è questa sete di vera vita personale, che conserva all'ideale monastico la sua attualità. Così lo comprendesse la nostra società, questo stesso nostro Paese, in altri tempi tanto propizio alla formula Benedettina della perfezione umana e religiosa, ed ora forse meno degli altri fecondo di vocazioni monastiche. Correva l'uomo una volta, nei secoli lontani, al silenzio del chiostro, come vi corse Benedetto da Norcia, per ritrovare se stesso *(in superni Spectatoris oculis habitavit secum,* ci ricorda S. Gregorio Magno, biografo di S. Benedetto) : ma allora questa fuga era motivata dalla decadenza della società, dalla depressione morale e culturale d'un mondo, che non offriva più allo spirito possibilità di coscienza, di sviluppo, di conversazione ; occorreva un rifugio per ritrovare sicurezza, calma, studio, preghiera, lavoro, amicizia, fiducia.

Il recupero dell'uomo

Oggi non la carenza della convivenza sociale spinge al medesimo rifugio, ma l'esuberanza. L'eccitazione, il frastuono, la febbrilità, l'esteriorità, la moltitudine minacciano l'interiorità dell'uomo; gli manca il silenzio con la sua genuina parola interiore, gli manca l'ordine, gli manca la preghiera, gli manca la pace, gli manca se stesso. Per riavere dominio e godimento - spirituale di sè ha bisogno di riaffacciarsi al chiostro Benedettino.

E ricuperato l'uomo a se stesso nella disciplina monastica è ricuperato alla Chiesa. Il monaco ha un posto d'elezione nel Corpo mistico di Cristo, una funzione quanto mai provvida ed urgente. Ve lo diciamo, esperti e desiderosi come siamo di avere sempre nella nobile e santa Famiglia Benedettina la custodia fedele e gelosa dei tesori della tradizione cattolica, l'officina degli studi ecclesiastici più pazienti e severi, la palestra delle virtù religiose, e soprattutto la scuola e l'esempio

della preghiera liturgica, che amiamo sapere da voi, Benedettini di tutto il mondo, tenuta sempre in altissimo onore, e che speriamo sempre lo sarà, come a voi si conviene, nelle sue forme più pure, nel suo canto sacro e genuino, e per il vostro divino officio nella sua lingua tradizionale, il nobile latino, e specialmente nel suo spirito lirico e mistico. La recentissima Costituzione conciliare *de saera Liturgia* attende da voi una adesione perfetta ed un'apologia apostolica. Avete davanti a voi un compito grande e magnifico; la Chiesa di nuovo vi innalza sul candelabro, perché sappiate illuminare tutta la « casa di Dio » alla luce della nuova pedagogia religiosa che tale Costituzione intende instaurare nel popolo cristiano; fedeli alle venerate ed autentiche tradizioni, e sensibili ai bisogni religiosi del nostro tempo, vi renderete ancora una volta benemeriti d'aver immesso nella spiritualità della Chiesa la vivificante corrente del vostro grande maestro.

Noi non diremo nulla adesso della funzione che il monaco, l'uomo ricuperato a se stesso, può avere, non solo rispetto alla Chiesa — come dicevamo —, ma al mondo; al mondo stesso, che egli ha lasciato, ed a cui rimane vincolato per le nuove relazioni, che la sua lontananza stessa viene a produrre con lui : di contrasto, di stupore, di esempio, di possibile confidenza e segreta conversazione, di fraterna complementarietà. Diciamo soltanto che questa complementarietà esiste, e assume un'importanza tanto maggiore quanto più grande è il bisogno che il mondo ha dei valori custoditi nel monastero, e vede non a lui rapiti, ma a lui conservati, a lui presentati, a lui offerti.

Fede e unità

Voi Benedettini lo sapete dalla vostra storia specialmente; e il mondo lo sa, quando voglia ricordarsi di ciò che a voi <Jeve, di ciò che da voi tuttora può avere. Il fatto è così grande ed importante che tocca l'esistenza e la consistenza di questa nostra vecchia e sempre vitale società, ma oggi tanto bisognosa di attingere linfa nuova alle radici, donde trasse il suo vigore ed il suo splendore, le radici cristiane, che S. Benedetto per tanta parte le diede e del suo spirito alimentò. Ed è un fatto così bello che merita ricordo, culto e fiducia. Non già perché si debba pensare ad un nuovo Medio-evo caratterizzato dall'attività dominante dell'Abbazia Benedettina; ora tutt'altro volto danno alla nostra società i suoi centri culturali, industriali, sociali e sportivi ; ma per due capi che fanno tuttora desiderare la austera e soave presenza di S. Benedetto fra noi : per la fede, ch'egli e l'Ordine suo predi-

carono nella famiglia dei popoli, in quella specialmente che si chiama Europa ; la fede cristiana, la religione della nostra civiltà, quella della santa Chiesa, madre e maestra delle genti ; e per l'unità, a cui il grande Monaco solitario e sociale ci educò fratelli, e per cui l'Europa fu la cristianità. Fede ed unità : che cosa di meglio potremmo desiderare ed invocare per il mondo intero, e in modo particolare per la cospicua ed eletta porzione, che, ripetiamo, si chiama Europa? Che cosa di più moderno e di più urgente? e che cosa di più difficile e contrastato? che cosa di più necessario e di più utile per la pace?

Ed è perché agli uomini di oggi, a quelli che possono operare e a quelli che solo possono desiderare sia ormai intangibile e sacro l'ideale dell'unità spirituale dell'Europa, e non manchi loro l'aiuto dall'alto per realizzarlo in pratici e provvidi ordinamenti, che abbiamo voluto proclamare San Benedetto Patrono e protettore dell'Europa.

III

Habita in Basilica Vaticana Clero et Christifidelibus adstantibus, iis praesertim qui Romam peregrinati sunt, ut sollemni ritui Beatificationis Venerabilis Famuli Dei Aloisii Guanella interessent. *

Vogliamo adesso salutare quanti con Noi esultano della beatificazione di Don Luigi Guanella : il Vescovo di Como per primo, che vede la sua grande ed anche a Noi carissima diocesi risplendere di così bella e sua propria luce di santità ; e sono col degno e fortunato Pastore i rappresentanti del comune di Campodolcino, nel cui territorio, a Fraciscio, il Beato ebbe i natali : bella borgata alpestre, da Noi più volte percorsa, quando visitammo la Casa Alpina dell'Alpe Motta, e fu una volta per benedirvi la grande statua alla Madonna d'Europa eretta alle falde delle nevi alpine, e poi di nuovo scendendo a rendere omaggio, oltre Pianazzo, alla Madonna di Gallivaggio. Così certamente meritano il Nostro saluto i Fedeli, qui presenti, di Prosto, di Savogno, di Traona, di Gravedona, di Olmo, di Pianello, dove Don Guanella esercitò il suo ministero pastorale e iniziò l'opera sua. Lo meritano i Salesiani di Don Bosco, il quale fu grande maestro ed amico al nuovo Beato e, con il suo insegnamento ed il suo esempio, lo aiutò a determinare la sua vocazione di Fondatore. Così

*** Die 25 mensis Octobris a. 1964.**

alle Autorità ed ai Fedeli di Como, di Sondrio e di tutta la Val Tellina l'espressione della Nostra compiacenza e dei Nostri voti.

Ma in questo momento il Nostro pensiero va in modo speciale alle Famiglie Religiose fondate da Don Guanella : i Servi della Carità, e le Figlie di Santa Maria della Provvidenza, che vediamo qui festanti in grande numero, e che sono gli uni e le altre ben noti anche a Roma, dove essi prodigano mirabili fatiche in due Parrocchie e in diverse case di assistenza. Va gioioso e paterno il Nostro pensiero alle Case di formazione dei Servi della Carità, alle loro Scuole e alle loro opere per la Gioventù (ricordiamo fra tutte il complesso di istituzioni intorno alla nuova e bella chiesa di San Gaetano, da Noi consacrata, a Milano) ; va agli Istituti per gli anormali, per i poveri, per gli anziani, alle Colonie marine e montane e alle lontane Missioni, ai Santuari assistiti dai Figli di Don Guanella. E così abbiamo in questa ora benedetta presenti allo spirito le innumerevoli istituzioni di pietà, di educazione, di assistenza, in Italia e all'Estero, dove le ottime e pie Figlie di Santa Maria della Provvidenza, silenziosamente, assiduamente danno della carità di Cristo splendida testimonianza.

Quali eserciti di seguaci e di preferiti del Vangelo ! quale popolazione di bambini, di ragazzi e ragazze, di giovani, di lavoratori, di fedeli, di sofferenti, di malati, di infelici, di vecchi, vediamo intorno a Don Guanella, ed ora tutti con lo sguardo rivolto verso di Noi : quale popolo della carità ! quale città di Cristo ! quale giardino di fervore, di dolore e di amore ! Vi salutiamo, carissimi tutti ; vorremmo a ciascuno parlare ; vorremmo a ciascuno comunicare la Nostra gioia, e da tutti accogliere la vostra per questo giorno felice ; tutti, nel Signore, vi benediciamo. Voi siete la famiglia di Don Guanella ; voi siete la sua gloria ; voi siete la sua grandezza !

insegna di Apostolato: « È Dio che fa! »

A questo punto la Nostra considerazione del magnifico quadro delle opere di Don Guanella sembra davanti a noi trasformarsi in visione, e presentarci proprio lui, il nuovo Beato Don Luigi Guanella, che, ammirando lui stesso il cerchio vivente e splendente dei suoi Figli e dei suoi beneficati, placidamente, ma autorevolmente, ancora ci ammonisce, come faceva quand'era ancora in questa vita terrena : « È Dio che fa ! ». È la divina Provvidenza. Tutto è di Dio : l'idea, la vocazione, la capacità di agire, il successo, il merito, la gloria sono di Dio, non dell'uomo. Questa visione del bene operoso e vittorioso è un riflesso efficace della Bontà

divina, che ha trovato le vie per manifestarsi e per operare fra noi. « È Dio che fa ! ».

Questo immaginario, ma non illusorio colloquio, pare a Noi soddisfare in buona parte il segreto desiderio ch'è, al termine di questa solenne cerimonia, in ciascuno di noi : il desiderio di capire. Dopo aver conosciuto, ammirato, esaltato la vita d'un servo di Dio, dichiarato autentico seguace di Cristo, sorge nell'animo la legittima, anzi la doverosa curiosità di capire' come e perché il nuovo fenomeno di santità si è prodotto in questa nostra scena umana. Vorremmo carpire il segreto e cogliere il principio interiore di tale santità; vorremmo ridurre ad un punto prospettico unitario la vicenda avventurosa, complicata e febbrile della vita prodigiosa del nuovo Beato, che diviene per noi degno di imitazione e di culto. È questa una tendenza consueta alla mentalità moderna, quando essa si pone allo studio d'una qualche singolare personalità. E non sarebbe facile riuscire a classificare sotto un aspetto solo la figura di Don Guanella, se egli stesso non ci aiutasse e quasi ci imponesse a vedere in lui null'altro che un effetto della Bontà divina, un frutto, un segno della divina Provvidenza.

Non è che questo suo atto di umiltà e di religiosità ci dica tutto di lui; tanti altri aspetti della sua figura ci offrirebbero quel punto prospettico focale che ci consentirebbe di definire in sintesi la sua anima e la sua opera ; ma per ora, a congedo ed a ricordo della beatificazione di Don Guanella, possiamo obbedire alla sua voce rediviva : « È Dio che fa ! ». E se diamo ascolto davvero a questa voce, che vorrebbe svalutare in umiltà la grandezza ed il merito dell'opera da lui generata, assistiamo non già ad una svalutazione, ma ad una glorificazione, perché possiamo concludere : dunque l'opera di Don Guanella è opera di Dio ! E se è opera di Dio, essa è meravigliosa, essa è benefica, essa è santa. Cresce in noi la gioia; ma nasce insieme un problema, un grande e delicato problema, il cui ricordo ci seguirà in avvenire, pensando appunto al Beato, che abbiamo messo su gli altari : il problema dell'azione divina, il problema della Provvidenza, in combinazione con l'azione umana.

Programma dei Santi: collaborare con Dio

Esiste una Provvidenza? E come interviene nelle nostre cose? Dobbiamo lasciare ad esse libero corso senza pensare di darvi un senso per poi attendere alla fine se risulta qualche disegno, a noi ignoto in questa vita e svelato solo nella vita futura? E quale atteggiamento occorre perciò tenere davanti a questa imponderabile azione divina nel campo

delia nostra vita : di rassegnazione passiva e fatalista, che non si cura né di quello che Dio fa, né di quello che noi dobbiamo fare in ordine a lui? Ovvero dobbiamo assumere un atteggiamento di continuo riferimento delle nostre azioni alla volontà di Dio, in modo che esse risultino\ sotto aspetti diversi ma convergenti, tutte di Dio e tutte nostre? Indubbiamente è questo secondo atteggiamento che dobbiamo adottare ; è l'atteggiamento cristiano, è l'atteggiamento che mira a fare di noi; come dice San Paolo, dei « collaboratori di Dio ».[1] Collaborare con Dio dovrebbe essere il programma della nostra vita. Ed è il programma dei Santi.

Linea maestra direttrice nell'opera del nuovo Beato

Ce lo dimostra, tra gli altri, il nostro Don Guanella, lasciando così scoprire nella sua anima e nella sua opera le linee direttrici che le definiscono. Vedremo la linea propriamente religiosa come linea maestra : tutto si fa per interpretare, per eseguire, per onorare la volontà di Dio!

Una grande pietà, una assidua preghiera, uno sforzo di continua comunione con Dio sostiene tutta l'attività dell'uomo di Dio : si direbbe che non pensa che a questo. E allora una grande umiltà penetra ogni proposito e ogni fatica di lui : potrebbe essere grande tentazione in chi compie grandi imprese di credersi bravo, di dirsi autosufficiente, di attribuire a sé il merito delle proprie opere ; il senso religioso invece che le informa impedisce tale pericolosa insipienza, e infonde nel servo fedele due altri movimenti spirituali, che sembrano l'uno all'altro contrari, e sono invece corrispondenti e concorrenti : uno è il movimento di tensione, l'altro di distensione. Di tensione volontaria il primo : se siamo al servizio di Dio, nessuno sforzo ci deve costare ; ed è questo che noi maggiormente riusciamo ad ammirare nell'operaio del regno di Dio : la tenacia, l'energià, il coraggio, lo spirito di eroismo e di sacrificio.

Di distensione confidente l'altro : se siamo al servizio di Dio, nessuna cosa ci deve fare paura, la fiducia è la vera nostra forza, la sicurezza — fino al rischio, talvolta! — che l'assistenza del Signore, la Provvidenza, come diciamo, non mancherà : questa fiducia forte, positiva, amorosa è meno visibile all'osservatore profano ; ma nell'animo del Santo è l'elemento principale della sua fortezza e della sua grandezza.

Ed è poi più facile capire come uno spirito, così strutturato interiormente, balzi con audacia formidabile al compimento delle opere di mise-

[1] *1 Cor.* 3, 9.

ricordia più nuove e più ardue ; ricordiamo l'insegnamento dell'apostolo San Giacomo : ((la religione pura e senza macchia è questa : visitare gli orfani e le vedove nella loro tribolazione » .[2]

Dalla psicologia religiosa, a cui abbiamo accennato, scaturisce l'attività prodigiosa del servo di Dio ; dalla carità che a Dio lo unisce deriva la carità che lo rende prodigioso benefattore dei fratelli bisognosi.

L'aspetto sociale del Beato meriterebbe qui il suo vero panegirico; ma questo lo fanno i suoi figli ed i suoi ammiratori ; lo fanno, con l'eloquenza dei fatti e delle cifre, le sue opere. A Noi ora basta raccogliere il primo filo di tutta codesta meravigliosa storia della carità operante in misericordia; e trovarlo, quel filo, annodato al suo punto di partenza, come alla sorgente dell'energia soprannaturale che tutto lo percorre : « È Dio che fa ! ». Non è bello? non è stupendo?

Lodiamo dunque Iddio nel suo servo il Beato Luigi Guanella ; e preghiamolo che per l'intercessione di questo campione della fede e della carità ci dia grazia di imitarlo e tutti così ci benedica.

IV

E.mis Purpuratis Patribus, Exc.mis Praesulibus, Rev.mis Consultoribus Consiliariisque e Consilio ad exsequendam Constitutionem de Sacra Liturgia, qui Romam ad suetos agendos coetus convenerunt. *

Venerabiles Fratres ac dilecti filii,

Haud mediocre Nobis comparat solacium et gaudium hodiernus vestrum omnium conspectus, qui cum Romam convenissetis ad suetos agendos Consilii vestri coetus, laudabile sane suscepistis propositum, ut nempe Summo Ecclesiae Pastori hoc vestri amoris vestraeque observantiae gratissimum testimonium exhiberetis. Hoc autem obsequium eo libentius excipimus, quod Nobis exspectatam praebet opportunitatem vobis ex animo gratulandi ac meritas agendi gratias de sedula atque impensa navitate, qua nullis parcentes laboribus in officium vestrum incumbitis.

Probe nostis quanta aestimatione et quam assidua sollicitudine vestram prosequamur operam, cui quidem, ut par est, maximum tribuimus

[2] ***lac.* 1, 27.**

*** Die 29 mensis Octobris a. 1964.**

momentum. Nam, cum vobis, una cum Sacra Rituum Congregatione, grave sit munus concreditum normas exsequendi Liturgicae Constitutionis, quae a Concilio Oecumenico Vaticano Secundo feliciter promulgata est, patet fructus laetissimos, quos in Ecclesiam exinde profecturos confidimus, plurimum e vestra opera pendere ; siquidem potissimum per vos stat, ut sapientissima illa Concilii praescripta libenter excipiantur, cotidie magis adamentur, ac pedetemptim ad eorum rationem christia nus populus mores suos penitus conformet.

Opportunum igitur ducimus nonnulla de hac re ad considerandum vobis proponere, quae etsi vobis non ignota esse scimus, utiliter tamen in memoriam revocantur, praesertim vero oblata occasione huius Conventus, a quo vos omnes novas vires ac salutare ad agendum incitamentum sumere exoptatis.

Partes muneris vobis concrediti eo in primis spectant, ut libris liturgicis recognoscendis manus admoveatis. Vix attinet dicere, hoc opus immensae molis esse, idemque gravissimas difficultates prae se ferre. Agitur enim de liturgicarum precum formulis, ad quas expendendas, renovandas vel integre condendas, non solum summa vobis sapientia necessaria est ac perspicax iudicii sagacitas, sed recta etiam necessita tum nostrorum temporum scientia cum plena traditi patrimonii liturgici cognitione coniuncta.

Hac in re vobis exploratum esse debet, publice precandi formulas Deo dignas esse non posse, nisi eaedem catholicam doctrinam fideliter exprimant; ad exquisitae artis rationem sint confectae, quemadmodum addecet divini cultus maiestatem ; penitus spirent religiosum pietatis afflatum; denique brevitate et perspicua simplicitate fulgeant, adeo ut recte intellegantur earumque veritas et sua vitas percipiatur facilius. Ita solummodo contingere poterit, ut publicae Ecclesiae precationes Sacrae Liturgiae naturae et indoli respondeant, ac per eas christianus populus debitam Deo tribuat gloriam.

Ut autem satius aptiusque Sacrae Liturgiae renovationi prospiciatis, aliam oportet, nec minoris momenti, agendi normam tueri ; scilicet opus est ut paedagogicae sacrorum rituum efilcacitati consulatis. Nostis enim, Concilii Oecumenici Patres, cum normas statuerent de Sacra Liturgia promovenda, hoc pastorali proposito ductos esse, ut christifideles actuosiore ratione liturgicas actiones participarent, atque adeo apud supernos hos veritatis et gratiae fontes discerent uberius ac facilius christianae vitae alimoniam percipere. Ac revera, ut sapienter monet memorata Concilii Oecumenici Constitutio, etsi Sacra Liturgia est

praecipue cultus divinae maiestatis, eadem tamen magnam etiam continet populi fidelis eruditionem. In Liturgia enim Deus ad populum suum loquitur; Christus adhuc Evangelium annuntiat.[1] Quare peculiaris cura vobis esse debet, ut liturgicus cultus reapse evadat schola populi christiani : schola nempe pietatis, qua fideles intimum cum Deo commercium fovere addiscant ; schola veritatis, qua per visibilia signa animus ad invisibilium rerum cognitionem et amorem perducatur; schola denique christianae caritatis, qua unusquisque cum ceteris Ecclesiae membris se fraternae communionis vinculis magis magisque obstrictam sentiat.

Recta denique Constitutionis Liturgicae exsecutio postulat a vobis, ut nova et vetera apto pulcherrimoque nexu inter se componantur. Hac in re prorsus cavendum est, ne novitatis studium modum excedat, non satis habita aut omnino praetermissa traditi patrimonii liturgici ratione. Quae vitiosa agendi ratio non Sacrae Liturgiae renovatio, sed eversio potius appellanda esset. Liturgia enim robustae arboris similitudinem praefert, cuius pulchritudinem ostendit quidem continua frondium renovatio, sed cuius vitae ubertatem testatur trunci vetustas, qui in humum altas ac firmas radices agit. In rebus igitur liturgicis nulla vera repugnantia intercedere debet inter praesentes et praeteritas aetates; sed omnia ita fiant, ut quaelibet innovatio cohaerentiam et concordiam cum sana traditione prae se ferat, et novae formae e formis iam exstantibus quasi sua sponte efflorescant.

Ut videtis, longum iter vobis terendum est, et quidem salebris plenum. Cum tamen navitas vestra tam laetos iam ediderit fructus — quorum specimen praecipuum est Instructio de re liturgica a S. Congregatione Rituum nuper promulgata — id Nobis causa est cur de futuro labore vestro spem foveamus amplissimam. Interea autem sciatis non Nos solummodo, sed Ecclesiam totam trepida exspectatione in vos oculos convertere. Ac semper mementote, grande sane opus esse, oranti Ecclesiae quasi vocem atque instrumenta praebere, quibus ipsa divinas celebret laudes hominumque supplicationes Deo exhibeat. Opus huiusmodi, ad quod rite exsequendum caelum et terra quodammodo consociatam operam conferunt, vere opus humanum et divinum est : humanum, quia vestra nititur sollertia, doctrina, pietate; at simul ac praesertim divinum, cum ab eo abesse nequeat afflatus et actio Spiritus Sancti, sine quo nihil sanctum, nihil validum, salutare nihil effici potest.

[1] **Cfr. *Constit, de Sacra Liturgia,* n. 33.**

Hanc caelestem opem vobis iugem atque affluentem ab Omnipotenti Deo libenter impetramus ; eiusque pignus et auspicium esto Apostolica Benedictio, quam vobis singulis universis peramanter in Domino impertimus.

V

Iis qui interfuerunt Coetui duodecimo Romae habito a Consilio v. d. « Comité Exécutif du Programme du Haut Commissaire des Nations Unies pour les Réfugiés ». *

M.lle la Présidente,
Monsieur le Haut Commissaire,
Messieurs,

Nous sommes heureux de vous accueillir dans Notre demeure et Nous vous remercions de tout cœur de cette visite qui Nous honore et Nous fait participer, en quelque manière, à la douzième Session du Comité Exécutif du Programme du Haut Commissaire des Nations Unies pour les Réfugiés.

Nous Nous sentons vraiment associé à votre rencontre, non seulement parce que cette fois, exceptionnellement, vous avez voulu vous réunir à Rome, mais parce que Nous sentons Nous aussi le 'douloureux problème humain des réfugiés. Nous éprouvions déjà cette angoisse de tant d'êtres déracinés de leur premier foyer, lorsque Nous travaillions à la Secrétairerie d'Etat et que Nous suivions les débuts de l'Office International pour les Réfugiés, puis la fondation de votre Haut Commissariat. Nous ne faisions en cela qu'exécuter les sages instructions de Notre inoubliable prédécesseur Pie XII pour le service de l'humanité souffrante.

Ce Nous est donc un réconfort de savoir que votre organisation — sous l'égide des Nations Unies et avec Faide efficace de nombreuses et méritantes Associations bénévoles — a pu procurer, au cours de son activité de plus de dix ans déjà, les conditions nécessaires pour permettre à des centaines de milliers de malheureux de vivre. Cette œuvre humanitaire continue, et votre foi dans la justice de cette cause vous permet de surmonter heureusement les inévitables difficultés que vous rencontrez. De fait, par sa nature particulière, l'aide aux Réfugiés est

*** Die 30 mensis Octobris a. 1964.**

complexe et multiple, parce qu'elle doit fournir, outre une protection juridique, un rétablissement économique et social et parfois même un traitement médical et psychologique, sans parler de la formation des jeunes gens et de la réadaptation des adultes à de nouvelles professions.

Votre Comité exécutif, chers Messieurs, dans sa ferme volonté de secourir des catégories plus étendues de réfugiés, a su obtenir la confiance et l'approbation de l'Assemblée des Nations Unies pour des programmes permettant de faire face à des besoins croissants. C'est ainsi que le Haut Commissariat a pu rassembler de très utiles conférences. Et il est de plus en train de conduire à bon terme une série de réalisations qui, au titre des bons offices, lui a permis d'intervenir presque partout où s'était créée une situation difficile par l'apparition des réfugiés. Le fait même que ces nouveaux groupes de réfugiés aient d'instinct fait appel à votre aide, constitue à lui seul une claire reconnaissance de l'efficacité de votre œuvre morale et humanitaire.

Tandis que votre douzième session se termine et qu'une autre étape importante dans l'assistance aux réfugiés a été atteinte, Nous avons plaisir à vous dire combien les paroles si nobles de votre Président et du Haut Commissaire, interprètes de vos sentiments, Nous ont été agréables. Vous avez clairement confirmé la volonté qui vous anime de continuer, aussi intensément que par le passé, les efforts nécessaires pour donner aux réfugiés l'asile d'une terre sûre et la chaleur d'un foyer, dont tant de malheureux ont encore besoin.

Œuvre d'amour pour le prochain, votre effort apporte sa collaboration à la naissance d'un monde plus fraternel où les personnes puissent vivre dans une communauté ordonnée tout empreinte de respect réciproque dans l'amitié et dans la paix.

Aussi est-ce de grand cœur que Nous vous félicitons de votre dévouement pour les réfugiés, que Nous formons les vœux les plus cordiaux pour l'heureux accomplissement de votre tâche, et que Nous appelons sur vous, sur vos familles, et sur tous les réfugiés — hélas encore si nombreux dans le monde d'aujourd'hui — l'abondance des grâces du Tout-Puissant.

VI

Ad Patres Conciliares, cum Summus Pontifex generali Coetui tertiae Sessionis praesedit, dum in schemate Missionum disceptatio versabatur. *

Pro certo habetote, dilectissimi Nobis, crebro Nostris esse in votis adesse coetibns Oecumenici Concilii, quod in hac sacra aula Vaticanae Basilicae celebratis.

Cum vero firmiter statuissemus saltem alicui uni ex generalibus vestris Conventibus praesidere, hunc delegimus praesentiae Nostrae diem, quo in Schemate Missionum disceptatio vestra versatur. Hoc quidem ut praeoptaremus, certe suasit Nobis singularis gravitas et magnitudo argumenti, ad quod nunc mentes et animos convertitis.

Nobis, beatissimi Petri Successori, ac vobis Apostolorum Successoribus, nunc potissimum instanter insonat divinum mandatum : « Euntes in mundum universum, praedicate Evangelium omni creaturae)),[1] e quo efilciendo iusso salus mundi pependit et pendet. Huic sacrosanctae Synodo praeter alia perinsigne constituitur consilium, ut ad Evangelium largius et efiicientius evulgandum nova muniantur itinera, novae rationes excogitentur, nova contentio alacris instimuletur.

Hoc, quod vestris in manibus est Schema, ubi de huiusmodi quaestione pertractatur, cum perpendissemus, multum, immo- plurimum invenimus — sive materies, sive argumentorum pondus, sive edisserendi ordo spectatur — quod dignum laude Nostra existimar emus. Quapropter opinionem profitemur facile fore, ut, quamvis fortasse arbitremini hoc nonnullis in partibus perpoliendum et excolendum esse, idem adprobationem vestram consequatur. Librata ibi consilia, enucleata opera, definitae viae et rationes tantae rei causa utinam actuosam vim exserant ad Regnum Dei in terris incensiore cum studio provehendum; utinam evangelicae sationi spes messis inde paretur uberrima.

Perplacet praesertim Nobis, quod constanter hoc deposcitur, ut Ecclesia universa missionalis sit, ut singuli etiam fideles animo et re, quantum geri possit, missionales evadant. Qui inenarrabili fidei dono sunt praediti, qui illuminatione gloriae Evangelii collustrati sunt, qui regale sacerdotium et gens sancta Ecclesiae filii numerantur, maximas semper Deo gratias de tanto accepto munere agant, preces, pietatis; officia, stipem perquam liberalem afferentes in adiumentum scilicet

-* Die 6 mensis Novembris a. 1964.

[1] *Marc.* 16, 15.

et levamen eorum, qui praecones sunt Evangelii. Quocirca, cum nihil sit hominibus salutarius et Dei gloriae congruentius quam in fidem diffundendam pro virili parte anniti, missionali apostolatui, qui praestantia et efficacitate excellentissimus est, nobili cum certatione devotionis studium, providentiam largitatüm, misericordiam donorum dispensent. « Munerator tuus vult te esse munificum, et qui dat ut habeas,, mandat ut tribuas dicens : Date et dabitur vobis ».[2] Verumtamen Evangelicus ager, etsi diligenter excolitur, tantummodo rorante Dei gratia,, novalium felici fecunditate vestitur. Quam ob rem eleemosynis et piis operibus roboratae, ascendant ferventiores ad Deum pro missionalibus precationes : « Deus, qui omnes homines vis salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire : mitte, quaesumus, operarios in messem tuam, et da eis cum omni fiducia loqui verbum Dei, ut sermo tuus currat et clarificetur, et omnes gentes te agnoscant solum Deum verum et quein? misisti Iesum Christum Filium tuum, Dominum nostrum».[3]

Antequam brevi sermoni finem imponimus, benevolentissima voluntate salvere iubemus Patres Oecumenici Concilii, qui in missionalibus finibus pro Christi Regno adlaborant ; et sicut ad ipsos, cogitatio Nostra grata, gratulabunda bono cum ornine ita advolat ad eorumdem sacerdotes, ad missionales sodales utriusque sexus, ad christianae doctrinae institutores, ad eos qui ibidem adiutricem operam navant, ad eos qui provida beneficia collocant et salutaria fovent incepta.

Haec flagrantissima vota Apostolica Benedictio Nostra confirmet,, quam vobis universis peramanter impertimus.

«Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus: et metuant eum omnes fines terrae ».[4]

VII

Iis qui interfuerunt Conventui sexto promovendis Ecclesiasticis Tabulariis Romae habito. *

Salutiamo il diletto figlio Monsignor Martino Giusti, Prefetto dell'Archivio Segreto Vaticano, tanto benemerito di questo incontro, come dell'attività della Associazione Archivista Ecclesiastica;

e voi tutti salutiamo, diletti figli, che con l'alta e impegnativa qua-

[2] ***Lue.* 6, 38 - S. Leo Magnus, *Sermo XVII,* II, Migne, *P.L.* 54, 181.**

[3] ***Missa de Fidei propagatione.***

[4] ***Ps.* 66, 8.**

*** Die 6 mensis Novembris a. 1964.**

lifica di ((Archivisti Ecclesiastici)) partecipate con tanta autorevolezza e competenza al vostro sesto Convegno di Roma.

La continuità del vostro lavoro, com'è testimoniata dai vostri periodici incontri, procura all'animo Nostro schietta compiacenza ; e intendiamo manifestarla di tutto cuore, lieti come siamo della serietà, con cui compite la vostra delicata e paziente mansione ; lieti della preparazione che ad essa portate, germinata in studi appropriati, e arricchita man mano alla scuola della applicazione e della esperienza quotidiana; lieti ancora dello spirito di umile servizio, con cui proseguite nell'adempimento del dovere, al quale vi ha chiamato la fiducia dei vostri Vescovi o dei vostri Superiori ecclesiastici.

Il ritmo del vostro lavoro di esperti e di studiosi dice da sé la perseveranza di una missione, la cui preziosa utilità pratica non è disgiunta da un profondo valore storico, destinato anzi a crescere col volgere del tempo, che tutto ridimensiona e situa nell'ampia visuale della storia. Il vostro ritmo di lavoro dice ancora il proposito di migliorare sempre più, adeguando gli strumenti e i metodi alle moltiplicate esigenze ; dice il programma, che con mente chiara e volontà decisa volete portare avanti per l'efficienza, l'avvaloramento, la difesa, il recupero perfino, quando è necessario, degli Archivi Ecclesiastici e dei documenti preziosissimi che essi contengono ; tale ritmo di lavoro dice infine conquista lieta di sempre nuovi orizzonti, di sempre più valido ordinamento, di sempre più matura consapevolezza.

Per questo Ci è caro esprimervi la Nostra soddisfazione, il Nostro plauso, il Nostro incoraggiamento, afiinché, dopo il tonificante incontro romano, così aperto ad arricchimenti umani, culturali, scientifici e tecnici, possiate riprendere con nuovo entusiasmo e con rinnovata pazienza il vostro posto di lavoro.

Consuetudine vorrebbe che entrassimo con qualche paterna indicazione nel vivo degli argomenti svolti nel Congresso a proposito dei conìpiti e dei mutui rapporti del cancelliere vescovile e dell'archivista diocesano. L'esperienza che abbiamo fatta in una diocesi vasta e complessa come Milano — nella quale il molteplice articolarsi delle moderne forme di apostolato e di organizzazione affonda le sue radici in un *humus* vitale, quant'altri mai denso di storico passato — questa esperienza, diciamo, basta per farCi comprendere e stimare l'importanza, l'attualità e le attinenze del tema prescelto. Ma già ve ne è stato parlato con esauriente competenza, e avete avuto agio altresì di approfondire le singole applicazioni con l'apporto delle vostre discussioni.

Vogliamo piuttosto cogliere la gradita occasione della vostra presenza in questo Palazzo Apostolico Vaticano, per sottolineare ancora una volta davanti alla Chiesa intera, in questo tempo di Concilio, la dignità, il valore, la necessità, l'urgenza degli Archivi Ecclesiastici, per stimolare le singole diocesi e famiglie religiose a dare definitivamente ad essi il posto che loro compete.

È noto infatti che la condizione di molti Archivi Ecclesiastici non è ancora soddisfacente, specialmente per quanto riguarda quelli minori, familiari e locali. Inoltre, le persone che ne sono incaricate non sempre hanno la necessaria qualificazione, conseguita attraverso i severi studi di archivistica e paleografia, con l'apprendimento del relativo metodo di lavoro ; a ciò aggiungasi il fatto della loro scarsità numerica, che rende difficile, anche con la migliore preparazione, l'adeguato funzionamento e la cura degli Archivi Ecclesiastici. I bisogni degli studi storici, come le accresciute esigenze pratiche reclamano infine il progressivo ordinamento del lavoro archivistico, sicché balza evidente agli occhi la necessità di questo lavoro.

È stata questa l'ansia paterna dei Nostri Predecessori, tante volte manifestata, e questa ansia raccogliamo fedelmente, perché è anch'essa eredità dell'apostolico ministero. Lo vuole la serietà stessa della materia, lo reclama il prestigio della storia, soprattutto lo esige con materna autorità la Santa Chiesa, che anche dall'ordinamento e dalla conoscenza di tutto ciò che riguarda il suo passato trae incoraggiamento e programma di azione, trova difesa davanti ai ricorrenti pericoli, prende rinnovato slancio alla sua provvida opera di Madre e Maestra : di fatto, anche il più modesto documento, conservato con questo spirito, diventa un segno della sua presenza nel mondo, un argomento della sua missione, un'orma del Corpo Mistico nel cammino secolare della storia.

Queste le ragioni e il significato del Nostro compiacimento per la vostra presenza; questi i voti e le speranze, che lasciamo a voi, diletti figli, e per mezzo vostro affidiamo a quanti attendono come voi allo stesso paziente lavoro, o verranno ad ingrandire le vostre file. Vi conforti il pensiero che amiamo seguirvi con un particolare ricordo nella preghiera; e vi attiri le copiose grazie divine la Nostra Benedizione, che ora vi impartiamo, e che vuol essere riflesso e pegno di quelle celesti.

VIII

Ad Excellentissimum Virum Kenneth D. Kaunda, Zambianae Reipublicae Praesidem. *

Mister President,

We bid Your Excellency a heartfelt welcome, recalling with happiest anemories Our own visit to Africa two years ago.

Then, just a fortnight ago, We were happy to participate, in the person of Our Ámbassador Extraordinary, in the célébrations marking the birth of the independent Republic of Zambia. Today, We are particularly grateful to Your Excellency for the honour you do Us in visiting this Apostolic See, in Our humble Person, as your first oñlcial Presidential engagement outside Africa.

We welcome Your Excellency as a distinguished représentative òf the vigorous young Christianity of the new Africa, which We extolled at the canonization of the glorious Martyrs of Uganda. In your speeches itnd writings, Mister President, you nave always proudly pronounced yourself a Christian, and proclaimed the benefits which the Gospel message has brought to your country and to ali Africa. To you, We need not under line the distinction We drew, in that homily, betweeri «vangéìizatiOn and colonization. Rather do We pledge to you anew the renewed efforts of all Our Catholic children in the building up of the Christian Nation of Zambia, by their ever more generous contributions towards the religious, social and cultural progress of its **Citizens.**

With deep emotion do We recali Our consolation in personally consecrating the first son of Northern Rhodesia raised to the Episcopate. Zambia needs ever more numerous sons and daughters of her own soil, who will dedicate themselves to the spiritual and temporal welfare of their fellow-citizens in the priesthood, the religious life, the medicai, teaching and other professions. We pray, therefore, that Our schools, convenís, and particularly priestly seminaries in Zambia, may produce more and better-prepared workers for God and country.

We were happy to note, in Your Excellency's Independence discourses, your insistence on récognition of the rights and dignity of the human person, as the only true basis for harmony and peace in your country, as in the whole world. We pray that your présent journey to many

*** Die 7 mensis Novembris a. 1964.**

lands and to the United Nations may help you spread that message f arther abroad ; and that Your Excellency be spared for many years to foster respect for the higher principies of truth, liberty, justice and love in the independent Republic of Zambia.

With this pray er, We willingly invoke upon Your Excellency, upon your wife and family, upon the Government and beloved people of Zambia, the richest grâces and favours of Almighty God.

IX

Ad **Excellentissimum Virum Ernestum Trigueros Alcaine, a Salvatoriana Republica missum ad Apostolicam Sedem liberis cum mandatis Legatum, qui Summo Pontifici Litteras tradidit concrediti muneris testes. ***

Señor Embajador :

Gracias por las sentidas expresiones que han acompañado la entrega de las Cartas Credenciales que os acreditan como Embajador Extraordinario y Plenipotenciario de vuestro País ante esta Santa Sede,

Vuestra brillante carrera al servicio de la Diplomacia de El Salvador, vuestras constantes intervenciones representando a vuestra Patria en reuniones y congresos internacionales, el conocimiento que en permanencias anteriores habéis ya adquirido de Roma, os ofrecen segura garantía del éxito de la misión que os ha confiado vuestro Gobierno.

En Nuestro corazón de humilde Vicario de Cristo ocupa un lugar especial El Salvador. Fue para Nos motivo de consuelo poderlo proclamar así cuando, al clausurar el reciente Congreso Eucaristico Nacional, tuvimos el agrado de hacerle llegar Nuestra palabra a través de la Radio. Un día lejano Religiosos Franciscanos y Dominicos llevaron a vuestra Tierra la fe cristiana : esa semilla, depositada en surco fecundo, se ha convertido en rico patrimonio, cuya herencia es timbre de gloria y cuyo ulterior cuidado y desarrollo reclama las mejores energías.

Vuestro País se presenta a Nuestra mente con la visión de sus lagos y montañas, de sus volcanes airosos, de los ríos en que se asoma al Pacífico. Sabemos que en este momento El Salvador se encuentra comprometido en una empresa de superación, con el noble afán de mejorar niveles de producción y de aumentar el bienestar de sus propios

*** Die 9 mensis Novembris a. 1964.**

ciudadanos. Formulamos cordiales votos a fin de que tan altos ideales, iluminados siempre por los principios de la justicia social y sublimados por los valores espirituales, hallen el favor y la colaboración responsable de todos y obtengan las metas propuestas para la convivencia pacífica de los miembros de la Comunidad Nacional.

Señor Embajador : Tened la seguridad de que en el desempeño de vuestra misión os acompañará Nuestra benevolencia, y de que por Nuestra parte podréis contar con el más decidido apoyo en el cometido de conservar las buenas relaciones existentes entre vuestro Gobierno y esta Santa Sede. Deseando la mayor prosperidad para el católico pueblo de El Salvador, invocamos sobre él, y de un modo particular sobre el Excelentísimo Señor Presidente de la República y sobre Vuestra Excelencia, las bendiciones del Cielo.

X

Praesidi Virisque adlectis in Generale Consilium Vincentianorum Coetuum, a Beatissimo Patre coram admissis. *

Chers Fils, membres du Conseil Général de Id Société de 'Saint Vincent de Paul, soyez les bienvenus!

Vous avez eu, en la personne de votre eminent Protecteur, le Cardinal Aloisi-Masella — que Nous sommes heureux d'accueillir ici avec vous aujourd'hui — le meilleur des avocats; et bien volontiers Nous avons accédé à ses filiales instances et au désir que Nous exprimait en votre nom votre méritant Président Général : celui d'être reçus quelques instants par Nous pour pouvoir Nous exposer vos problèmes et recevoir de Nos lèvres directives, encouragements et bénédictions sur vos bienfaisantes activités.

Ces activités, Nous «les suivons, vous le savez, depuis de longues années, et il Nous fut donné — notamment sous le pontificat de Notre Prédécesseur Pie XII — d'entretenir les meilleurs rapports avec les hommes remarquables qui se succédèrent à la tête de la Société de Saint Vincent de Paul. Nous sommes heureux de renouer aujourd'hui officiellement, pour ainsi dire, ces excellentes relations de jadis, et nulle occasion ne pouvait mieux s'y prêter que la réunion ici, autour de Nous, de votre Conseil Général, porteur des soucis et des espoirs des membres de la Société répandus dans le monde entier.

Ce n'est pas sans émotion que Nous avons pris connaissance du Rapport que vous Nous avez fait parvenir dernièrement, Monsieur le

*** Die 9 mensis Novembris a. 1964.**

Président Général, sur la situation actuelle de la Société. La sobre éloquence des chiffres suffit à montrer sa magnifique extension, qu'accompagne une judicieuse adaptation au monde moderne et un afflux inattendu et si heureux d'éléments jeunes. Que de motifs d'espoir et l'optimisme dans tout cela ! Mais ce qui Nous a semblé le plus touchant, et le plus prometteur pour l'avenir, c'est ce que vous Nous dites de la prise de conscience, par un nombre croissant de chrétiens de tous pays, de ce que vous appelez si justement la « vocation vincentienne)) : vocation exigeante, qui ne saurait se contenter d'un soulagement — forcément limité — apporté à des misères matérielles, mais entend ouvrir les cœurs jusqu'aux dimensions totales de la véritable charité chrétienne. Et c'est ainsi qu'on peut assister à ce phénomène étonnant, mais si conforme à la logique de la foi : le jaillissement de conférences de Saint Vincent de Paul dans les pays du Tiers-Monde et jusque parmi les chrétiens les plus déshérités, que leur foi incite à entrer dans vos rangs pour secourir leurs frères aussi pauvres qu'eux-mêmes.

C'est bien là l'esprit de votre admirable Fondateur, Frédéric Ozanam, ce professeur d'Université, ce modèle d'époux et de père de famille, si profondément épris de justice et de charité ! Comme vous, soyez-en sûrs, Nous souhaitons voir un jour ce grand serviteur de Dieu placé sur les autels et proposé en exemple aux laïques chrétiens de notre temps.

Continuez, chers Fils, à marcher dans sa lumière, à être fidèles à la « vocation » qu'il vous a léguée. Poursuivez, dans la ligne qu'il vous a tracée — toujours en plein accord avec les Autorités ecclésiastiques — votre belle tâche, sur laquelle Nous appelons, ainsi que sur vos personnes et sur tous les membres de la Société de Saint Vincent de Paul, les plus abondantes bénédictions.

XI

Ad Excellentissimum Virum Iulium del Balzo « dei Duchi di Presenzano », ab Italica Republica ad Apostolicam Sedem missum cum auctoritate Legatum, qui Litteras Summo Pontifici tradidit legationis fidem facientes. *

Signor Ambasciatore,

La ringraziamo di cuore per le nobili espressioni che la coscienza e la responsabilità dell'alto Ufficio, oggi da Lei assunto presso la Sede Apostolica in nome dello Stato Italiano, Le hanno ispirato.

Le Lettere Credenziali, che Ella, Signor Ambasciatore, mette nelle Nostre mani, Ci obbligano a rivolgere il Nostro riverente pensiero alla

* Die 14 mensis Novembris a. 1964.

loro altissima provenienza, in particolar modo alPEcc.mo Professore Antonio Segni, Presidente della Repubblica, per cui esprimiamo il Nostro rispettoso e cordiale augurio e la Nostra confortatrice Benedizione. Gon eguale ossequio salutiamo l'onorevole Cesare Merzagorà, che l'infermità del Presidente della Repubblica ha chiamato ad assumerne temporaneamente le sovrane funzioni, e che apponendo la sua firma a questo ufficiale documento Ci induce ad accordare a Lei, Signor Ambasciatore, la Nostra ampia fiducia. Ella ha poi voluto richiamare il Nostro prossimo, viaggio in India, in occasione del Congresso Eucaristico Internazionale di Bombay ; viaggio che, come il precedente, è mosso da intenti unicamente religiosi, come testimonianza a Cristo Signore di tutta l'umanità; e Le siamo grati dell'accenno cortese e beneaugurante.

Parimente siamo lieti di rilevare dalle Sue parole la risonanza, che ha trovato negli animi degli Italiani la proclamazione da Noi fatta di San Benedetto a Patrono di Europa; tale risonanza Ci dice a quale nobile ed urgente òpera di pace internazionale, seguendo la linea segnata da una sua guida sapiente, Alcide De Gasperi, vuole fedelmente attenersi l'Italia, e Ci mostra da quali valori storici e spirituali tale opera possa attingere ispirazione e vigore.

Nell'atto pertanto di accoglierLa nella Sua nuova degnissima veste <li Rappresentante diplomatico dell'Italia, mentre Le attestiamo ~ia Nostra sincera stima, Ci è gradito esprimere il Nostro affetto profondo per il popolo italiano, a Noi particolarmente vicino e caro, così per gli innumerevoli motivi della sua storia millenaria, come per gli apporti della Nostra esperienza quotidiana. Vincoli strettissimi di reciproco rispetto, schietto e sentito, uniscono l'Italia alla Santa Sede in un rapporto che è sempre stato fecondo di lieti sviluppi ; e i Patti Lateranensi, a cui la funzione ch'Ella si accinge a compiere, deve la sua origine, hanno più intimamente avvalorato quel mutuo legame, rendendolo fonte di salutari effetti, come la storia recente ne dà consolante conferma; e aprendo, nell'ambito delle rispettive competenze doverosamente distinte e rigorosamente osservate, il contributo più felice, più franco, più costruttivo di reciproca utilità.

Raggiunto questo felice equilibrio di rapporti fra la Santa Sede e P Italia, è consolante osservare come quei Patti rivelano la loro validità oltre le contingenze storiche del loro primo esperimento, così da fondare i migliori presagi per l'avvenire quando, ad esempio, si avesse ad esaminare, in ordine a migliore ordinamento, la struttura delle circoscrizioni diocesane; come è da credere che l'opera sua propria della

Chiesa in cotesto diletto Paese, lungi dall'intralciarne la sovrana autonomia ed il libero sviluppo, possa sempre meglio adeguarsi ai bisogni religiosi, morali e culturali del tempo nostro, e possa infondere nelle fiorenti generazioni del popolo italiano nuova coscienza della sua storia passata e della sua missione futura, civile e spirituale.

Ed è questa una speranza cbe il Concilio Ecumenico, a cui Ella ha fatto testé simpatica allusione, conforta di generosi propositi e di sereni e positivi auspici.

Il Nostro augurio, avvalorato dalla preghiera, va perciò di gran cuore al forte, modesto, laborioso popolo italiano aftinché, nella provata serietà delle sue virtù, possa avanzare continuamente su la via del progresso civile, nel culto dei valori cristiani che l'hanno fatto grande e rispettato nei secoli, e nella ricerca di quei mezzi, che meglio promuovano la prosperità di tutti i suoi figli, l'ordine sociale, la giustizia, la pace.

L'Apostolica Benedizione, che impartiamo a, Lei, alle degne persone che L'accompagnano, e ai suoi familiari, vuole estendersi altresì, come conferma di questi voti cordiali, all'intera Nazione Italiana.

XII

h Vaticana Basilica ad Conciliares Patres habita, die festo Praesentationis Beatae Mariae Virginis, post sollemnem ab ipso Summo Pontifice cum Praesulibus quibusdam peractam concelebrationem, tertia exacta Oecumenicae Synodi Sessione promulgatisque Constitutione dogmatica de Ecclesia atque Decretis de Oecumenismo et de Ecclesiis Orientalibus catholicis. *

Venerabiles Fratres,

Post duos menses, navitate et fraterna opera plenos, Deo gratias agamus pro felici huius Concilii Oecumenici Vaticani secundi celebratione, cuius laboriosae tertiae Sessioni hoc sollemni et sacro coetu finem imponimus. Oh, revera officio devincimur Deo animos nostros beneficii memores et laetantes significandi, eo quod nobis singulari munere suo concessit, ut huic eventui historia digno et provido interessemus, immo ut nos ipsi, humiliter feliciterque primas partes agentes, vim, significationem, plenitudinem eidem tribueremus. Oh, profecto oportet quasi

*** Die 21 mensis Novembris a. 1964.**

ad nos dicta audiamus haec verba Domini : « Vestri autem beati oculi quia vident, et aures vestrae quia audiunt! ».[1] En, obversatur ante mentis nostrae oculos Sancta Ecclesia Dei, quae a Pastoribus repraesentatur, quibus proprii greges adhaerent ; quae quidem Ecclesia divinitus, Nostrae vocis ope, simul est congregata. En Hierarchia catholica, cuius est populum sanctum Dei instituere et regere.; ea huc in unam sedem convenit, uno animi sensu conspirans, una precatione, una fide, una caritate, quae est in ore et in pectore; ecce, incomparabilis hic coetus, quem admirari numquam desinimus, nec umquam poterimus oblivisci, utpote qui nitatur ad gloriam Patris et Filii et Spiritus Sancti, et intentus sit praecelso nuntio Revelationis commemorando eiusque verae et intimae significationi perscrutandae ; ecce, homines in unum congregati, a studio propriae utilitatis vanarumque rerum ut nemo alius alieni ; ut nemo alius eo contendentes, ut testimonium praebeant divinae veritati; homines, infirmi quidem et ab errore non immunes, sed per^ suasum habentes se posse veritates enuntiare, quae nullo modo queant in controversiam vocari aut finem capere; homines, dicimus, huius aetatis et huius terrae filii, sed supra tempus ac terram elati, ut onera fratrum suorum umeris suis accipiant, utque eos perducant ad spiritualem salutem ; homines, praediti se plane devovendi voluntate, infiammati amore, qui amplior est quam ipsi animi in quibus ardet, nisu impulsi qui forsitan temerarius esse videatur, sed qui coniungitur cum fiducia tranquilla, ut in sensum vitae humanae et historiae inquirant iisque tribuant vim, magnitudinem, pulchritudinem, unitatem in Christo ; in Christo Domino tantum ! Haec admirationem movent, Venera^ biles Fratres, qui hic adestis praesentes; haec admirationem movent, homines, qui foris versantes nos contuemini. Poterimusne umquam videre spectaculum maius, religiosius, aptius ad animos permovendos, sollemnius?

Augetur autem laetitia nostra si extremo hoc tempore Concilii Sessionis, cuius finem facturi sumus, obiter in memoriam revocamus argumenta, de quibus est disceptatum ac denique constitutum : pertractata est enim doctrina de Ecclesia atque exposita : ita opus Concilii Oecumenici Vaticani primi est completum, quod pertinet ad doctrinam ; exploratum est mysterium Ecclesiae et consilium divinum de primariis eius institutis.

Iterum dicimus : Deo gratias agamus pro felici hoc exitu et merito

[1] *Matth.* 13, 16.

patiamur pectora nostra gaudio perfundi : in posterum enim facilius intellegemus mentem divinam, quod attinet ad mysticum Corpus Christi, atque ex hac cognitione normas clariores certioresque quoad vitam Ecclesiae poterimus haurire, item maiores vires, quibus indesinenter eius conatus adiuvemus ut homines ad salutem adducantur, et ampliorem spem circa progressum regni Christi in mundo. Itaque, benedicamus Domino !

Longum est disserere de opere patrato : de studio pio et acri, eo pertinente ut illud cum veritate, quae in Sacris Bibliis continetur, et cum germana traditione Ecclesiae plane congrueret; de labore ideo suscepto, ut intima vis et primaria veritas iuris constitutivi Ecclesiae ipsius invenirentur, ut discerneretur inter id quod est immobile et certum, et id quod e principiis naturali et legitima progressione deducitur ; de studio denique quaquaversus in sua luce ponendi Ecclesiae mysterium, ita ut congrua ratione illustretur vita Corporis Christi mystici, quoad omnes suas partes, quoad omnia sua munera, quoad omnes fines ipsi assequendos.

Attamen caput maxime arduum atque memorandum peracti huiusmodi spiritualis laboris illud profecto est, quod ad doctrinam de Episcopatu spectat; quare de hoc tantum capite liceat nunc Nobis paucis exponere, quid sentiamus.

Hoc unum fateri volumus : Nobis scilicet admodum placuisse, quod doctrina huiusmodi sat ampla studiorum disceptationumque copia, nec minore conclusionum perspicuitate pertractata sit. Necessarium sane hoc erat, ut Concilium Oecumenicum Vaticanum primum compleretur. Tempus etiam opportunum ad venerat ; id ipsum sane postulabant sive magna incrementa quae aetate hac nostra theologica studia susceperunt, sive Catholicae Ecclesiae in terrarum orbe propagatio, sive quaestiones ab Ecclesia solvendae propositae, quae e cotidiano pastoralis navitatis usu oriuntur, sive denique plurimorum Episcoporum vota, qui doctrinae explicationem, quae ad eos pertinet, exspeetabant. Congruebat denique ratio ad id faciendum adhibita ; ita quidem ut minime dubitemus — ratione habita explicationum quae additae sunt sive ad verba usurpata interpretanda, sive ad vim theologicam doctrinae propositae tribuendam secundum Concilii mentem — minime dubitemus, dicimus, auxiliante Deo, hanc de Ecclesia Constitutionem promulgare.

Huius vero promulgationis potissimum commentarium illud esse videtur, quod per eam doctrina tradita nullo modo immutata est. Quod Christus voluit, id ipsum nosmetipsi volumus. Quod erat, permansit.

Quae volventibus saeculis Ecclesia docuit, eadem et nos docemus. Tantummodo, id quod antea solum vitae actione continebatur, nunc aperta etiam doctrina exprimitur; quod usque adhuc considerationi, disputationi, atque ex parte etiam controversiis obnoxium erat, in certam doctrinae formulam nunc redactum est. Fateri sane possumus, ex providentis Dei consilio splendidissimam horam illuxisse nobis : horam dicimus, cuius adventus heri lente procedebat, cuius fulgor hodie renidet, cuius salutifera virtus cras novis doctrinae incrementis, auctioribus viribus, aptioribus institutis Ecclesiae vitam certe locupletabit.

Id quoque animadvertere iuvat, honorem nempe, qui per hanc Constitutionem populo Dei attribuitur. Nihil enim iucundius Nobis accidere potest, quam cernere sollemniter agnitam dignitatem omnium nostrorum Fratrum nostrorumque Filiorum, ex quibus plebs sancta coalescit; quandoquidem ad eius vocationem, ad eius sanctificationem, ad eius regimen, ad eius sempiternam salutem totum spectat sacrae Hierarchiae ministerium, tamquam ad suum finem. Nec minore Nos afficiunt solacio ea quae per hanc Constitutionem de Nostris in Episcopatu Fratribus statuuntur. Oh quam gaudemus, cum animadvertamus, ipsorum dignitatem sollemniter declarari, munera celebrari, potestatem agnosci ! Oh quam impensas grates Deo persolvimus, quod feliciter contigit, ut Nosmetipsi sacram ministerii vestri dignitatem vestrique plenitudinem sacerdotii honore debito exornaremus, itemque mutuae necessitudinis vincula declararemus, quae inter Nos et vos, Venerabiles ac dilecti Fratres, intercedunt.

Id quoque non sine pietatis affectu considerare placuit, quod munus primarium, singulare, universale, quod Christus Dominus Petro contulit et ad ipsius successores, hoc est Romanos Pontifices, transmittitur — cuius quidem partes ofilcii hodie Nos licet immerentes sustinemus — hoc munus, dicimus, in sollemni Documento, a Nobis iam iam promulgato fuse ac saepe agnoscitur eique reverentia tribuitur. Id Nobis non placere non potest ; at non propter dignitatem quae exinde in Nos recidat, cum Nos tantum officium reformidemus potius quam cupide teneamus; sed verius propter honorem verbis Christi exhibitum, propter rursus confirmatam concordiam cum sacra traditione et Ecclesiae magisterio, ac denique propter sancitam tutelam sive ipsius Ecclesiae unitatis, sive etiam cohaerentis atque efficacis actionis, quae in Ecclesiae regimine in tuto est omnino ponenda. Summopere autem intererat, has Summi Pontificatus praerogativas tunc aperte ac definite agnosci, cum solvenda erat quaestio de auctoritate episcopali in Ecclesia ; ita quidem

ut talis auctoritas videretur nullo modo adversari, sed plane congruere potestati Vicarii Christi et Capitis collegii episcopalis, secundum ius Ecclesiae constitutivum.

Per hanc igitur arctam et in ipsa rei natura positam coniunctionem, Episcopatus efficitur quoddam unum inter se cohaerens corpus, habens in Episcopo, Beati Petri Successore, non diversam neque externam potestatem, sed contra suum caput et veluti centrum ; quo Nos ipsi impellimur, ut sollicito studio vestra iura una cum Nostris praedicemus, atque de eorum incrementis gaudeamus, eorum vindicemus praestantiam, et iis aeque ac Nostris cumulum perfectionemque afferamus.

Hac igitur ratione episcopali officio suam plenam agnoscentes vim atque efficacitatem, animadvertimus fidei, caritatis, suscepti oneris et mutuae adiutricis operae communionem circa Nos augeri. Dum ergo vestram agnoscimus et extollimus auctoritatem, minime timemus, ne minuatur vel impediatur Nostra; immo Nos validiores fieri sentimus, ob animorum coniunctionem, per quam fratres efficimur; item magis idoneos Nos evadere scimus universae regendae Ecclesiae, cum probe noverimus unumquemque vestrum ad idem consilium assequendum conspirare ; confidentiores denique Iesu Christi adiumentis Nos fieri sentimus,, cum omnes inter nos arctius in eius nomine sociemur, atque coniungi in posterum cupiamus.

Quosnam vero effectus huiusmodi doctrinae explanatio re et usu consecutum sit, haud facile nunc conspicitur; sed haud difficile provideri potest, fore ut ea ferax omnino sit spiritualium pervestigationum et canonicorum institutorum. Oecumenicum Concilium proxima quarta Sessione concludetur. Ut autem eius decreta ad effectum deducantur, complures Commissiones *post-conciliares* instituendae erunt, in quibus moderandis plane oportebit, ut Episcopatus suam adiutricem operam praestet. Item eo consilio moti, ut generalis momenti negotia componamus, quae huius nostri temporis veluti propria nota sunt, et continenter exoriuntur, Nos paratiores usque erimus quosdam ex vobis deligendos, Venerabiles Fratres, certis temporibus arcessere atque ad deliberationem adhibere, ne Nobis vestrae praesentiae solacium, vestrae prudentiae ac rerum usus auxilium, vestri consilii munimentum, vestrae auctoritatis suffragium desit; hoc utiliter etiam fiet eo quod Curia Romana in novam formam redigenda, cui rei diligenter studetur, experientia uti poterit Pastorum dioecesium ; atque ita officia sua, quae iam efficacitate pollent ob fidele ministerium, ad absolutionem perfectionem-

que perducet ope Praesulum, e variis regionibus oriundorum et adiumentum sapientiae suae et caritatis afueren tium.

Quod ad rem et usum attinet, adauctus studiorum ac deliberationum numerus aliqua fortasse laborabit difficultate, quandoquidem multorum agendi ratio maiora kabet impedimenta quam singulorum. Si autem id Ecclesiae indoli simul monarchicae et hierarchicae aptius respondet, idque per adiutricem vestram praestitam operam labores Nostros magis allevat, prudentia et caritate difficultates evincamus, quae ad implicatiorem huiusmodi ecclesiastici regiminis disciplinam suapte natura attinent.

Nobis sperare placet fore ut ex doctrina de Ecclesiae mysterio, quam Concilium Vaticanum secundum illustravit atque enuntiavit, iam nunc bona multa in hominum animos, praesertim catholicorum, proficiscantur, ut videlicet christifideles omnes verum Sponsae Christi vultum planius delineatum et ostensum videant; ut suae matris et magistrae videant pulchritudinem; ut videant simplicitatem et maiestatem venerabilis huius instituti ; ut hoc quasi miraculum suspiciant historicae fidei, praeclarae vitae socialis, et latarum legum optimarum, itemque signum quoddam continuos progressus indicans : in quo divina et humana pars conexae copulantur, ut exinde in hominum, in Iesum credentium, societate consilium Incarnationis et Redemptionis luculenter appareat: ut scilicet, de S. Augustini sententia, Christus totus appareat, Salvator noster.

De quo iucundissimo spectaculo imprimis laetitia exsultent, qui unice et constanter christianam perfectionem profitentur, Religiosos viros ac mulieres dicimus, qui Ecclesiae sunt membra optima, generosi defensores, filii carissimi.

Sed de eodem spectaculo gaudeant oportet ii etiam ex Nostris Fratribus et Filiis, qui in territoriis degunt vitam, ubi etiam nunc iusta et digna religionis profitendae libertas, vel omnino recusatur, vel eatenus imminuitur, ut eos in Ecclesia ascribere opus sit, quam vel *a silentio* vel *a lacrimis* appellare debeamus. Item ipsi de magnifica doctrina delectentur, Ecclesiam collustrante, quam ab ipsis toleratae aegritudines ab ipsisque praebita fides splendide testificantur. Qui haec faciunt, gloriam nanciscuntur maximam, cum Christo nempe similem, humanae Redemptionis victima.

In spem praeterea erigimur fore ut eandem Ecclesiae doctrinam aequo benevolentique animo perpendant in Christo fratres, qui etiam nunc a nobis seiuncti sunt. Oh quam velimus, ut ea doctrina, explica-

tionibus completa, in Schemate *de Oecumenismo* comprehensis, quod hoc Concilium pariter probavit, eorum animos, quasi amoris fermentum quoddam, excitet ad sua consilia, et ad sua proposita ita recognoscenda, ut ii magis magisque ad communionem nostram admoveantur, atque tandem, Deo donante, in hac nobiscum sint pares. Interea autem nos, ipsa doctrina perculsi, summa cum mentium nostrarum laetitia animadvertimus, Ecclesiam, dum suae figurae lineamenta tradit, suae caritatis fines nequaquam contrahere, sed magis prorogare, neque suae catholicitatis, quam vocant, multiplicem motum reprimere, quae semper progreditur, semperque invitat. Quo loco, ut nobis liceat rogamus, Observatoribus, qui hic Ecclesiarum vel christianarum confessionum, a Nobis disiunctarum, legati sunt, tum reverenter salutem dicere, tum gratam voluntatem testari, quod Congregationibus Conciliaribus interesse voluerunt, tum pro illorum prosperitate vota suscipere.

Denique voluntas Nobis esset, ut sacra Ecclesiae doctrina profanum etiam saeculum, in quo ipsa vivit et a quo saepta continetur, aliquo ineundae suae lucis repercussu illuminaret : ea enim sicut illud signum elevatum in nationibus [2] se praebeat oportet, ut omnes in itinere ad veritatem et ad vitam consequendam tuto dirigat. Sicut enim omnibus patet, huius doctrinae explicatio, dum ad severam sacrae theologiae rationem et viam se fideliter accommodât, quae ipsam probat atque praedicat, ea tamen humanum genus non obliviscitur : humanum genus dicimus, quod vel ad Ecclesiam conduit, vel historica et socialia rerum locorumque adiuncta efficit, in quibus ipsa divino suo munere fungitur. Ecclesia humani generis causa constituta est. Ecclesia nullam aliam terrenam auctoritatem sibi vindicat, quam eam, quae ipsi permittit, ut hominibus inserviat eosque diligat.

Ecclesia sancta, dum suum sentiendi modum atque suam compagem ad perfectionem adducit, non sese ab usu et consuetudine secernit hominum, quibuscum vivit, sed eo potius spectat, ut eos melius intellegat, eorum angustias et legitima optata participet, eorum conamina sustentet, ad assequendam prosperitatem, libertatem et pacem suscepta.

Huiusmodi autem institutum sermonem in extremo Concilio plane continuabimus, cum scilicet Schema ((De libertate religiosa », quod tantum ob temporis defectum, sub exitum huius Sessionis, pertractari non potuit, itemque aliud Schema « De Ecclesia in mundo huius temporis » — quod Concilii operi veluti sertum imponet, quodque in hac

[2] **Cfr. *Is.* 5, 26.**

Sessione iam breviter perstrietum est — in proxima et ultima Sessione omni ex parte explicata erunt.

Quibus dictis, antequam verbis hisce Nostris finem imponimus, alia proposita res cogitationem Nostram suaviter tangit.

Scilicet, Venerabiles Fratres, facere non possumus quin cogitationem convertamus, animo quidem sincero et grato, ut filios addecet, etiam ad Beatissimam Virginem Mariam, ad Eam scilicet, quam libenter habemus tutricem huius Concilii, testem laborum nostrorum, consiliatricem amabilissimam ; eius enim et Sancti Ioseph patrocinio caelesti ab initio coetus Concilii crediti sunt.[3]

Hac eadem ducti mente Almam Deiparam anno praeterito communi excoluimus obsequio, in Liberiana Basilica congregati ad venerandam imaginem, cui hoc gloriosum nomen adiectum est : ((Salus Populi Romani)).

Hoc vero anno honor, quem Concilium eidem adhibere cupit, multo magnificentior est ac significantior : etenim hac Constitutione de Ecclesia hodie promulgata, cuius veluti fastigium est totum caput de Beata Maria Virgine agens, iure affirmare nobis licet hanc Sessionem finem capere veluti quodam hymno incomparabili, quo laudes Deiparae Virginis celebrentur.

' Primum enim factum est — quod enuntiantes animo penitus commovemur — ut Concilium aliquod Oecumenicum ad unum quasi ac tam amplum corpus redigerei doctrinam catholicam circa locum Beatae Mariae Virgini in mysterio Christi et Ecclesiae tribuendum.

Id plane congruit cum iis, quae huic Concilio sunt proposita, utpote quod ostendere studeat vultum sanctae Ecclesiae, cui Dei Genetrix est arcte iuncta et cuius est, ut quidam egregie dixit, « portio maxima, portio optima, portio praecipua, portio electissima » .[4]

Ecclesia enim ipsa non efficitur tantum ordine suo hierarchico, sacra liturgia, sacramentis, compage institutorum suorum; sed intima eius vis et proprietas, fons praecipuus efficacitatis, qua homines sanctificat, posita sunt in mystica eius coniunctione cum Christo; quam quidem coniunctionem censere non possumus abstractam ab Ea, quae est Mater Verbi Incarnati, et quam Christus ipse sibi intime sociavit ad nostram salutem procurandam.

Itaque Ecclesiam ipsam intuentes, oportet amanti animo contem-

*** Cfr. *A. A. S.* LIII, 1961, p. 37S., 211 SS; LIV, 1962, p. 727.**

[1] **Rupertus, in *Apoc.* I, VII, c. 12; P.L. 169, 1043.**

plemur mirabilia, quae Deus in Sancta Matre sua est operatus. Atque cognitio verae doctrinae catholicae de Beata Maria Virgine semper subsidium erit efficax ad recte intellegendum mysterium Christi et Ecclesiae.

Has arctas rationes considerantes, quibus Maria et Ecclesia inter se coniunguntur, quaeque in hac Constitutione Concilii tam dilucide sunt expositae, eaedem Nobis suadent, ut hoc temporis momentum solemnissimum et maxime opportunum esse ducamus ad votum implendum, quod in praeteritae Sessionis fine significavimus et permulti Patres itidem susceperunt, instanter rogantes, ut inter hoc Concilium expressis verbis munus maternum annuntiaretur, quod Beata Maria Virgo in christiano populo gerit. Hac de causa expedire Nobis videtur, ut in hoc ipso publico coetu rite titulum inducamus, quo Beata Maria Virgo honoretur, qui a variis orbis catholici partibus postulatus est, Nobisque peculiari modo acceptus gratusque ; siquidem mirabili quadam brevitate eximium locum exprimit, quem Deiparae in Ecclesia proprium esse hoc Concilium agnovit.

Igitur ad Beatae Virginis gloriam ad nostramque solacium, Mariam Sanctissimam declaramus Matrem Ecclesiae, hoc est totius populi christiani, tam fidelium quam Pastorum, qui eam Matrem amantissimam appellant; ac statuimus ut suavissimo hoc nomine iam nunc universus christianus populus magis adhuc honorem Deiparae tribuat eique supplicationes adhibeat.

De appellatione agitur, Venerabiles Fratres, christianorum pietati haud insueta; quin immo hoc potissimum Matris nomine christifideles et Ecclesia universa Mariam invocare praeoptant. Hoc revera nomen ad germanam Marianae pietatis rationem pertinet, cum in dignitate ipsa, qua Maria utpote Mater Verbi Dei Incarnati praedita est, firmiter innitatur.

Sicut enim divina Maternitas causa est, cur Maria singulares prorsus cum Christo rationes habeat eademque praesens adsit in humanae salutis opere a Christo Iesu peracto, ita pariter e divina Maternitate praesertim eae profluunt rationes, quae inter Mariam et Ecclesiam intercedunt ; quandoquidem Maria Mater Christi est, qui statim ac in ipsius virginali utero humanam naturam assumpsit, sibi ut Capiti adiunxit Corpus suum mysticum, quod est Ecclesia. Maria igitur, utpote Mater Christi, Mater etiam fidelium ac Pastorum omnium, scilicet Ecclesiae, habenda est.

Hinc causa est, cur nos, licet indignos, licet debiles, nihilominus fidenti animo filiorumque amore flagrantes ad Eam oculos attollamüs.

Quae olim Iesum, supernae gratiae fontem, nobis donavit, ipsa maternam suam opem Ecclesiae non afferre non potest, hoc praesertim tempore, quo Christi Sponsa alacriore studio salutiferum suum munus explere contendit.

Ad hanc autem fiduciam magis usque alendam confirmandamque, Nobis suadent arctissima ea vincula, quae inter hanc nostram caelestem Matrem et humanum genus intercedunt. Etsi amplissimis admirandisque donis a Deo cumulata est, ut digna Mater Incarnati Verbi efficeretur, nihilominus Maria proxima nobis est. Sicut nos, et ipsa est Adae filia, ac propterea etiam nostra soror ob communem humanam naturam ; quae immunis quidem fuit ab originaria labe ob futura Christi merita, sed divinitus acceptis donis ipsa suae ipsius perfectae fidei exemplum addidit, ita ut evangelicum promereret praeconium : « Beata, quae credidisti ».

In hac mortali vita perfectam Christi discipuli formam expressit, speculum fuit omnium virtutum, atque plene in suos rettulit mores beatitudines illas, quae a Christo Iesu praedicatae fuerunt. Quo fit, ut Ecclesia universa, dum multiformem suam vitam actuosamque suam navitatem explicat, a Deipara Virgine absolutissimum exemplum sumat, quo perfecte Christum imitari oporteat.

Quare, post Constitutionem de Ecclesia rite promulgatam, cui quidem, Mariam omnium fidelium et Pastorum seu Ecclesiae Matrem declarando, veluti fastigium imposuimus, fore omnino confidimus, ut christianus populus maiore spe ac ferventiore studio invocet Beatissimam Virginem, eique cultum et honorem debitum exhibeat.

Ad nos quod attinet, quemadmodum Decessoris Nostri Ioannis XXIII exhortation! obtemperantes, primum in hanc Concilii aulam convenimus una « cum Maria, Matre Iesu », ita pariter in sanctissimo suavissimoque nomine Mariae, Ecclesiae Matris, ab hoc templo discedamus.

Ad testandum autem gratum memoremque animum ob maternam opem nobis a Maria benigne praestitam per huius Sessionis decursum, unusquisque vestrum, Venerabiles Fratres, studeat Mariae nomen et honorem apud christianum populum impensius extollere, eiusque exemplum ad imitandum proponat, quoad fidem, quoad obsequium cuilibet caelestis gratiae impulsioni prompte praestandum, quoad vitam denique Christi praeceptis caritatisque afflatu penitus conformandam ; ita quidem ut fideles universi, inter se communis Matris nomine coniuncti, sese sentiant magis magisque firmos in fide profitenda atque in Christo Iesu assectando, atque simul ardentiore caritate ferveant erga fratres, pro-

movendo pauperum amorem, iustitiae studium et pacis tutelam. Quemadmodum iam magnus Sanctus Ambrosius egregie admonebat, *sit iii singulis Mariae anima ut magnificet Dominum; sit in singulis spiritus Mariae ut exsultet in Deo.*[5]

Praesertim exoptamus ut id praeclara in luce collocetur : scilicet Mariam, humilem Domini ancillam, ad Deum et ad Christum Iesum, unicum Mediatorem Redemptoremque nostrum, totam spectare. Pariterque cupimus, ut perspicue explicetur, qua vera natura polleat, et quorsus intendat cultus Mariae Virgini debitus, in iis potissimum regionibus, ubi plures commorantur seiuncti a nobis fratres, ut, quotquot extra Catholicae Ecclesiae sinum degunt, plane intellegant, pietatem erga Deiparam Virginem non in seipsa consistere, sed subsidium esse censendum, quod suapte natura homines ad Christum perducit, eosque cum Aeterno caelorum Patre, in Sancti Spiritus caritatis vinculo, coniungit.

Dum animum flagranti supplicatione ad Beatam Virginem Mariam intendimus, ut Oecumenico Concilio atque sanctae Ecclesiae bene precetur, et exspectatum deproperet tempus, quo omnes Iesu Christi sec tutores inter se iterum devinciantur, oculi Nostri ad universum terrarum orbem, in immensum veluti sese protendentem, convertuntur : terrarum orbem dicimus, iii quem considerandum Oecumenica haec Synodus alacres atque amantissimas curas intendit, quem pariter Decessor Noster Pius XII v. m., haud sine caelesti afflatu, Immaculato Mariae Virginis Cordi sollemni ritu dicavit. Huiusmodi sanctissimum religionis obsequium singularem in modum hodie a Nobis commemorari, aequum esse duximus. Hoc igitur moti consilio, per Legationem ad id proprie destinatam proxime mittere decrevimus Auream Eosam ad Patimense templum, non modo perquam earum populo nobilis Lusitaniae Nationis quem semper, at hodie praesertim dilectissimum habemus — sed etiam apud omnes catholicae familiae fideles iam cognitum ac veneratimi. Hac igitur ratione etiam Nos caelestis Matris tutelae universum hominum genus protegendum, eiusque difficultates et anxitudines, iusta optata spesque ardentissimas committimus.

O Deipara Virgo Maria, Ecclesiae Mater augustissima, Tibi universam Ecclesiam atque Oecumenicum Concilium commendamus.

Quae « Episcoporum auxilium)) suavi appellatione nuncuparis, sa-

[5] **S. Ambros. Exp. in *Luc.* 2, 26; *P.L.* 15, 1642.**

eros Pastores in suo tuendo munere custodi iisdemque adsis, una cum sacerdotibus, religiosis sodalibus atque e laicorum ordine fidelibus, quotquot adiutricem operam illis in arduis sustinendis pastoralis ofiicii partibus conferunt.

Quae ab ipso Divino Servatore, Filio Tuo, in Cruce moriente, Mater tradita es amantissima discípulo, quem ille diligebat, christiani populi memento, qui se Tibi committit.

Omnium Tuorum memor sis filiorum; eorum precibus singularem Tuam virtutem auctoritatemque apud Deum adiunge; eorum fidem integram atque constantem serva, spem robora, accende caritatem.

Memento- eorum, qui in rerum angustiis, in necessitatibus, in periculis versantur, et eorum in primis, qui vexationes patiuntur atque ob christianam fidem in vinculis detinentur. Ipsis, Virgo Mater, animi fortitudinem impetra atque exspectatam iustae libertatis depropera diem.

Tuos benignissimos oculos ad nostros seiunctos fratres converte, Tibique placeat ut inter nos iterum aliquando coniungamur, quae Christum, inter Deum et homines unitatis pontem atque artificem, genuisti.

O intaminatae neque umquam obumbratae lucis templum, Unigenitum Filium Tuum deprecare, per quem nunc reconciliationem cum Patre accepimus,[6] ut erratis nostris adhibeat misericordiam, discidia omne genus arceat, gaudium amandi fratres nostris mentibus tribuat.

Immaculato Cordi Tuo, o Deipara Virgo, universum genus humanum commendamus; ipsum adduc ad Christum Iesum, unicum verumque Servatorem, agnoscendum; calamitates ab eo depelle, quas peccata secum adducunt ipsique compara pacem, quae in veritate, in iustitia, in libertate atque in amore consistit.

Tandem universae Ecclesiae concede, ut, magnam hanc celebrans Oecumenicam Synodum, valeat misericordiarum Deo sollemnem laudis et gratiarum actionis hymnum concinere, hymnum laetitiae et exsultationis, quia fecit per Te magna qui potens est, o clemens, o pia, o dulcis Virgo Maria.

Rom. **5, 11.**

XIII

Ad Excellentissimum Virum Georgium Borg Olivier, Primum e Consilio publicae rei moderandae in Melitensi Civitate Administrum. *

Mister Prime Minister,

We are happy to receive your visit, to greet you, and to greet in your person the beloved Maltese Nation with its more than two-thousand-year history, distinguished by unbroken and most glorious Catholic traditions. Malta received the Christian message f rom the hands of the Apostle Saint Paul himself, and that message she has jealously guarded down through the centuries, and amid the most various expériences and vicissitudes.

Your visit gives Us a welcome occasion to renew Our prayerful good wishes to Malta, on her recent inscription on the roll of independent Nations. We have followed with affectionate concern the préparation and célébration of that historie event ; and it was with particular pleasure that We noted that the negotiations were marked by reconfirmation of that faithfulness to its profoundly Catholic character, both in private and in public life, which is the noble héritage of the Maltese people.

With God's assistance and blessings, may Malta continue upon this new path in unswerving fidelity to her religious traditions, in peace, in security, in truly construetive industri'ousness in finding solutions for the various problems which arise, even in regard to a flourishing development in the material and temporal order. In this, may she also be able to count upon the aid and collaboration of friendly Nations.

May this prayer be strengthened by Our Apostolic Blessing, *which from Our heárt We bestow upon you, Mister Prime Minister, upon yoür family, the distinguished members of your retinue, the civil authorities a.nd all the beloved people of Malta.

*** Die 28 mensis Novembris a. 1964**

NUNTIUS RADIOPHONICUS

A Summo Pontifice datus, cum per hebdomadam iterum haberetur inceptum de radiophonica vocis diffusione, v. d. « Settimana mondiale della Radio ». *

Noi diamo volentieri nn Nostro messaggio alla seconda Settimana mondiale della Radio.

Il Nostro messaggio vuole innanzi tutto riconoscere il prodigioso carattere strumentale della Radio : si esprime in essa una delle più meravigliose conquiste della scienza, della tecnica e della capacità organizzativa dell'uomo del nostro tempo ; a questa conquista diamo il Nostro plauso ed il Nostro incoraggiamento; essa, in fondo, altro non è che un imprevisto e felice incontro dell'ingegno umano con le leggi e le forze della natura, cioè di quell'universo ch'è opera di Dio creatore ; è la scoperta d'un pensiero divino nelle cose create ; è un dialogo nuovo che l'uomo prosegue col cosmo che risponde misteriosamente e meravigliosamente.

Vuole inoltre questo Nostro messaggio salutare la voce : la voce di cui la Radio si fa strumento. La voce è espressione dello spirito; e la Radio offre allo spirito un servizio non mai prima d'ora da lui goduto, quello di poter irradiarsi nei cieli e negli animi in misura che tende a farsi universale. È il trionfo della voce; è un trionfo dello spirito. Per noi, « cultores Verbi)), cultori della Parola, adoratori del Verbo di Dio fatto uomo, * è facile riscontrare nella Radio un fatto sublime, proprio perché essa si allinea nell'ordine della parola che si fa linguaggio umano universale; un fatto simbolico, nel quale Ci piace ravvisare, nell'ordine naturale, un riflesso dell'ordine soprannaturale supre'mo, quello del Verbo di Dio che si esprime con virtù creatrice in tutte le cose e che storicamente si è fatto uomo per essere nostro maestro e nostro salvatore in Cristo Signore.

Pensando a questo, il Nostro messaggio diventa augurio, diventa esortazione ; e cioè vorremmo che la Radio fosse sempre e davvero voce dello spirito guidato dal Verbo di Dio; fosse cioè sempre al servizio della verità, della giustizia, della bellezza, dell'amore; fosse strumento di amicizia e di pace fra gli uomini. E con questo voto diamo alla Radio e mandiamo a quanti ne curano egregiamente le sorti e ne ascoltano la trasmissione la Nostra Benedizione Apostolica.

*** Die 8 mensis Novembris a. 1964.**

NUNTIUS SCRIPTO DATUS

Ad Metropolitam Heliopolitanum ceterisque qui interfuerunt Coetui Rhodi habito ab Ecclesiis Orientalibus ab Apostolica Sede seiunctis.

Excellentissimes Seigneurs et Frères très chers dans le Christ.

C'est du fond du cœur que Nous vous envoyons Notre salut fraternel. Tandis que vos frères de l'Eglise catholique romaine, réunis en concile, s'interrogent sur les voies à suivre pour se montrer toujours plus fidèles au dessein de Dieu sur son Eglise, en cette époque si riche en possibilités, mais en même temps, si pleine de tentations et d'épreuves, vous vous apprêtez à vous pencher vous-mêmes sur ces mêmes problèmes pour répondre aussi toujours mieux à cette volonté du Seigneur.

Profondément pénétré de l'importance de cette vénérable assemblée Nous appelons sur elle d'une prière fervente la lumière de l'Esprit Saint.

Veuillez agréer l'assurance que Nous-même, avec le concile actuellement réuni et toute l'Eglise catholique, Nous suivrons avec un intérêt tout particulier le déroulement de vos travaux, les associant dans une ardente prière à ceux qui se poursuivent en ce même moment près du tombeau de l'Apôtre Pierre, pleinement confiant que la grâce du Seigneur sera d'autant plus abondante sur les uns et les autres qu'une commune charité aura inspiré et animé cette commune prière.

Nous souvenant de la recommandation de l'Apôtre Paul: ((Portez les fardeaux les uns des autres ; c'est ainsi que vous accomplirez la loi du Christ », Nous osons compter sur le bienfait de votre prière, Excellentissimes Seigneurs et chers frères dans le Christ, afin que le Seigneur nous donne les grâces nécessaires au fidèle accomplissement du service auquel Nous a appelé un mystérieux dessein de sa Providence.

Daigne la très Sainte Mère de Dieu, notre commune mère, que Nous prions et honorons avec la même ferveur, intercéder pour que nous croissions toujours davantage en l'amour de son fils, Notre Sauveur et unique Seigneur. Puisse la charité nourrie à la table du Seigneur nous rendre chaque jour plus soucieux de « l'unité de l'esprit dans le lien de la paix

Du Vatican, le 29 octobre 1964.

PAULUS PP. VI

Evêque de Rome

[1] **Cfr. *Eph.* 4, 3.**

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

i

PROVISIO ECCLESIARUM

Sanctissimus Dominus Noster Paulus Divina Providentia Pp. VI, successivis decretis Sacrae Congregationis Consistorialis, singulas quae sequuntur Ecclesias de novo Pastore dignatus est providere, nimirum :

die 12 Septembris 196%. — Titulari pro hac vice archiepiscopali Ecclesiae Dionysianensi Exc. P. D. Didacum Mariam Gómez Tamayo, hactenus Archiepiscopum Popayanensem.

die 24 Septembris. — Cathedrali Ecclesiae S. Deodati R. D. Ioannem Vilnet, moderatorem Seminarii Maioris dioecesis Lingonensis.

— Cathedrali Ecclesiae Venetensi R. D. Augustum Boussard, Vicarium Generalem dioecesis Corisopitensis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Telensi Exc. P. D. Eugenium Iosephum Mariam Le Bellec, hactenus Episcopum Venetensem.

die 26 Septembris. — Cathedrali Ecclesiae Oenipontanae, noviter «erectae, Exc. P. D. Paulum Rusch, hactenus. Episcopum titularem Meloënsem in Isauria.

die 30 Septembris. — Titulari episcopali Ecclesiae Avioçcalensi R. P. Antonium Kühner y Kühner, e Congregatione Missionariorum Filiorum SSmi Cordis Iesu, Praelatum «nullius)) Tarmensém.

— Titulari episcopali Ecclesiae Africanae R. P. Marcum Libardoni, «e Congregatione Oblatorum S. Iosephi Astae Pompeiae, Praelatum <(nullius)) Huariensem.

die 7 Octobris. — Cathedrali Ecclesiae Brixiensi Exc. P. D. Aloisium Morstabilini, hactenus Episcopum Verulanum-Frusinatensem.

— Titulari episcopali Ecclesiae Filacensi Exc. P. D. Clarentem Georgium Issenmann, hactenus Episcopum Columbensem, quem constituit Coadiutorem cum iure successionis Excmi P. D. Eduardi Francisci Hoban, Archiepiscopi-Episcopi Clevelandensis.

— Coadiutorem cum iure successionis Excmi P. D. Iosephi Henrici Albers, Episcopi Lansingensis, Exc. P. D. Alexandrum M. Zaleski, Episcopum titularem Lyrbitanum.

die 17 Octobris. — Titulari episcopali Ecclesiae Marazanensi R. P. D. Georgium Henricum Guilfoyle, Antistitem Urbanum, ex archidioecesi Neo-Eboracensi, quem deputavit Auxiliarem Emi P. D. Francisci S. R. E. Card. Spellman, Archiepiscopi Neo-Eboracensis.

die SI Octobris. — Cathedrali Ecclesiae Ipialensi, noviter erectae, R. P. D. Michaelem Angelum Arce, Canonicum Capituli metropolitam et Vicarium Generalem archidioecesis Popayanensis.

die 1 Novembris. — Metropolitanae Ecclesiae S. Pauli in Brasilia Exc. P. D. Agnelum Rossi, hactenus Archiepiscopum Rivi Nigri.

die k Novembris. — Metropolitanae Ecclesiae Sancti Ioannis Portoricensis Exc. P. D. Aloisium Aponte Martínez, hactenus Episcopum Poncensem.

— Cathedrali Ecclesiae Poncensi R. D. Fremiot Torres Oliver, officialem Curiae Poncensis.

die 10 Novembris. ¡— Titulari episcopali Ecclesiae Macrianensi maiori R. P. D. Iulianum Vaivods, dioecesis Leipaiensis, Antistitem Urbanum, quem constituit Administratorem Apostolicum « ad nutum Sanctae Sedis)) Archidioecesis Rigensis et dioecesis Leipaiensis.

II

LUNENSIS **SEU** SPEDIENSIS, S ARIANENSIS, BRUGNATENSIS **ET** PLACENTINAE

DECRETUM

De mutatione finium dioecesium

Quo aptius animarum bono sibi concreditarum consuleret, Excmus P. D. Iosephus Stella, Episcopus Lunensis seu Spediensis, Sarzanensis et Brugnatensis, consentiente ExCmo P. D. Humberto Malchiodi, Archiepiscopo-Episcopo Piacentino, ab Apostolica Sede nuper expostulavit ut territorium vulgo « *Gasa Fazzi* », in paroecia « Scurtabò » exstans, ä dioecesi Spediensi, cui nunc pertinet, disiungeretur et dioecesi Placentinae adnecteretur.

Sacra Congregatio Consistorialis, rata huiusmodi immutationem in spirituali animarum bono vere cessuram, vigore specialium facultatum sibi à Summo Pontifice Paulo Divina Providentia Pp. VI tributarum, porrectis precibus annuendum censuit.

Quapropter suppleto, quatenus opus sit, interesse habentium vel habere praesumentium consensu, praesenti Consistoriali Decreto, per-

inde valituro ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent, statuit ut locus ((Casa Fazzi)) a dioecesi Spédiensi separetur et ad dioecesim Placentinam uniatur, mutatis bac ratione utriusque dioecesium finibus, ita ut fines dioecesis Lunensis congruant ad amussim cum illis civilis provinciae cui nomen La Spezia est.

Ad haec omnia perficienda Consistorialis Sacra Congregatio deputat Excmum P. D. Humbertum Malchiodi, Archiepiscopum-Episcopum Placentinum, eidem tribuens necessarias et opportunas facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito quam primum remittendi ad eamdem Congregationem Consistorialem authenticum exemplar actus peractae exsecutionis.

Contrariis quibusvis minime obstantibus.

Datum Romae, ax Aedibus Sacrae Congregationis Consistorialis, die 20 Iunii 1964.

CAROLUS Card. CONFALONIERI, *a Secretis*

L. © S.

t Franciscus Carpino, Archiep. tit. Serdicen., *Adsessor*

III

NANNETENSIS

DECRETUM

De suppressione Capituli collegialis S. Donatiani

Ad augendum splendorem cultus SS. fratribus Donatiano et Rogatiano Martyribus, dioecesis îsTannetensis Patronis, iam a primaevis saeculis praestiti, Summus Pontifex Leo XIII fel. rec, per Apostolicas Litteras « Nannetis vetusta)) in forma Brevis die 15 Decembris 1882 datas, templum Nannete extans eorumdem martyrum honori dicatum ad dignitatem collegialis ecclesiae evexit, condito ibi Collegiali Capitulo.

In praesens vero, mutatis rerum condicionibus, Capitulum S. Donatiani > ob exiguum canonicorum numerum eorumque provectam aetatem, non amplius sua munera, uti par est, explere valet, neque spes adest fore ut in posterum virescat.

Quapropter Excmus P. D. Ioannes Iosephus Villepelet, Episcopus

Nannetensis, consentientibus quorum interest, Apostolicae Sedi supplices porrexit preces ut Capitulum Collegiale S. Donatiani supprimeretur.

Sacra autem Congregatio Consistorialis, re mature perpensa praebabitoque favorabili voto Excmi" P. **D.** Pauli Bertoli, Archiepiscopi titulo Mcomediensis et in Gallia Apostolici Nuntii, vigore specialium facultatum sibi a SSmo Domino Nostro Paulo Divina Providentia PP. VI tributarum, oblatas preces accipiendas esse censuit.

Suppleto, proinde, quatenus opus sit, eorum interesse habentium vel habere praesumentium consensu, praesenti Consistoriali Decreto, perinde valituro ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent, Capitulum S. Donatiani in civitate Nannete perpetuo supprimit et omnino extinguit.

Statuit praeterea ut paroecia S. Donatiani posthac sit liberae collationis, ad tramitem iuris, atque ut bona sive Capituli sive capitularium, una cum adnexis piis fundationibus aliisque huiusmodi oneribus ad beneficium paroeciale pertineant.

Superstitibus demum sacerdotibus, qui e gremio extincti Capituli erant, Ordinarius pro tempore Nannetensis iuxta peculiarem conventionem providebit.

Ad haec omnia exsecutioni mandanda Sacra Congregatio Consistorialis memoratum Excmum P. D. Paulum Bertoli deputat, necessarias et opportunas eidem tribuens facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad eamdem Sacram Congregationem, cum primum fas erit, authenticum exemplar actus peractae exsecutionis remittendi.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus, etiam speciali mentione dignis.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis Consistorialis, die 27 Iulii 1964.

CAROLUS Card. **CONFALONIERI,** ***a*** *Secretis*

L. ***fB*** S.

f Franciscus Carpino, Archiep. tit. Serdicen., *Adsessor*

IV

PERUVIAE

DECRETUM

De immutatione Vicariatus Castrensis

Cum ob varias huius aevi vicissitudines Vicariatus Castrensis Peruviae — Consistoriali Decreto die 15 Maii 1943 erectus — in novas adductus fuerit condiciones, Excmus P. D. Santiago Hermoza Sarmiento, Archiepiscopus tit. Beroëensis et Vicarius Castrensis Peruviae, Apostolicae Sedi supplices porrexit preces, ut variationes quaedam inducerentur huius temporis adiunctis consentaneae.

Ssmus Dominus Noster Paulus Divina Providentia Pp. VI, praehabito favorabili voto Excmi P. D. Romuli Carboni, Archiepiscopi tit. Sidoniensis et in Republica Peruviana Nuntii Apostolici, ratus huiusmodi variationes in bonum animarum cessuras, de consilio infrascripti Emi P. D. Caroli S. R. E. Card. Confalonieri, Sacrae Congregationis Consistorialis Secretarii, precibus annuendum censuit.

Quapropter praesenti Consistoriali Decreto eadem Sanctitas Sua decernit :

1) ut inter subditos Vicariatus Castrensis Peruviani, memorato Decreto die 15 jMaii 1943 assignatos, posthac adlegantur etiam ; ***a)*** qui stipendia merentur in copiis vulgo nuncupatis « Guardia civil, Guardia. Republicana et Policia de investigaciones » ; *b)* familiae militum omnium copiarum Peruviae, id est uxores, liberi, propinqui et necessarii ac famuli qui cum illis cohabitent in locis militibus reservatis.

2) ut Vicarius Castrensis pro-Vicarium possit constituere eique necessarias et opportunas facultates tribuere.

3) ut vacante munere Vicarii Castrensis — nisi aliter Sancta Sede» providerit — Vicariatus Castrensis regimen assumat pro Vicarius Castrensis qui omnibus et solis facultatibus fruetur quae — congrua congruis referendo — Vicario Capitulari ad normam iuris communis competunt, eiusdemque obligationibus erit obnoxius.

Vicarius Castrensis iurisdictione pollebit personali, ordinaria, tum fori externi tum fori interni, speciali ac cumulativa cum iurisdictione Ordinariorum locorum, ad normam Instructionis de Vicariis Castrensibus *Sollemne semper* a Sacra Congregatione Consistoriali die 23 mensis Aprilis anno 1951 editae.

Vicarius Castrensis, collatis cum Reipublicae Praeside consiliis, ab Apostolica Sede deligetur et per peculiare Sacrae Congregationis Consistorialis Decretum officio potietur.

Sedes Vicariatus Castrensis eiusque Curiae Limae erit.

Curia autem ad instar dioecesanae efformantur atque ad eam pertinebunt : pro-Vicarius, consultores ceterique administri qui iudicio Vicarii Castrensis necessarii putentur.

Militum Cappellani a Vicario Castrensi, servatis servandis, nominantur eiusque potestate durante munere subduntur et animarum sibi commissarum curam gerunt muneribus et obligationibus parochorum congrua congruis referendo instructi.

Vicarius Castrensis Relationem de statu Vicariatus Castrensis singulis quinquenniis exhibebit, quaesitis respondens iuxta ea quae in « Formula servanda » praescribuntur, a Sacra Congregatione Consistoriali die 20 mensis Octobris anno 1956 statuta.

Quinquennia autem sunt fixa ad normam canonis 340, § 1, proinde huiusmodi obligationi satisfaciet anno quo locorum Ordinarii Reipublicae Peruvianae Relationem de statu dioecesium exhibere tenentur.

Eodem anno quo Relatio est promenda, Vicarius Castrensis ad Urbem Apostolorum Petri et Pauli sepulchra veneraturus accedat et Romano Pontifici se sistat.

Causas subditorum Vicariatus Castrensis Peruviae sive contentiosas; inter ipsos, sive criminales, tribunal metropolitanum Limanum in prima instantia, metropolitanum Arequipense in altera instantia pertractabunt.

Ad haec exsecutioni mandanda, Sanctitatis Sua deputare dignata est memoratum Excmum P. D. Romulum Carboni, necessarias et opportunas ei tribuens facultates etiam subdelegandi, ad effectum de *quo* agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad hanc Sacram Congregationem Consistorialem mittendi authenticum exemplar actus peractae exsecutionis.

Quibus super rebus praesens edi iussit Consistoriale Decretum perinde valiturum ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent.

Contrariis quibusvis minime obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis Consistorialis, die 14 Septembris 1964.

CAROLUS Card. **CONFALONIERI,** *a Secretis*

L. $ S-

f Franciscus Carpino, Archiep. tit. Serdicen., *Adsessor*

V

ARRETINAE ET CORTONENSIS

DECRETUM

De mutatione finium dioecesium

Exc.mus P. D. Telesphorus Ioannes Cioli, Episcopus Arretinus, et Exc.mus P. D. Iosephus Franciolini, Episcopus Cortonensis, quo melius animarum bono sibi concreditarum consulerent,' ab Apostolica Sede nuper expostulaverunt ut dioecesium fines mutarentur.

Sacra igitur Consistorialis Congregatio, rata huiusmodi immutationem spirituali animarum incremento vere cessuram, vigore specialium facultatum sibi a SSmo Domino Nostro Paulo Divina Providentia PP. VI tributarum, porrectis precibus annuendum censuit.

Quapropter, suppleto, quatenus opus sit, interesse habentium vel habere praesumentium consensu, praesenti Consistoriali Decreto, perinde valituro ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent, statuit ut territorium paroeciae vulgo « San Cristoforo a Piazzano », in municipio « Tuoro sul Trasimeno » exstans et ad dioecesim Arretinam pertinens, cum adnexo beneficio paroeciali cumque omnibus iuribus, oneribus et bonis, ab eadem dioecesi Arretina separetur et dioecesi Cortonensi adnectatur.

Ad haec autem perficienda Sacra Consistorialis Congregatio deputat Exc.mum P. D. Iosephum Franciolini, Episcopum Cortonensem, eidem tribuens necessarias et opportunas facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito quam primum remittendi ad eandem Congregationem Consistorialem authenticum exemplar actus peractae executionis.

Contrariis quibusvis minime obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis Consistorialis, die 15 Octobris 1964.

CAROLUS Card. CONFALONIERI, *a Secretis*

L. © S.

† Franciscus Carpino, Archiep. tit. Serdicen., *Adsessor*

VI

GANDAVENSIS

DECRETUM

De Capituli cathedralis innovatione

Ad decorem sacrorum rituum decusque cathedralis ecclesiae augendum, Ex emus P. D. Leontius-Albertus van Peteghem, Episcopus Gandavensis, nuper Apostolicae Sedi supplices porrexit preces ut in numerato Capitulo cathedrali Gandavensi novi instituerentur canonicatus.

Sacra autem Congregatio Consistorialis, re mature perpensa habitoque favorabili voto Excmi P. D. Silvii Oddi, Archiepiscopi titulo Mesembriani et in Belgio Apostolici Nuntii, vigore specialium facultatum sibi a Ssmo Domino Nostro Paulo Divina Providentia Pp. VI tributarum, oblatis precibus annuendum censuit.

Quapropter, suppleto, quatenus opus sit, eorum interesse habentium, vel habere praesumentium consensu, hoc Consistoriali Decreto, perinde valituro ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent, statuit ut in Capitulo cathedrali Gandavensi decem iam extantibus alii ab Episcopo, pro suo prudenti arbitrio; adiungantur canonicatus, servatis tamen ad rem quod attinet praescriptis Codicis Iuris Canonici.

Ad haec vero perficienda eadem Sacra Congregatio deputat memoratum Excmum P. D. Silvium Oddi, eidem tribuens necessarias et opportunas facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere ipsi imposito ad Sacram Congregationem Consistorialem quam primum remittendi authenticum exemplar actus peractae exsecutionis.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis Consistorialis, die 15 Octobris 1964.

CAROLUS Card. CONFALONIERI, *a Secretis*

L. $ S.

f Franciscus Carpino, Archiep. tit. Serdicen., *Adsessor*

VII

BAUROPOLITANAE
(BAÜRUENSIS)

DECRETUM

Mutationis nominis dioeceseos

Apostolica Constitutione « Christi Gregis », diei 25 mensis Februarii anno 1964, in Republica Brasiliensi dioecesis erecta fuit, « Bauropolitana » nuncupata.

Cum vero territorium novae dioecesis, e solo arenario quo constitutum est, communiter a viris rerum naturae inquisitoribus sermone latino « Bauruense » appelletur, Excmus P. D. Vincentius Marchetti Zioni, Episcopus Bauropolitanus, ad quaslibet semovendas ambiguitates, ab Apostolica Sede expostulavit ut nomen de Curia dioecesis Bauropolitanae immutaretur.

Sacra Congregatio Consistorialis igitur, vigore specialium facultatum sibi a SSmo Domino Nostro Paulo Divina Providentia Pp. VI tributarum, praesenti Decreto statuit ut Bauropolitana dioecesis posthac « Bauruensis » -nominetur, eiusque pro tempore Praesul item « Bauruensis)) nuncupetur.

Quibus super rebus praesens edit Consistoriale Decretum perinde valiturum ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent.

Contrariis quibusvis minime obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis Consistorialis, die 22 mensis Octobris anno 1964.

CAROLUS Card. CONFALONIERI, *a Secretis*

L. $ S.

f Franciscus Carpino, Archiep. tit. Serdicen., *Adsessor*

VIII

PORTUS GRATIAE - GRANDFALLENS IS

DECRETUM

De translatione ecclesiae cathedralis atque sedis episcopalis et de mutatione nominis dioeceseos.

Sacra Congregatio de Propaganda Fide, Decreto, die 19 mensis Februarii anno 1856 dato, quo Portus Gratiae dioecesim erexit, insimul decrevit ut sedes episcopalis in urbe vulgo « Harbour Grâce » statueretur et paroeciale templum, in eadem urbe exstans, Deo in honorem Conceptionis Immaculatae Beatae Mariae Virginis dicatum, ad dignitatem et fastigium ecclesiae cathedralis nuper erectae dioeceseos eveheretur.

Cum vero, labentibus annis, in memoratae dioeceseos territorio amplior excrevisset urbs, vulgo « Grand Falls », opiflcibus et populi frequentia clarior, Portus Gratiae Episcopus ab Apostolica Sede expostulavit ut Sacrae Aedes, in eadem urbe exstantes, pariter Deo in honorem Conceptionis Immaculatae Beatae Mariae Virginis dicatae, ad dignitatem Ecclesiae con-cathedralis elevarentur et Portus Gratiae dioecesis — ideoque et eius pro tempore exsistens Antistes — ex nomine civitatis con-cathedralis, ((Portus Gratiae-Grandiallensis » vocari iure deinceps valerent.

Hisce interea praesentibus temporibus, dum antiquus vicus Portus Gratiae, olim piscatoribus frequens, mutatis rerum adiunctis, prorsus a perpaucis incolitur fidelibus, urbs e contra « Grand Falls », opificibus, fidelium numero ac Religionis et caritatis operibus increscentibus, maius ac maius momentum in singulos annos pertingit.

Quapropter Excmus P. D. Ioannes Michael 0'Neill, Episcopus Portus Gratiae-GrandfallensiSj ad fidelium necessitatibus aptius consulendum, ab Apostolica Sede enixe postulavit ut dioecesis Portus Gratiae-Grandfallensis necnon eiusdem cathedralis ecclesia atque episcopalis sedes mutarentur.

Porro haec Sacra Congregatio Consistorialis, re mature perpensa ac in primis habito favorabili voto Excmi P. D. Sergii Pignedoli, Archiepiscopi tit. Iconiensis et in Dicione Canadensi Delegati Apostolici, precibus annuendum censuit.

Quapropter suppleto, quatenus opus sit, eorum interesse habentium

vel habere praesumentium consensu, vigore specialium facultatum a Ssmo Domino Nostro Paulo Divina Providentia Pp. VI sibi tributarum, praesenti Consistoriali Decreto perinde valituro ac si Aposto licae sub plumbo Litterae datae forent, ea quae sequuntur decernit.

Memoratum templum, in urbe « Grand Falls » exstans, Deo in honorem Conceptionis Immaculatae Beatae Mariae Virginis dicatum, quod usque adhuc ut ecclesia con-cathedralis fungebatur, ad dignitatem et gradum ecclesiae cathedralis evehit, ita ut in eodem episcopalis cathedra posthac erigi possit ac debeat, collatis simul omnibus praerogativis et privilegiis quibus ceterae cathedrales ecclesiae, ad normam iuris communis, fruuntur.

Insuper episcopalem sedem in memorata urbe « Grand Falls » constituit et novum aptiusque ecclesiasticae circumscriptioni nomen assignat, ita ut Portus Gratiae-Grand Fallensis dioecesis —. ideoque et eiusdem pro tempore exsistens Antistes — ex civitate novae sedis episcopalis « Grandfallensis » deinceps vocari possit ac debeat.

Ad haec omnia exsecutioni mandanda eadem Sacra Congregatio Consistorialis deputat memoratum Excmum P. D. Sergium Pignedoli, eidem tribuens facultates necessarias et opportunas etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, facto ei onere quam primum mittendi ad eandem Sacram Congregationem authenticum exemplar actus peractae exsecutionis.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis Consistorialis, die 30 mensis Octobris anno 1964.

CAROLUS Card. **CONFALONIERI,** *a Secretis*

L. © S.

t Franciscus Carpino, Archiep. tit. Serdicen., *Adsessor*

IX

VALLIS PARADISI - SANCTI PHILIPPI

DECRETUM

De finium mutatione

Maiori Christifidelium spirituali bono apprime studentes, Excmi PP. DD. Aemilius Tagle Covarrubias, Archiepiscopus-Episcopus Vallis Paradisi, et Iosephus Aloisius Castro, Episcopus Sancti Philippi,

unanimi consensu, ab Apostolica Sede expostulaverant ut fines ecclesiasticarum circumscriptionum sibi concreditarum aliquantulum immutarentur ac aptius disponerentur, ita quidem ut dioecesium limites cum civilibus confiniis deinde conveniant.

Sacra Congregatio Consistorialis, praehabito favorabili voto Excmi P. D. Egani Righi-Lambertini, Archiepiscopi Docleensis, in Republica Chilensi Apostolici Nuntii, rata petitam immutationem aeternae animarum saluti cessuram, vigore specialium facultatum sibi a SSmo Domino Nostro Paulo Divina Providentia PP. VI tributarum, oblatis precibus benigne annuendum censuit.

Quapropter, suppleto, quatenus opus sit, eorum interesse habentium vel habere praesumentium consensu, praesenti Consistoriali Decreto a dioecesi Vallis Paradisi territorium regionis vulgo *Ghagres* distrahit, intra fines civilis provinciae cui nomen *Aconcagua* exstans, illudque dioecesi Sancti Philippi perpetuo adsignat.

Mandat insuper Sacra Congregatio Consistorialis ut documenta et acta praefati territorii clericos, fideles et bona temporalia respicientia a tabulario Curiae Vallis Paradisi ad archivum Curiae Sancti Philippi, quam primum, transmittantur.

Ad clerum quod attinet statuit ut, simul ac praesens Consistoriale Decretum ad effectum deductum fuerit, sacerdotes Ecclesiae illi censeantur adscripti in cuius territorio ecclesiasticum beneficium aut officium legitime detinent; ceteri autem sacerdotes, clerici, seminariique tirones dioecesi illi incardinati maneant vel incardinentur in cuius territorio legitimum habeant domicilium.

Ad haec perficienda Sacra Congregatio Consistorialis memoratum Excmum P. D. Eganum Righi-Lambertini deputat, necessarias et opportunas eidem tribuens facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad eamdem Sacram Congregationem, cum primum fas erit, authenticum exemplar actus peractae exsecutionis remittendi.

Quibus super rebus praesens edit Consistoriale Decretum perinde valiturum ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis Consistorialis, die 16 mensis Novembris anno 1964.

CAROLUS Card. CONFALONIERI, *a Secretis*

L. $ S.

f Franciscus Carpino, Archiep. tit. Serdicen., *Adsessor*

SACRA CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

i

USUMBURAËNSIS

(BUJUMBURAENSIS)

DECRETUM

De mutatione nominis dioecesis

Cum Excmus ac Revmus Dominus Vitus Roberti, Archiepiscopus titulo Tomitanus et Apostolicus in Burundi Nuntius, proposuisset ut praesens denominatio dioecesis Usumburaënsis permutaretur, ut deinde *Bujumburaënsis* nuncuparetur, iuxta novum nomen vulgo Bujumbura nuper urbi Usumburaënsi datum, Sacra haec Congregatio de Propaganda Fide, re mature perpensa, optatis praelaudata Nuntii Apostolici inhaerendum censuit.

Itaque eadem Sacra Congregatio, vigore facultatum sibi a Ssmo Domino Nostro Paulo Divina Providentia Papa VI concessarum, supramemoratam propositionem adprobavit ac praesens in rem Decretum confici et expediri iussit.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, die 9 mensis Octobris a. D. 1964.

G. P. Card. **AGAGIANIAN,** *Praefectus*

L. © S.

f Petrus Sigismondi, Archiep. tit, Neapolit. in Pisidia, *a Secretis*

II

KABBAËNSIS

(ONITSHAËNSIS - KADUNAËNSIS)

DECRETUM

De mutatione finium provinciarum ecclesiasticarum

Quo efiicacius animarum curae intra limites dioecesis Kabbaënsis in Nigeria provideretur, preces ad hanc Sacram Congregationem porrectae sunt, ut eadem dioecesis a provincia ecclesiastica Onitshaënsi, quae in

territorio Nigeriae Orientalis extenditur, separetur et provinciae ecclesiasticae Kadunaensi, in territorio Nigeriae Septentrionalis sitae, aggregetur.

Quas preces eadem Sacra Congregatio benigne excipiens, attento favorabili voto Revmi Domini Caroli B. Mouton, interim curam agentis ad negotia Ecclesiae penes Delegationem Apostolicam in Africa Media Occidentali, vigore specialium facultatum sibi a Ssmo Domino Nostro Paulo Divina Providentia Papa VI tributarum, dioecesim Kabbaënsem a provincia ecclesiastica Onitshaënsi seiunxit èt provinciae ecclesiasticae Kadunaensi aggregavit atque hoc ad rem Decretum confici mandavit.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, die 14 mensis Octobris a. D. 1964.

G. P. Card. AGAGIANIAN, *Praefectus*

L. © S.

f Petrus Sigismundi, Archiep. tit. Neapolit. in Pisidia, ***d Secretis***

III

KIMBERLISIEN. - GERALDTONEN.

DECRETUM

De mutatione finium

Cum in Australia Occidentali limites intra dioecesim Geraldtonensem et vicariatum apostolicum Kimberlisiensem hodiernis apostolatus necessitatibus non amplius respondere videantur, ad partialem eorundem limitum commutationem inter memoratas circumscriptiones ecclesiasticas efficiendam procedere visum est.

Itaque, hoc Sacrum Consilium Christiano Nomini Propagando, re mature perpensa, consensu Ordinariorum quorum interest prae oculis habito, açceptoque favorabili voto Excmi ac Revmi Domini Dominici Enrici, Archiepiscopi titulo Ancusitani atque Apostolici in Australia, Nova Zelanda necnon Oceania Delegati, vigore facultatum specialium sibi a Sanctissimo Domino Nostro Paulo Divina Providentia Papa VI concessarum, limites inter supradictas circumscriptiones ecclesiasticas ita emendandos censuit ut in posterum ad vicariatum apostolicum Kimberlisiensem pertineat illa pars territorii, usque adhuc addicta dioecesi

Geraldtonensi, quae patet inter lineam parallelam decimam nonam latitudinis meridionalis, a littore maris usque ad fines occidentales civilis territorii septemtrionalis (quae est hodierna limitatio inter easdem circumscriptiones ecclesiasticas), et lineam parallelam vigesimam latitudinis meridionalis, a littore maris usque ad gradum centesimum vigesimum primum longitudinis ad Orientem, atque deinde per eundem gradum ad Meridiem usque ad parallelam lineam vigesimam tertiam latitudinis meridionalis, denique ad Orientem usque ad fines orientales civilis Status Australiae Occidentalis ; atque praesens ad rem Decretum confici iussit.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, die 28 mensis Octobris a. D. 1964.

G. P. Card. AGAGIANIAN, *Praefectus*

L. © S.

f Petrus Sigismundi, Archiep. tit. Neapolit. in Pisidia, *a Secretis*

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA ROMANA ROTA

Citatio edictalis

BASILEEN.

Nullitatis matrimonii (von Merey - von Huszar)

Cum ignoretur locus actualis commorationis dominae Annae von Huszar, in causa superius inscripta conventae, eamdem citamus ad comparendum, aut per se aut per procuratorem legitime constitutum, coram Tribunali Sacrae Romanae Rotae (Piazza della Cancelleria 1, Roma), in diem 1 Martii 1965, hora meridiana, pro concordatione dubiorum quae sequuntur :

1. *An concedenda sit nova causae propositio, in casu;* et, quatenus affirmative :

